




**Explicatio controversiarum quae a nonnullis moventur de
Henrici Borbonii regis in regnum Franciae constitutione :
opus hoc maxime tempore utilissimum, in quo permulta quae
ab aliis antehac ejusdem argumenti scriptoribus vel
praetermissa ...**

<https://hdl.handle.net/1874/387999>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. oct.
834




105

C

Ac. 105
105





Historia Gentium

Octavo n^o. 834.


S. oct.
834

Nec. j. no puer atq. u
iustitiam illustis roga
corum paritate aut mmi
iustitiam us ai nre iustit
ec uelit nec detea
am dominus di
io. si peccauit i te
ius uate et cor nre eum
p m solum. Sicut an
tus erit fitem tuu. S
no audierit adhibe ten
ur duos testes ut i ore d
ur cum testui stet omne
q si te non audierit dic
Si aut eam nō audierit

... et. inter alia et. v. q. i
leg. l. ult. ff. de p. cor. in
cor. s. si nuquid iatencer
nocte qm p. iudi. q. sic. C.
n. et. j. remunc. rest. ca. i. fi
spiciendo pi
nter pot dia
fid. i. str. acc
os prob. j. t.
fi. s. l. im. lato. d. i. q. s. qu
num. ula. p. unli. f.
gua. nre. eius. e. m
uero. apta. sunt
bstat. p. unlin. m
accepimus. s. qua. i. potest
usa. sua. ai. aliis. deteat. e
uc. uij. q. iij. c. i. 7. y. 7. C.
a. ius. sibi. dicat. l. vna. p.
ngat. p. p. uanato. e. j. deo
ula. Item. quia. lites. sine. s
de. detent. iij. q. v. quia. sur
eete. w. mane. p. p. s. n
i. p. a. cor. q. i. p. r. i. m. o. n. u. ff. ne. quid. i. loco. publico. l. y. s. h. i. ed
a. cognosce. deb. p. uanato. testans. ff. de. off. po. nec. que. qm. s. d
i. causa. sua. sicut. impator. i. causa. fiscal. ff. de. hys. que. i. cel
et. v. r. di. non. aut. et. p. r. e. l. a. t. u. s. p. t. e. e. testis. i. causa. ecc. x. m
ia. sic. et. ep. iudex. e. i. causa. ax. sic. v. r. y. q. iij. g. u. l. i. s. a. r. d. 7. v
m. et. honestus. facer. si. h. a. l. y. om. s. i. t. ar. y. q. v. y. nos. si. i. q. p
r. de. p. u. n. l. i. s. que. p. c. o. d. e. d. i. t. a. l. i. s. e. c. t. u. s. e. n. o. t. e. l. l. i. s. p. r. i. u. l. e. g.
i. n. t. c. o. l. l. a. t. a. w. e. c. c. e. s. d. e. a. m. s. t. a. c. c. i. 7. v. r. y. di. i. nouo. ec. c. q.
e. g. y. s. b. i. u. d. i. c. a. t. p. a. l. i. o. s. u. r. p. o. t. e. r. p. o. n. i. p. a. l. i. o. s. n. o. l. u. m. u. s. u. r. d.
a. n. o. b. i. s. 7. s. i. c. p. l. a. n. u. e. s. t. q. u. i. a. e. r. q. u. o. p. d. i. t. p. r. i. u. l. e. g. u. m. u. r. i.
i. c. o. n. f. i. r. m. a. c. o. m. n. u. l. l. u. t. e. l. l. i. s. c. o. g. n. o. s. c. i. t. a. m. o. d. o. s. i. n. e. e. i. u. s. m. a. d. d.

Schijnt bij Le Long te antwoorden. Dus ook in het begin

Blad 21



N. 88. A.



fi
er
m
ip
at
fia
it
nic
sta
mu
lox
lb
te
t
fi

ã
e q
te
qu
qu
ren
s q
am
m
lge
f

1

EXPLICATIO
CONTROVER-
SIARVM QVAE A NON-
NULLIS MOVENTVR DE HEN-
RICI BORBONII REGIS IN RE-
GNVM FRANCIAE CON-
STITVTIONE.

Opus hoc maximè tempore utilissimum. In quo permulta quae ab aliis antehac eiusdem argumenti scriptoribus vel praetermissa, vel non satis explicata erant, eruditè explanantur: dubitationesq; omnes quae ab aduersariis proponuntur, diligenter enucleantur & tolluntur.

A TOSSANO BERCHETO
Lingonensi, è Gallico in Lati-
num sermonem con-
uersum.

Ex dono Buzelii.

I. PETRI 2.

Deum timete, Regem honorate.

SEDANI

Typis Matthæi Hilarij.

M. D. XC.

Julij septembris



EXPLANATION
CONTENTS
PART I
PART II
PART III

A TOSCANO RECCHIO

Langonini (Lazio) Italy
1875

2. 2nd ed.

Don Angelo, Capranica

1875

The Church of

M. M. S. S. S.



HVIVS LIBRI CAPITA.

- De vero & legitimo Henrici III. Navarra Regis ad
coronæ Francicæ successionem iure. C. I. pag. 2*
*Principes, qui ad summum imperium legibus vocan-
tur, à Deo esse ordinatos, ideoq; illis parendum,
nec vllum disputationibus locum dandum. Cap. I. 15*
- Quamquam Rex hæreticus sit aut infidelis, illius tamen
imperio parendum esse. Cap. III. 22*
- Responsum ad ea quæ Sorbona aduersus Henricum III.
Regem defunctum Lutetia contra hæc constituit.
Ca. IV. 32*
- Supremi senatus ad obedientiam Regibus debitam tu-
endam, & ad seditiosas Sorbonistarum disputationes
& consilia reprimenda, auctoritas. Cap. V. 45*
- Constitutiones Pontificum, quæ à Sorbonistis propo-
nuntur, Dei decretis officere & obstare non posse.
Tum, quo spiritu ij semper ducti fuerunt, qui reli-
gionis specie aduersus Principes suos arma ceperint.
Cap. VI. 50*
- Eorum, quæ reformatæ religionis homines superioribus
bellis ciuilibus gesserunt, expositio, qua contumacti-
bus & factiosis, qui eorum exemplo bellum se Regi
posse facere putant, respondetur. Cap. VII. 58*
- Conclusio superioris disputationis de obsequio & obe-
dientia quæ Principibus debetur, quantum uis Pa-
ganis aut hæreticis & à fide aberrantibus: Tum,
quid Christianis, cum tales Principes habent, sit
faciendum. Cap. VIII. 73*
- Controuersia de Rege qui sit excommunicatus expli-
catio & solutio, qua docetur excommunicationem*

- nihil ob stare posse, quò minus populus subiectus illi
 esse, & in illius obsequio fideq; manere debeat. Cap.
 IX. 78
- Pontificum in Regum & Principum excommunicacione,
 vt suo imperio priuentur abusus. C. X. 84
- Henricum quartum qui nunc regnat non esse hereticum,
 ex hominis heretici definitione. Cap. XI, 96
- Compendiaria fidei Regis declaratio, ex qua constat
 eum non esse hereticum. Cap. XII. 105
- Aliarum definitionis hominis heretici partium continuatio,
 ampliorq; disquisitio, ex qua concludatur hoc tandem &
 omnibus constet, Regem hereticum non esse. Cap. XIII. 130
- Regem excommunicatum non esse, quanquam id Papa fuerit
 conatus. Cap. XIII. 136
- Papæ excommunicationem aduersus Regem nullam esse. Cap. XV. 143
- In Henrici tertii excommunicatione à Papa Sixto facta
 exemplum extare, quanti sint Paparum in Principibus
 excommunicandis abusus. Cap. XVI. 170
- Admonitio ad Gallos de incommodis quæ consequentur,
 si tanta Papæ, quantam sibi in Galliam arrogat,
 potestas concedatur. Cap. XVII. 197
- Nec Religione, nec vlla alia re ad Paparum excommunicationes
 recipiendas, & ad eam, quam in hoc regno apperunt,
 potestatem admittendam nos cogi. Cap. XVIII. 217
- Regem Concilii iudicio se permittere: Ordinum conuocationem
 polliceri: & quam vtrumque nobis hodie necessarium sit. Cap. IX. 231
- Ad ea quæ opponuntur quominus concilium habeatur,
 Responsum. Cap. XX. 243
- Papa

C A P I T A.

- Papâ Concilium detrectante, Regem conuocare illud pro suo iure posse. Cap. XXI. 254*
- Non esse metuendum, ne non Rex Concilium legitime habendum curet. Cap. XXII. 261*
- Regis de habendis comitiis promissum: & quodnam sit populi officium, vt, quod Rex de Concilio & comitiis promittit, assequamur. Cap. XXIII. 267*
- Questionis, quæ de Regis consecratione mouetur, solutio. Cap. XXIV. 273*
- Quam vniuersæ Gallie & speciatim ordinibus singulis vtile futurum sit, si Henricus quartus Rex fuerit. Cap. XXV. 282*
- Quantæ calamitates vniuersæ Gallie impendant, si populus quominus Rex constituatur, obstinatius impedire pergat. Cap. XXVI. 298*
- Quantopere Hispanorum & Lotharingorum dominatio metuenda sit. Cap. XXVII. 313*
- Exhortatio ad eos qui Coniuratorum partes hucusque tenuerunt, vt se ad bonorum causam adiungant: Cogitantes & mala quæ nobis ab extraneis imminent, & bona quæ nobis in Henrico quarto à Deo offeruntur & speranda sunt. Cap. XXVIII. 326*
- Iusiurandum Coniuratis datum impedire non posse quin ab eo discedatur, vt Regis imperio pareamus. Cap. XXIX. 337*
- Ad Nobilitatem atque alios qui Regis causam hactenus tutati sunt, vt in ea cum summa constantia & fide perstent, exhortatio. Cap. XXX. 346*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the paper's texture and color.



HENRICO III. CHRI-
STIANISSIMO ET MA-
GNANIMO GALLIAE NA-
YARRÆQUE REGI TVSSA-
NVS BERCHETVS
S. P. D.



QVOD in corpore humano par-
tium omnium sympathia, & quasi
concentus consensusq; facit,
HENRICE Rex Christianissi-
me, vt ad vsum & necessitatem
membrum alterum alteri membro adsit,
mutuamq; opem ferat: idem omnino in ci-
uitate, quæ maximam cum corpore nostro
similitudinem & cognationem habet, ci-
uium inter se coniunctio amicaq; conspira-
tio præstat, vt non ad salutem tantum suam,
sed ad ornamentum etiam, immo & ad mi-
nimam quamque rem ciuis ciui opem ope-
ramq; suam benignè impertiatur. Alioqui
vt corpus sine partium omnium consensu
auxilioq; mutuo tueri se ac cõsistere non po-
test: sic ciuitas aut regnum mutuam sibi opẽ
denegantibus ciuibus, nec stare diu nec vi-
gere poterit, sed breui labefactetur & cor-
ruat etiam necesse est. Verum cum in reli-
quis membris se mutuo iuandis hic con-
sensus cernitur, tum in capite maximè ne-
cessa-

EPISTOLA

cessarius est, tanquam præcipua corporis to-
 tius & præstantissima parte, à cuius nimi-
 rum dignitate & salute reliquorum mem-
 brorum functio conseruatioque pendeat:
 Naturâ, quæ est optima sui conseruatric, vi
 quadam omnibus sine præceptis & præcep-
 tore insita nos monëte, vt quod præcipuam
 dignitatem obtinet, & maximum ad salu-
 tem momentum habet, ei iuuando conser-
 uandoq, præcipuam quoque & maximam
 operam adhibeamus. Itaque huius ipsius
 Nature, vel Deipotius, sapientissimi & cor-
 poris huius & ciuitatis regnorumque au-
 ctoris & conseruatoris instinctu ac monitu,
 non eodem solùm modo ciuis in ciuem af-
 fectus est, vt amicitia, vicinitatis, cognatio-
 nis & publicæ societatis vel conciliandæ vel
 fouendæ vel ornandæ vel augendæ ergo al-
 ter alteri, quando cunque est opus, pro viri-
 li parte succurrat: verùm etiam, atque aded
 maximè, si ciuitatis aut regni caput, hoc est
 Princeps ac moderatur aliquatenus labo-
 ret, promptissima tunc ciuium omnium
 studij, auxiliij, & officij ratio in eo iuuando
 extet: quippe quo incolumi & florente se
 quoq; saluos & beatos fore sciant, afflicto
 verò & iacente, miseros. aded scilicet, vt
 membrorum & capitis, sic Principis & ciui-
 um lymphathia, consensus, piaq; conspiratio
 necessaria est, vt alterum sine alterius ope
 operaq; viuere & stare non possit: alterius sic
 Altera poscit opem res, & coniuuat amice. Vt verò
 ille

DEDICATORIA:

ille communi sensu non solum, sed naturali quoque affectu plane carere, naturæ omnis sui que ipsius hostis, amens plane & insanus esse merito censetur, qui in sua ipsius viscera gladium stringit, in sua membra sævit, in suum etiam caput furiosè inuadit, omnem humanitatem exuens, & feritate diritateque; feras quantumuis immanissimas superans, cum eæ ne in sui quidem generis feras, nisi rarissimè, & iniuria quidem laceffitæ efferrari concitarique, soleant: sic cuius cui laboranti, cui sit tum propinquitate, tum iuris, legum, eiusdem ciuitatis communione multorumque; commodorum & beneficiorum adeò societate coniunctus, si suam opem denegat, non modò cuius, sed hominis etiam nomine indignus, ab omni non solum hominum commercio secludendus, sed diris quoque omnibus deuouendus, feris etiam ipsis obijciendus videtur. Numquid enim hominum societate, beneficiorum communicatione, lucis etiam usura dignus habendus est, qui nec se hominem nouit, nec ciuem se meminit, nec vitam sibi à Deo datam agnoscit, ut quam poterit cunq; fidem & industriam ad communem omnium utilitatem, dignitatemque; & salutem cõferat? Quid verò de ijs censeas, qui miseris ciuibus suis, & patriæ iacenti atque afflictæ non modò non subueniunt & opitulantur, sed omni etiam ratione totisque; viribus detrimentum & exitium afferunt? neque; solum ciuibus & patriæ

EPISTOLA

obsunt, sed ciuium & patriæ totius capiti,
 summoq; & sapientissimo Principi; Tibi,
 inquam, ipsi Rex *o dignissime Regum*, cuius tum
 dignitati labem tam indignè aspergunt, tum
 saluti tamq; infestis animis, tamq; funestis
 armis perniciem moliuntur? Quanquam,
 qui tuus est in tuos amor, studium & cura,
 non potest patriæ bellum inferri, quin tibi
 quoq; inferatur: quæ tuorum vicissim est in
 te pietas & obseruantia, non potest tua salus
 & dignitas agi, quin suam quoq; agi putent:
 ideoq; aduersus perduelles istos, impios Ca-
 tilinas, corrupta corporis huius membra,
 patriæ pestes, nec magis tuos quàm suos i-
 psoꝝ hostes (ea est membrorum cum suo
 capite sympathia, is est subditorum cum suo
 Rege consensus & conspiratio) ad tuam sa-
 lutem conseruandam dignitatemq; (si Deus
 ipsoꝝ conatibus successum dederit) or-
 nandam & augendam, cum omnes suas o-
 pes & vires tum suam maximè vitam adhi-
 beant. Ita vt, quemadmodum impij illi par-
 ticipidæ omni probro & dedecore norandi, o-
 mni etiam cruciatu & supplicio multandi
 videntur, qui Regem tot tantisque & animi
 & corporis dotibus insignem atque admira-
 bilem infesto bello tamdiu persequuntur,
 vt & dignitatem illi suam & vitam adedè i-
 psam, si possint, eripiant: sic veri fidelesque
 Regis subditi magna laude celebrandi, sum-
 mis etiam præmijs cumulandi sint, qui te
 (sapientissime Rex & inuictissime) verum
 am-

DEDICATORIA.

amplissimumque Galliae vniuersae decus ac praesidium agnoscunt & colunt, & ad tuam patriaeque dignitatem ac salutem toto pectore totisque viribus incumbunt. Valeant autem nostri illi, ut ita dicam, κοσμοσφοι & παραδοκίμοι, qui tuis nec precibus, nec exhortationibus, nec edictis, nec periculis, nec exemplo moti, oriosi & ignavi, in tanto patriae incendio, in tanta tempestate, in tanta peste, in pietatis, iustitiae, rerum omnium bonarum euersione ac interitu quiescunt, controuersiae huius euentum expectantes, unde constituent quod potius inclinare & propendere debeant: qui sine vlllo aut periculo, aut metu, aut curatuos labores, contumelias & indignitates vident: qui tanquam ex terra reliquorum naufragia intuentur, aut, quod ait Sophocles, ἰπὸ σέξῃ πυκνὰς ἀνέουσι φερέσθαι εἰδύση φρενὶ, sopito ab securo animo frequentem sub tecto pluuiam audiunt, de tuis ciuiumque suorum calamitatibus minimè omnium laborantes: immo ne de suis quidem. Quid enim? in vniuersae patriae excidio, quid se factum iri putant? extinctis lege, Rege, bonisque omnibus, quo tandem loco interficarios, parricidas & latrones istos se futuros arbitrantur? In plerorumque omnium calamitate ac ruina, saluésne se ac incolumes fore sperant? Quasi verò multi in vna ciuitate, aut regno dignitatem, fortunas & vitam ipsam amittere possint, quin reliquos etiam in eandem secum calamitatem trahant.

*Pro Lega
Manila.*

hant. Quasi etiam aut capite aut præcipuis
 corporis membris læsivæ affectivæ, mutu-
 amquæ sibi opem (hoc enim dicere primum
 institueram) minimè ferentibus, reliquis
 bene esse possit, quasi denique aut funda-
 mento sublato, aut tecto collapsò reliquæ
 ædificij partes diu stare, ornamentoquæ &
 vsui vlli esse omnino possint. Sed ingratos
 istos & planè ἀσέβητες cives officij in tam præ-
 senti periculo desertores, atque aded (si ve-
 rum est tam esse in culpa eum qui iniuriam,
 cùm possit, nō propulsat, quàm qui infert)
 impios patriæ suæ proditores quia Solon
 olim à sua Repub. meritissimò exturbabat:
 sic tu, serenissime Rex, qui sapientia Solo-
 nem aut æquas aut etiam superas, medios il-
 los & securos publicæ cladis spectatores
 qua mereantur laude & præmio aliquando
 afficies, quum tu Deo duce, tua autem pru-
 dentia, vigilantia & fortitudine comite, tua
 etiam Nobilitate, reliquisquæ tui, patriæquæ
 amantibus civibus, tuorum laborum, & pe-
 riculorum socijs, è tanta tempestate ad por-
 tum perveneris. Vt enim fuci, ignaum pec-
 cus, alienum laborem depascentes ab alvea-
 rio arcètur: sic inertes nostri homines, quia
 laborem & periculum commune detre-
 ctant, quia etiam laudem, quam vna virtus
 parit, negligunt, vel potius omnino refu-
 giunt, digni profectò minimè videntur qui
 ullius dignitatis felicitatisque publicæ con-
 fortes & participes fiant: sed contrà, qui in-
 gloriæ

DEDICATORIA.

glorij & ignobiles totum vitæ cursum degant, atque honoribus rei que publicæ muneribus turpissimè ac meritissimè excludantur. Veri contrà illi, æternaque gloria decorandi ciues, qui, vt membra suo cum capite tacito naturæ sensu & instinctu, sic animo & iudicio cum suo Rege consentientes ac piè conspirantes, ad eum iuuandum ornandumque afficiuntur & incitantur: qui tum tibi, ô Rex, tam indignè affecto afflictoque, tum regno tuo tam miserè & indignè vexato, vt & tua tibi dignitas conseruetur, & regno pristinus suus splendor restitua-
tur, omnem quam possunt cum fortunarum suarum iactura, cum vitæ etiam ipsius discrimine, opem & auxilium ferunt. At enim dum Principes, dum clarissimos fortissimosque viros, qui tam egregiam fidelemque operam & Regi & regno præstant, laudo, nemo putet reliquos ciues silentio à me præteriri, qui Regi quoque suo, & toti etiam regno præstò sunt vt possunt, si non hastis, gladiis, sclopis: certè votis, consilio, stylo. Quanquam enim illi præcipuam laudem ob fortitudinem promereri videantur: hos tamen ob ingenium nonnullis gloriolæ insignibus ornandos quoque puto. quanquam etiam arma ad illatam iniuriam repellendam in primis (secundum Deum) necessaria sint: certè piorum vota & scripta, vel inania omnino, vel inutilia esse nemo, opinor, sanus dixerit. Nam vt in corpore non
capi-

EPISTOLA

capitis tantum, cordis & præcipuarum aliarum partium, sed manuum, pedum, & reliquarum seu dignitate seu usu inferiorum sua est functio, sua necessitas, sua etiam laus, ut quæ tum in ædificio præter fundamentum & tectum, tum in naui præter carinam, latera, proram, & puppim, aliæ quoque multæ partes & instrumenta non maximam tantum utilitatem in se continent, sed habent etiam plurimum dignitatis & pulchritudinis; ita ut nulla siue corporis, siue ædificij, siue naus pars licet obscura & minima, sine necessitate & venustate etiam aliqua affecta excogitataque esse videatur: Sic in familia, ciuitate, & regno, non patres tantum familias, non optimates, præfecti, nobiles, magistratus, Principes ac Reges (præcipua illius & lumina & columina) requiruntur, sed mancipiorum, mercatorum, cuiuscunque generis & fortunæ ciuium, artificum, & quorumlibet etiam vilissimorum opificum opera ita necessaria est ut ijs carere omnino vel ad utilitatem vel ad voluptatem non possimus. Quin ex hac tam multiplici varietate ipse etiam Mundus vniversus & constare & stare meritò videtur. Ne verò in re tam nota sim longior, verè & breuiter Orator:

Natura nulla est, inquit, quæ non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Equidè non parem et hominibus & rebus omnibus gloriam tribuo: sed quia singulorum in suo genere suis est

Orat. 30

DEDICATORIA.

est usus, isque per necessarius, singulis etiam, si quod debent, aut certe quod possunt id bona fide præstent, laudem suam deberi dico. Quorsum autem hæc tam multa apud te, (ô Rex) tum sapientissimum, qui hæc per te satis noris: tum occupatissimum, qui pergrauissimas, quibus es districtus, occupationes hæc legere ut velis, non possis tamen sine maximo publicæ rei, in qua restituenda totus desudas & laboras, detrimento? qui tam multos multaque vrges, quem vicissim tam multi multaque vrgent, ut tibi per necessarijs etiam rebus, nedum hisce nostris nugis, vacare vix liceat? quorsum ergo tam multa? Nempe ut doceam, vel potius, ut quod iam docui reperam, magisque ac magis inculcem, regnum haud belli tantum artibus stare, sed pacis etiam studiis florere: ut arma regni robur sunt ac præsidium, sic literas illius ornamentum esse: si præmium armato nobili fortique militi, qui gladio regnum defendit, meritò datur: viro etiam literato, qui stylo Regis causam agit, nonnullam gloriam iure deberi. Etenim ut de armatis viris qui tam strenuam ac fidelem operam tibi, ô Rex, opportunissimè præstiterunt non plura iam dicam: quantum debet nostra Gallia Hottomanis, Plessæis, Belloëis eruditissimis elegantissimisque scriptoribus, itemque innominatis illis, sed politissimis etiam & vere φιλοπάτρισι Antimartyris, Antihispani, Antifixi, & sexcentorum

centorum huiusmodi libellorum aucto-
 ribus, qui tum hereseos notam tibi à sedi-
 tiosis & coniuratis falsò illatam erudito atra-
 mento eluunt, tum legitimam tuam in Hen-
 ricì III. locum successionem legibus pa-
 trijs, validis argumentis, & appositis ad rem
 ipsam exemplis probant ac defendunt? In-
 ter eos autem (vt scopum aliquando pro-
 piùs attingam) qui suis scriptis de Repub.
 Religioneque Christiana benè merentur,
 non postremas quidem tenet vir pietate &
 eruditione clarus, huius operis auctor, qui
 propter tot ac tantas quibus tuq; (ò clemen-
 tissime simul & magnanime heros) tuusque
 decessor affecti estis hætenus, atque etiam-
 num afficimini, contumelias & indignitates
 iusto dolore accensus, caussaque tuæ veri-
 tate ac iustitia permotus, pro sua & in Deum
 pietate, & in te obseruantia, & in regni to-
 tius dignitatem atque vtilitatem studio, ad
 hoc scribendum opus aggressus est: in quo
 tuam vel vniuersi potiùs regni caussam tan-
 ta diligentia, fide, candore, & veritate agit,
 vt maiori vix posse videatur. Quia verò id
 operis eiusmodi est doctorum & piorum
 virorum, tui patriæque amantium, iudicio,
 vt non Galliæ tantùm, sed aliis etiam nobis-
 scum fœderis, amoris, propinquitatisque
 vinculo coniunctis nationibus placere pro-
 desseque possit. Et Galliæ quidem nostræ,
 vt, re tota penitus perspecta, suæ aliquan-
 do cæcitatìs & contumacię pœniteat, propriis-
 que

DEDICATORIA:

quæ malis prudentior effecta ad meliora se
 consilia conuertat: reliquis verò nationibus
 ut eum nostro exemplo edoctæ sibi caueant
 & prospiciant, tum tibi, ô Rex, perfidia quo-
 rundam & ingrato animo atque ambitione
 indignissimè vexato libentiùs ac promptiùs
 succurrant: (huc enim potissimùm spectare
 auctor videtur) quia, inquam, boni aliquot
 grauesquæ viri censuerunt opus dignum es-
 se quod ederetur: ego eorundem consilio &
 auctoritate adductus, illud è Gallico in Lati-
 num sermonè conuerti, ut non solùm à no-
 stris hominibus legi, sed à vicinis quoq; po-
 pulis Regisq; regniq; nostri studiosis intel-
 ligi posset: essetq; aliquatulum & mei in pa-
 triam amoris, & mei præcipuè in tuam Ma-
 iestatem obsequii obseruantiaq; argumen-
 tum: nec tantum quidem (quod ingenuè a-
 gnosco & fateor) quantum auctor ipse, &
 alii innumeri cuiuscunque generis & sortis
 homines edere possunt, quantumq; ego ipse
 debeo: at certè quantum possum. Nempe in
 regni constitutione, administratione, statu,
 rationibus, artibus, rebus denique omnibus
 (id enim sæpiùs repetendum puto) regen-
 dis, conseruandis, ornandis, & ad suum fi-
 nem perducendis, nõ summorum duntaxat
 & clarissimorum virorum præstantia & vir-
 tus, sed medioerium etiam industria, atque
 infimorum adeò & obscurissimorum opera,
 fidesq; necessaria sunt. Ad hoc autem munus
 suscipiendum eò faciliùs adduci me sum pas-
 sus,

EPISTOLA

sus, quod præter ea quæ à me dicta sunt, tuas
 aliquot declarationes à me quòque superiori
 anno versas, & in finitimorum gratiam
 editas, ita tibi, ò Rex, tuisquæ placuisse au-
 dierim, vt eas iterum edi iusseris: non quod
 (verè credo, candidequæ profiteor) ea sit ver-
 sionis illius laus & felicitas, vt in hominum
 manus venire mereatur, sed hoc (opinor)
 consilio tibi factum est, vt quod Gallico ser-
 mone à paucis fortasse lectum fuerat (con-
 iuratorum furore passim ita tunc temporis
 sæuiente, vt ne liberè quidem loqui, immò
 ne ingemiscere quidem, nedum tua scripta
 legere liceret) Latinè iam maiori quæ liber-
 tate, minori quæ periculo legi possit: ex quo
 quidem magis ac magis tum quæ tua semper
 fuerit mens, quod propositum, qui animus:
 tum quàm verè clades & calamitates, quæ
 postea sequutæ sunt, vaticinatus sis: tum et-
 iam quàm sollerter & apertè coniuratorum
 consilia patefeceris, & quasi digito com-
 monstraris, testatum omnibus illustre quæ
 fiat. De hoc autem suscepto vertendi mu-
 nere, auctorisquæ opere & consilio hinc satis
 superquæ. Verumenimverò, dicent ali-
 qui, quod publicæ utilitati tantopere con-
 fert, id vtraque & multiplici, si ita libet, aut
 commodum est, lingua edatur, legatur, &
 legendo etiam teratur: illudquæ auctori
 interpreti, & lectori assentiamur, gratule-
 mur ac suadeamus. At quæ tu fratre opus ali-
 num, nec vlla ex parte, nisi vno conuersionis
 labo-

DEDICATORIA

labore tuum regiae maiestati dedicare audes? Dicam, & paucis, ô Rex, si, quod vnum breueque admodum dicendum videtur, per tuas mihi occupationes addere licet. Auctoris certe modestia, qui nomen quidem suum operi apponere voluerit, nedum tuæ illud Maiestati consecrare, me quoque decôri & modestiæ commonefacere debuit, vt ego non plus in illius opere vertendo auderem, quàm ipse in edendo. Verùm vt de auctoris modestia nihil amplius dicam, quid necesse habuit suum aut edere nomen aut opus tibi dicare, cum factis quidem tibi & nomine & munere suo notus, vt Deo Dei que Ecclesiæ, sic tibi iam se dudum dicarit? Ast ego reque nomineque auctori dissimilimus ausus sum hanc tantillam operã sub tuæ Maiestatis auspiciis euulgare, velut mei in te obsequii & obseruantiae specimen, per quod me totum, quantulus sum, tuæ Maiestati consecrarem. Et verò in cuius potius quàm tuæ Maiestatis nomine id opus apparere debuit, cum in tuam potissimum & gratiam & rem elaboratum sit, cum ita innocentia, animus ambitionis, crudelitatis & impietatis expers, vera tua in regni possessione atq; administratione successio, tua ad triũ ordinũ, conciliiq; conuocatione (rem Ecclesiæ & regno ita salutarẽ ac pernecessariã) pollicitatio, pia & sincera ad vtriq; parendũ submissio, legitima regni repetendi & consequendi, quam sequeris, via,

EPISTOLA

tua clementia & humanitas singularis, ac reliquæ tuæ verè regis, vel potius heroicæ, ac penè dicam, diuinæ virtutes, in hoc libro diligenter & verè proponantur? Etsi autem hæc ita esse constet, multa me tamen ab hac editione & nuncupatione deterrere poterunt, vt, virium mearum imbecillitas, nominis obscuritas, non magna operis alieni vertendi laus, non magnus fortasse versuonis successus, arrogantis, à qua certè longissimè absum, suspicio, & sinistra nonnullorum, qui alieni laboris parum candidi sunt æstimatores, de aucupanda per hanc viam Principum gratia opinio, & alia quædam præterea quæ consultò taceo, ne refellendo, quod verè possem, commemorare videar. At has tam multas nebulas tuæ humanitatis lux momentò dispulit, fecitq; vt maiorem & officii mei, & obsequii tui, & publicæ quoque rei, quàm istarum omnium suspitionum, opinionum & impedimentorum rationem haberem: persuasus planè & confusus, ô sapientissime & humanissime Rex, hoc quicquid est laboris ac muneris, ea temere frõteq; accepturum, qua cætera quæ tibi offeruntur omnia, qualia tandem cunq; sint, accipere soles. Nam Maiestas tua, & Maiestati necessariò adiuncta grauitas, tanta humanitate, lepore & comitate temperata & quasi condita est, vt nec quenquam qui te seridò diligit & colat, quamuis tenuem & obscurum auersari, nec quidquam etiam, quod

DEDICATORIA.

ex animo ab omni furo & ambitione alieno tibi oblatum fuerit, licet pusillum, & te tanto Principe prorsus indignum, respicere soleas. Quod si ad animum par facultas, & ad facultatem maius otium ac tranquillitas (qualem breui Deo duce speramus) accederet, maiora profectò & dare, & edere liceret. Sed hanc aliis laudem non inuideo. Ego quod iam possum, quantumcunque est, tuæ Maiestati libentissimè ac perquam summissimè offero & nuncupo: atque Deum Opt. Max. quem tu non Regum duntaxat regnorumque patronum, tutorem ac vindicem agnoscis, sed vnicum etiam bonorum omnium auctorem, & tuorumque seruatorem colis, toto pectore obsecro & obtestor, vt sanctas tuas omnes cogitationes & conatus pro sua bonitate ex pioram votis felicissimè promoueat: impia autem hostium in te Deumque aded ipsam, ipsiusque Ecclesiam, & calamitosum hoc regnum consilia nefariasque molitiones breui ad suam gloriam, ad Ecclesie sic afflictæ instauracionem, ad bonorumque omnium virorum, qui in te vnum (Deum semper excipio) intuentur, spesque suas defixas habent, consolationem dissipet ac euertat: idemque faxit vt tu (ô clarissimum Borboniæ familiæ decus, firmissimumque totius Gallie robur) tot cladibus superstes felicissimè viuas, & Deo, Ecclesie, Gallico regno, bonis omnibus, vt vno

b ;

verbo

EPIST. DEDICAT.

verbo omnia complectar, Pietati, Iustitiæque, præcipuis regni columnis, diutissimè regnes & floreas. E nostro Musco, XIV. die Maii, M. D. XC. Sedani.



EIVS-



EIVSDEM TVSS.

BERCHETI PRAEFATIO

AD LECTOREM.

SI quatuor humorum, quibus corpus nostrum constat, temperamentum iusta conuenientiq; proportione semper esset, ac perfectam illam, quam statim ab origine habuisse dicitur, sui constitutionem & naturam constanter seruaret: ex eo sane cum membrorum inter se, & horum cum capite mirificus consensus effloresceret, tum perpetua, aut certe, quantum humani corporis fragilitas patitur, valde longa & incorrupta valetudo existeret, summa spirituum alacritas, facultatum animi vigor maximus, propria sensuum functionio, integrum deniq; organorum ad vsum vitæ, salutisq; tutelam necessariorum ministerium vigeret: ita vt nihil planè vel minimùm, nec medicis, nec pharmacopolis, nec pharmaci vllis sapienter ac necessariò ab hominibus ad valetudinem vel curandam vel tuendam inuentis opus esse videretur. Eodem modo si ciui cum ciue, & ciuibus cum suo eo legitimoq; Principe optimè conueniret, perpetua extaret ciuitatis & regni sanitas ac tranquillitas, solida etiam felicitas & salus: vnde nec vllæ ciuium factiones ac dissensiones (grauissimi ciuitatis morbi) nascerentur, nec vlla ad eas coercendas, extrema illa quidem, sed interdum necessaria remedia, arma caperentur. Itaque in tam felici regni rerumq; omnium statu ac temperamento,

P R A E F A T I O

nulla à Principe & gubernatore summo edicta cruetur
 fierent, nulla ab eius Magistratibus poena irrogaretur,
 nulli proponeretur, carceres, nulla cruceſ, nulli carni-
 fices. quid enim in optima valetudine vel medico vel
 medicina eſt opus? Sed quia hac noſtra eſt vel ſic à Deo
 coſtituta primùm, vel noſtra mox culpa arceſſita im-
 becillitas, vt eodem ſemper ſtatu eſſe, & optima ſem-
 per valetudine frui non poſſimus: eò res iam venit, vt
 morbo aut ex intemperie naturali, aut ex aduentitio
 aliquo caſu contralto corpus noſtrum afficiatur ſapiſ-
 ſimè, & vehementer labore. At ſi adimus medicum,
 ſi illum bene monentem audimus, ſi remedium ab eo
 præſcriptum ſumimus: ſit plerumque vt morbus omni-
 no tollatur, aut certè valde leuetur: ſpero contra me-
 dico, morbus ingraueſcat, mors etiam conſequatur.
 Sic in tanta & ingeniorum varietate, & animorum
 peruerſitate, & morum corruptela, velut vitioſa &
 corrupta publici corporis conſtitutione, vix poteſt re-
 gnum aut ita ſapienter inſitui, aut ita feliciter ad-
 miniſtrari, quin ad perfectum ac florentem rerum
 ſtatum, & integram quaſi ſanitatē multa deſide-
 rentur. Emergit igitur aliquid morbi ac vitii, quod
 publicam valetudinem & tranquillitatem nonnihil
 turbare ac imminuere poſſit? Veri præſto ſunt medici,
 Rex, Principes, Magiſtratus: ſalutaris item præſto eſt
 medicina, leges & iura tum diuina tum humana:
 quibus ſi pareamus, ſtirps & ſemen bellorum ciuiliū
 aut nullum naſcitur, aut fortè natum, in ipſo ſtatu
 initio, antequam altiùs radices agat, proſuſ euellitur
 & obruitur: vnde pax, regni ſanitas atque innumera
 pacis commoda ſequuntur, ſumma nimirum & per-
 ſecta, quanta quidem in rebus humanis ſperari poteſt,
 pro-

prosperitas ac felicitas. At cum Regem, eumq; sapientem nostrum moderatorem fastidimus, cum legem optimam nostri moderatricem respuimus, cum magistratus & iura ipsa spernimus, cum fidem & officium negligimus, cum mutuum consensum non modo non fouemus, sed nobis etiam cruentum funestumq; bellum inferimus: quid iam mirum, si tanta rerum omnium bonarum clades videatur, si immanis bonorum virorum cædes fiat, si Gallici agri vastitas consequatur, si toti Gallicoregno pernicies & exitium summum immineat, si deniq; nihil sani aut extet iam, aut posthac vnquam speretur? Teterrimi & exitiales, qui iam dudum latebant (non planè saltem patebant) morbi anno ante hunc quinto tandem eruperunt, avaritia, ambitio, & insana huius regni occupandi cupiditas: vnde vrbium ferè vniuersarum rebellio, plerorumq; ciuium à suo Rege defectio, impia coniuratio, funestum & exitiosum bellum, atq; ex eo malorum omnium genera emanarunt. Rex itaque demortuus cogitās quàm diu essent ij morbi, quàmq; exitiales ex pestes, nisi remedijs maturè adhibitis curarentur: cohortationibus, edictis, promissis, blanditijs, immo & donis amplissimis coniurationis duces istis animi morbis adeò corruptos ad sanitatem reuocare est conatus. Nempe putabat ea remedia & agrotorum ingenio & morbi generi conuenientissima esse. At sua illa opinione longè falsus est. nam & medicus ipse spernitur, & pharmaca ab illo proposita, quantumuis ipsis vtilia regnoq; salutaria, fastidiuntur, dum illius sapiens & consilium ridetur, & sacrosancta eluditur auctoritas. Neque solùm, sed ille ipse sua basilica indignissime deturbatus, à regni gubernaculis iniquissime

P R A E F A T I O

repellitur, ab omni functione dignitateq; regia excluditur. Cur ita? remedi lenitas morbi acerbitati non respondebat. Etenim si Rex ille multorum iudicio satis quidem sapiens, sed, quod probauit experientia, patiens nimis, pro lenibus remediis quibus id malignus sanari non poterat, acerbiora paulò adhibuisset, ne fortè morbus inualesceret, longiusque & latius ad totius regni perniciem grassaretur: subditorum suorum, quos sua lenitudine & dissimulatione diutius suspensos detinuit, quos etiam inuitos temporum iniquitas in contrariam partem abripuit, plerosque in officio retinuisset, alios à prauis consiliis ad meliora reuocasset, vtilissimè toti regno consulisset, se quoque ipsum à nefariis coniuuratorum conatibus, & ab impio, quod postea patrarunt parricidio vindicasset. Factum quidem ab illo tandem id fuit: sed serò nimis, & parcè nimis. sera enim remedia, quia intempestiua, inutilia sunt: serò medicina paratur, Cùm mala per longas inualuere moras. Tum ne pro vno capite exciso septem alia renascerentur, nec plures alij & penè grauiores serpentes postea succrescerent, tota simul hydra suis omnibus capitibus truncanda fuit, summa omnium papauerum decutienda capita fuerunt. Equidem crudelitatem & barbariam omnem tam horreo, quàm qui maximè: sed seueritas cùm Reip. tempora ita requirunt necessariò interdum adhibenda est, vt membris aliquot vitiosis amputatis, reliquo faciliùs vtiliusq; corpori consulatur. Clementia quidem Principem maximè omnium decet, ornatur & commendatur: sed si cum publica pernicie coniuncta est, crudelitas ea maxima censenda est, non lenitas: vt nec laudandus ille medicus, qui agroti imbecillita-

cillitati aut delicatula natura indulgens dulcioribus
 pharmacia cum morbum auget, tū agrotum ipsum pe-
 rimit. Principis ergo hac vna ex omnibus virtus sanè
 est precipua, multitudini vel rerum ignoratione delu-
 sa, vel clarorū virorum auctoritate abrepta (maximè
 si errorem agnoscat & in viam redeat) condonare: hu-
 ius verò erroris & discidiū duces eosq; superbos & per-
 tinaces debellare ac penitus perdere, potius quàm to-
 tam ipsi Remp. perdant. Quid autem Rex dubitabat,
 iustissima seueritate in eos vti, à quibus & ipse tã mul-
 tis indignisq; modis habitus, & ipsius regnum per tot
 annos misere vexatum, funditusq; euersum fuisset?
 Hoc certè pacto nec miserrimè periisset ipse tandem,
 nec ipsius regnum singulis momentis, omnibusq; locis
 suisq; partibus ita luctuose periret. At perfidia & cru-
 delitatis crimen perhorrescebat. Rectè id quidem, &
 regiè. At qua fide Princeps in subditum tot sibi nomi-
 nibus obstrictum vti debuit, qui fidem Principi suo de-
 bitam à tam multis annis violasset? Nunquid etiam
 iustas pœnas ab eo, qui in Regem regnumq; vniuersum
 grauissimè peccauerit, repetere, crudelitas habenda
 est? Sed dum Rex suo ingenio obsequēs, & fœua etiam
 parcens Hispanum totamque Lotharingia gentem, in
 Gallia vestigiis, in deflagrati regni cinere collocauit:
 quã tandè in tam vasto patriæ incēdio, in tam imma-
 ni ciuium suorū perniciè, & nominis & muneris sut-
 rationē habuisse dicēdus est: Illud quidè certè cōstat si
 Rex iniquissimè prouocatus in coniurationis duces a-
 nimaduertisset, atq; auctoritatem & potentiam omnem
 suam tempestiue ad contundendos reliquorū coniura-
 torum conatus contulisset, vniuersam rerum omnium
 tranquillitatem, pacemque summam sequuturam
 fuisse. Paucorum enim pœna multorum metu fuisset,

P R A E F A T I O

atq; vnius familiae labem & interitum totius Galliae salus esset consequuta. At dum Rex lenitius & remissius cum hostibus acerrimis & acerbissimis agit, ille verò & in patriam totam & in seipsum etiam crudelissimus fuit. Deinde Henricus III. Henrico III. ut lenitate & clementia par, sic mirifica vigilantia, Caesariana in rebus agendis celeritate, summo corporis robore, singulari animi magnitudine, innumerisq; aliorum bellorum pacis virtutibus, omnium, etiam hostium iudicio longè superior, omnem & rationem & orationem ad Nobilitatem, ad plebem, ad Clerum adhibuit cum summis precibus, obtestationibus & promissis, ut ab impiis & nefariis suis consiliis & conatibus ad fidem & concordiam sese conuerterent. At frustra. Cur ita? lenius etiam remedium illud & leuius fuit, quàm morbi acerbitas & grauitas ferebat. Itaq; arma necessariò sumta, expugnata & per ditionem captae aliquot vrbes, praelium commissum, hostes debellari, fusi, fugati, capti pleriq; duces. Verùm necetera quidem vrbes à rebellionem & coniurationem suam destiterunt. Cur ita etiam? nempe pro atrocitate sceleris, pro parricidarum istorum immanitate, perfidia, contumacia, & morbi tenacitate, seueritas lenitate tanta temperari non debuit. Crudelitatem igitur sua deo? At eam, inquam, omnium maximè perhorresco: sed cum nimiam Regis superioris lenitatem & indulgentiam sequuta sit regni vastitas, bonorum caedes, legum euersio, miseria deniq; omnium miserima: lenitati postea necessariò fuit adiungenda seueritas, ut maior crudelitas vitaretur, seruarentur ciues, patria à tot malis respiraret, & pristinae sanitati ac dignitati paulatim restitueretur. Regis autem sui exemplum in

monen-

monēdo maximè, dehortando, increpādo, Hispanum, inueteratum illum superbissimamq; & crudelissimum Gallia hostem, insectando permulti imitari, elegantissima & grauissima scripta per quæ conurati saperent, & à vulpinis Hispani, illiusq; clientum artibus & insidiis diligenter sibi cauerent, in lucem ediderunt. Sed quid effectum iis fuit? Nihilò plus quàm ceteris. nec vllà quidem aut auctorum, qui tam fideliter & sapienter monuerunt, aut operum, quæ tam grauitè & eruditè elaborata sunt, culpā, sed istorum per duellium regnandi libidine ardentium amentia, qui ad arcana naturæ monita, & tacitos conscientie stimulos obsurduerunt, atq; ad grauissimas piorum virorum patriæq; amantium cohortationes, ad regni cladem, & miserorum ciuium lacrymas, vulnera & interitum penitus occalluerunt. Sic nimirum sæpe medici, & ea quæ prescribunt remedia, quamuis per se efficacissima & ad morbum sanandum accommodata, propositum sibi speratumq; finem non semper assequuntur, vnico aut morbi insanabilis, aut egroti vel malis & corruptis humoribus pleni, vel medico non satis morigeri vitio. Ex multis autem qui huic corpori (cuius ipsi sunt membra, & cum quo se quoque affici grauissimè sentiunt) tam graui diuturnoq; morbo laboranti remediū aliquid certatim adferre conantur, hic auctor, quem vertendum suscepimus, egregiam sanè operam nauauit: atq; vi in quotidiano suo munere, animi, sic in hoc extraordinario, corporis huius Gallici medicum præstantissimum agit. Aliorum, qui curando huic malo suam operam dederunt, plerique omnes (paucis admodum, vt Hottomano, Velloeo, & aliis quibusdam exceptis) Hispanum iugum exsecran-

P R A E F A T I O

tur, nos ad pacem colendam, ad coniuratos detestandos & fugiendos, ad verum & legitimum Regem sequendum ac defendendum hortantur, nec non horum nefariorum consiliorum mala tum vigentia tum impendentia proponunt: belle quidem & verè. At hic nonster praeter ea, multa etiam alia quae ab aliis vel praetermissa vel non satis explicata erant, eruditè docet & explanat, controuersiasque & dubitationes omnes quae ab aduersariis proponuntur, diligenter enucleat, soluit, tollit: ita vt nihil planè scrupuli in iis, qui vel ignorantia vel religione aliqua barent, residere iam possit, & morbus iste, nisi omnino sit deploratus, agrotusque vltro perire velit, sumto hoc remedio facillimè sanari posse videatur. At, dicet aliquis, tardum admodum & intempestiuum, ne superuacaneum dicam, remedium, plerisque per tam insignem gloriosamque victoriam tum vrribus deditis, tum ciuibus aut vi subactis aut sua sponte ad Regis rationes aggregatis, controuersia fere tota sublatà, caterorum animis minus quàm antea exulceratis, & valdè nutantibus, adeò vt facillimè minimo successu aut casu ad Regis causam amplectendam induci possint. Utinam, ô Lector, ita hæc se haberent. Nam vt de transigeranus prouincis maximam partem verè hæc dicantur, quàm multa tamen in iis vrbes, quàm multi ciues hoc coniurationis veneno infecti à Rege prorsus abhorrent: quippe quem nec suum legitimumque heredem, nec Christianum esse putent? sed librum modo percurrant: nec crassum istum, in quo tandiu versantur, errorem quamprimum deponent. Quàm multi praeterea in Regis etiam castris de illius Religione dubitant, qui lectis aliquot libri capitibus, & duodecimo potissimum,

cum

AD LECTOREM.

eam non modò Christianum agnoscent, sed ipsi etiam
 ipsis, qui in hæreseos crimen illum vocant, longè Chri-
 stianorem esse prædicabunt? Ad hæc in Picardia, Cam-
 pania, & Burgundia (si paucos ciues vrbesque admo-
 dum paucas, & in iis præcipuè Lingones nostros exci-
 pias) quæ resipiscentiæ species, quæ sanitatis spes appa-
 ret, cum Rege licet victore, duce factionis profligato &
 fuso, tanta virorum & numerorum inopia, tanta anno-
 næ caritate ac penuria, tam præsentis publicæ rei cala-
 mitate, tanta rerum suarum desperatione, tam grauis
 seruitutis, quæ ab Hispano & Lotharingo impendet
 expectatione, pertinacissime tamen in sua cecitate
 & impia coniuratione perstant, perniciem extremam
 sibi suisque omnibus constant, in præsens certissimum-
 que periculum præcipites & amentes ruunt? Quod
 si eò adduci possint, vt animis, ab omni odio, simultate,
 & partium studio vacuis ad hunc librum legendum
 accedere velint, in eò certè reperient grauissima & sa-
 luberrima verba & voces hoc est rationes & exempla
 ex libris tum sacris tum prophanis deprompta, quibus
 hunc lenire dolorem, & magnam morbi partem de-
 ponere, vel potius totum morbum depellere omnino
 possint. Equidem fateor, quia constat remedium
 quò tempestiuus est, eo etiam vtilius esse ac soluta-
 rius, si maturius liber hic emissus fuisset, maiorẽ tum
 voluptatẽ tum vtilitatem allatum fuisse, factũ
 rursus, vt multi, & à tam longinquo morbo conualuis-
 sent, & ab errore tam diuturno grauique resipu-
 sent. Sed crede mihi, Lector, nulla est hic auctoris, qui
 ad Idus Ianuarias opus absoluit, accusanda culpa
 sed vnica quorundam mora & tergiversatio, atq; alia
 qua

ad Idus Ianuarias
 1779 abs. d. v. b.

P R A E F A T I O

quaedam impedimēta, quae horum temporum iniqui-
 tas multis etiam aliis grauisimis rebus inferre solet.
 Quāquam autem paulo tardius & intempestiuis tū
 rebus omnibus in Regis ditionem & obsequium (quod
 Deus breui faxit) reductis, tum omnium animus ad
 pristinam concordiam reductis, opus hoc editum fue-
 rit: iis tamen qui vel vna tantum superstitione ducti,
 vel veritatis ignoratione allucinati, vel hostilium con-
 siliorum ignari à Rege suo defecerunt, & in sua dese-
 ctione pertinacissime hactenus perstiterūt, plurimum
 certe proderit. Non enim dubium est quin illi re tota
 diligenter excussa planeq; ex hoc opere cognita sapien-
 tiores facti à prauis in posterum consiliis abhorreant,
 ciues optimos virosq; bonos à seditiosis flagitiosisque
 diuidicent ac distinguant, pacem persequantur & a-
 ment, bellum verò (rem tam funestam & exitialem)
 bellique iniusti & illegitimi nec necessarij auctores
 detestentur & fugiant, regni dignitati, tranquillita-
 ti & vtilitati consulant, veram pietatem iustitiam-
 que sectentur & colant, denique suo se Regi totos sum-
 mittant, & in fide erga eum officioque maneant. Haec
 enim & alia eiusmodi multa opus hoc complectitur &
 docet: quibus si pareretur, in feliciore statu res nostrae
 versarentur, ac pro dissensione consensus, pro bello pax
 pacisque cōmoda omnia vigerent, legibus patris suum
 esset pondus & robur, Regi legitimo, quem & leges of-
 ferunt, & virtutes multae commendant, sua esset di-
 gnitas & auctoritas, suus locus & honos. Contrā fu-
 gerentur ista iuris diuini & humani pestes, haec homi-
 num portenta, hi alieni regni captatores, qui furiosis
 dominandi libidine rapti, quinquennali hoc bello (vt
 superiora ciuilia bella, quibus à xxx. annis misere per-

AD LECTOREM.

eos diuexati sumus, taceam) longè omnium crudeliffimo regnum hoc grauiffimè affligerunt, ac ferè totū euertent, ciuium animos impia aduersus Regem regnumq; coniuuratione adstrinxerunt, ad immanem suorum dirèptionem & incendia, deniq; ad nefariam sui etiam Regis cadem adegerunt. At hereticorum ille fautor erat. Docebit verò hic libellus nec eos, quibus hoc crimen inferunt, hereticos esse, nec, quamuis tales essent, infestis armis petendos, sed verbo diuino à sua heresi ad saniozem sententiam fuisse reuocandos. Quòd si Henricus III. eorum quos Christianos esse cõfessio ipsorum satis docet, & quos Regi regnoq; fideles esse res ipsa probat, operà ad se à coniuuratorum artibus & manibus vindicandum necessariã usus est, num ideo hereticorum amans fautorq; censendus videtur? Sanè, si Turca Christianus eò habendus est, quòd cum Gallorum Rege fœdus inierit, & Christianos in sui auxilium adhibeat. Tyrannus erat, dices. Vt talis fuerit, hic ipse liber ex sacra scriptura probabit tolerandum potius fuisse quam interficiendum, illius iugum ferendum, illi obtemperandum: eundem etiam qualiscunque esset, honorandum. Quòd si hic, vt nec multis aliis in rebus, sacre scripturæ, nedum huic (qui tamen ex illius fontibus emanauit) libro credere nolunt: at suis quæ nobis subinde obtrudunt, inculcant, obicitunt, & recipienda, probanda, sequenda vociferantur, quibus etiam maiorem auctoritatem, quam verbo diuino tribuunt, Conciliis saltè credant. Ac nò sibi verba dari à nobis putent, vt nobis olim ab iis data sunt, & hodie adhuc vulgo veritatis ignaro dantur: Ego de summa Conciliorum Lutetiæ excusa anno 1535 excerpti clausulam hanc ex Concilio Constantiensi

P R A E F A T I O

sestione is his verbis: Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum, vel subditum etiam per claculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque praestito iuramento seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato Iudicis cuiuscunque. Hac autem quaestio, ut videtur, à seditiosis quibusdam proposita ad disputandum fuerat, ut ex Concilij auctoritate statueretur, tyrannum quippe intolerandum corporum & facultatum vexatorem ac direptorem à quolibet interfici inculpate impuneque posse: neque solum, sed eum etiam quem hereticum censent, tanquam salutis animarum, uti loquuntur, tyrannum. Atque id postea, ex quo lux Euangely exoriri iterum coepit, à multo aduersus multos patrari coepit, ut superioribus annis ab Hispano aduersus Principem Auracum patratum est, & ab Hispanica Inquisitionis cliente Dominicano quodam aduersus Henricum tertium, saepeque aduersus piensissimam illam Angliae Reginam, & Christianissimum hunc Regem tentatum fuit: sed Dei beneficio frustrata. At Catholici illi parricida contrarium Synodi illius decretum, per quod suo singulari gladio fatentur cogantur, iam audiant: Aduersus hunc errorem (inquit) satagens haec sancta synodus exurgere, & ipsum funditus tollere, declarat & definit huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque tanquam haereticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, medacia, prodiones, periuria viandantem reprobata & condemnat: declarat in super

super & decernit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt haeretici & tanquam tales iuxta canonicas sanctiones puniendi. Hæc sunt decreta illius ipsissima verba, quibus tota monachorum, sacerdotum, & Episcoporum turba, immo tota pene ecclesia Catholica Apostolica Romana haeretica pronuntiatur. Eant nunc Doctores Sorbonici regni Gallici faces monachi Regicide, & horum omnium longè terribimè & deterrimè: esuitæ bellorum omnium civilium tubæ cum suis Pii, Gregorii, & Sixtis, atque in numerum scilicet duorum parricidarum illum hypocritam referant. Nunquid autem Rex ille defunctus Tyrannus erat, quem tota vitâ pacificum & ingenio a bellis abhorrenti fuisse constat? cuius etiam imperium, nisi Papæ, matris, Hispani & Lotharingi auctoritate, inductionibus, dolis & consiliis præter animum ingeniumque, transversum se agi (parùm decore nec generosè & regis satis) esset passus, sine vlla dubitatione humanissimum & mitissimum futurum erat? At immanes populi exactiones ad paucos locupletandos adhibita sunt. Esto ita sanè. Unde autem illi ipsi (qui hæc queruntur, & hoc quasi velum suæ ambitioni obtendunt) iique tam multi & à tam multis annis ad tantas opes & dignitates euecti sunt? Previa autem & munera illa licet immensa apud eos, quos Rex caros habebat collocata, quantula amabo sunt, si cum tantis tot bellorum civilium sumptibus, quibus tota Gallia per eos exhausta, & ad extremam rerum omnium inopiam redacta est, conferantur? Quando verius illi habendi sunt tyranni, qui

P R A E F A T I O

regnum alienum nefarius armis inuadunt, caedibus & incendiis miserrimis diuexant, direptionibus exactio-
 nibusq; immensis exinaniant, suum deniq; illi suc-
 cum, sanguinem & colorem ita detrahunt, vt nulla
 sint illius iam vires, nulla sana constitutio, nulla spe-
 cies? At de iis immanissimis omnium tyrannis non
 modo non trucidandis cogitamus, sed eos etiam vt Ca-
 tholicos fortissimos & de Repub. optimè meritos lau-
 dibus in caelum ferimus, regni gubernatione decora-
 mus, atque adeò regno toti praeficiendos verbis, scriptis
 armis contendimus. Quae rogo maior insania & caeci-
 tas aut videri, aut fingi etiam potest? Verùm conce-
 damus in regno administrando Henricum III. nec
 semel nec leuiter peccasse, regia potestate ad iniustam
 dominationem abusum, in aliquos seueriorem, in alios
 indulgentiorem, in hos maligniorem, in illos benignio-
 rem fuisse: nunquid tamen ideò illi cum regnum tum-
 vita eripi debuit, ab iis maxime qui multò plura pe-
 ioraque admiserunt, quique tot opibus & honoribus
 ab eo cumulati sunt? Nempe hi scepro insigniti in-
 stitius ac fidelius regno praesent. illud quidem is as-
 sentiar, si pullus vulpi, & agnus lupo, leoni aut tigri
 recte committantur. Quam iusti enim, quam se-
 deles & idonei tanti regni curatores atque admini-
 stratores fuerint, tempora haec postrema, in quibus
 tantum sibi auctoritatis & potentiae arrogau-
 runt, utaque illorum rei gerendae ratio satis testan-
 tur. Sed Ducem Guisum & illius fratrem Car-
 dinalem indicta causa interfecit. Iniuriàne, qui
 tot ab iis esset iniuriis atque indignitatibus affectus
 à quibus omni regni administratione, omni regni
 dignitate & potestate modo spoliatus fuerat, à quibus

bus vita quoque ipsa mox spoliandus erat? Id te, Le-
 ctor, caput XVI. verè & apertè docebit. Nam ne a-
 ctum agere tibi videar, pluribus hîc ea de re non a-
 gam. Vt verò minime fuerit Rex ab illis interfi-
 ciendus, sed tantummodo, (vt palàm etiam iacta-
 ve nihil verentur) in monasterium detrudendus: de-
 bueritne aut potuit equo animo eam tantam indi-
 gnitatem pati? Sed tanti viri non fuerunt interfi-
 ciendi, at illi vicissim non debuerunt tam multos
 tantosque viros innocentes, causa indicta, iniustissi-
 mè & immeritissimò irucidare, neque cum stragis
 Vastacenæ auctores, tum carnificinæ illius Sanbar-
 tholomææ socios vel potius principes atque architectos
 se præbere. Non debuerunt etiam ambitionis & a-
 uaritiæ suæ explendæ gratia tot bella, tot rapinas,
 tot incendia, tot cædes, tantam vastitatem, malo-
 rum denique Iliadem inuehere, quibus regnum
 hoc viribus & viris præcipuis exhaustum, ac splendo-
 re roboreque suo exutum videmus. Non igitur mi-
 rum si Deus, qui, quæ malanos facimus audis, vi-
 det atque vlciscitur, iustas de illis, & eò quidem
 grauiiores quò tardiores pœnas hoc modo per Regem
 sumi voluerit. Verùm Henricus III. non solùm
 iners & parùm fidelis publicæ rei administrator, sed
 crudelis etiam tyrannus fuerit, ac proinde, quando
 aduersarii ita volunt, regio sceptro indignus: nun-
 quid verò Henrico Borbonio Regi nostro obiectari hæc
 poterunt? quid enim eo liberalius, humanius, ad re-
 gnandum aptius, generosius, amabilius, admirabi-
 lius? vita anteacta, res ab eo ante gestæ, immo &
 quæ ab eo vigilantia, prudentia virtuteque singulari
 quotidie geruntur, satis ea comprobant, quæ ab au-

P R A E F A T I O

Etore non honorificentius quàm veriùs cap. XXV. prædicantur. Courraſii enim pugna qua diligentia & felicitate conſecta ſuit? quanta verò animi magnitudine Dieppana illa difficultate ſuperata, hoſtem tantis armatum copijs, tam multis rebus ſuperiorem ceo? in & ſudit, ac ſequē ſuosque ex iis in quas coniecti videbantur, anguſtijs mirificè feliciter que præter omnium opinionem explicavit? Quæ itē in vigilantia & celeritas in hoſte explorando ac præuertendo, quæ prudentia & ſollertia in acie inſtruenda, quæ in debellando ac proſtigando hoſte animi præſentia, quæ in perſequentis hoſtis reliquijs poſtrema illâ & omnium nobiliſſimâ pugna, fortitudo eluxit? Si tam præclarum ſucceſſum Deo, ut par eſt, tribuis, vel hinc igitur conſtat tum Regem Deo, cuius providentia & bonitate tot periculis eſt liberatus, cariſſimum eſſe, tum Regis cauſam, quam Deus ita tuetur iuſtiſſimam. In enim vel Ethnicus orator agnoſcens, Cauſa, inquit melior certè ea iudicanda eſt, quam Dijs adiuvèrunt. & Poëta: Victrix cauſa Dijs placuit. Quæ autem iuſtior cauſa eſſe poteſt, quam qua pro legitimo & à Deo conſtituto Rege, pro patria lege, pro bonorum libertate, & regni totius ſalute tuenda, ſolertia & ratione legitima ſuſcipitur? Si verò tam ingrem victoriam multis magnisque Regis noſtri virtutibus, quæ rurſum à Deo illi inſunt, deberi cenſes: (vere quidem cenſes.) quæ eſt igitur cæcitas & vaſana Principem tantis animi & corporis dotibus inſtitutum, tam illuſtribus belli pacisque artibus inſignem eum, que Regis ſanguinis primarium, denique generis animo, fide virtuteq; Francum reſpuere, ut alios quosdam externos, patriæ hoſtes, læſe maięſtatis reſpuere

Orat. pro
Ligario
Lucanus
lib. 1.

perduelles ingratisimos, excidii regni auctores accipias? Ut nolis eum tibi esse regem, at ducem certe velis tot imperatoris virtutibus clarum. Cur tamen eum tibi Regem non vis, cui cum natura, tum meritis quam plurimis, & quam maximis regnum debetur? Quia, inquis, est hereticus. At ox certe crimen, si verum. Sed in primæua Ecclesia, quæ Catholicam Romanam & doctrinæ puritate, & pietatis studio, & morum integritate longè superabat, Principes multi heretici, immo, quod grauius est, Pagani & Idololatræ extiterunt, quibus tamen se Christiani non inuiti submittebant. Demus tamen, quod non est, eum hereticum esse. At non est neque pertinax, neque insanabilis, qui promittat se conuocaturum sanctum & legitimum Concilium, cui parere velit: ut & habiturum comitia, in quibus de rebus ad regnum pertinentibus sapienter & utiliter statuatur. Sed demus iterum hereticum eum esse, & quidem deploratum: annon est autem crimen herejeos, quàm atheismi tolerabilius? Cui vèrò dubium est eos prorsus atheos esse, qui spreta a omni pietate, qui omni conculcata & violata iustitia ius alienum inuadunt, qui trucidant, rapiunt, incendunt, profana sacris miscent, omnia peruertunt & euertunt, ut votorum suorum quo iure quaque iniuria compotes fiant? qui sacrosancto Dei, Ecclesiæ, & Religionis nomine ad suam tyrannidem stabiliendam impie tandiu abutuntur? Vocentur & habeantur quantumlibet à vulgorum imperito, & à suis clientibus coniurationisque sociis, modè sacræ vnionis Principes, nunc Ecclesiæ Catholice Romanæ columnæ & pientissimi heroes:

P R A E F A T I O

quid istis titulis inanius & vanius, cum omnes illarum cogitationes, consilia & actiones vnâ impietatem spirent, oleant, euomant? & si id inficiari volunt, rei veritas planè reclamet? Vos ô tam nefariorum consiliorum auctores (ad vos enim iam se mea conuertet oratio) vos inquam, tam impie coniurationis & duces & comites & fautores, quæ verè dico, verè quoque agnoscite, tandem aliquando respiscite, vestrum genere ac virtutibus regis atque adèd heroicis Regem colite: atque patriam, quam tam hostiliter oppugnastis & lacerastis, serio propugnate & ornate, vt tam turpi perduellionis nota, quam vobis contraxistis, non nihil deleta, Deum imprimis, qui vos tot cladibus affectos ad saniores mentem & meliora consilia iam inuitat, propitium: deinde Regem, quo nihil est clementius & placidius, benignum sentiat. Si nulla subsit simulatio, & illo procul lubio vestri miserebitur, & hic vos ex animo amplectetur, in suorum numero habebit, atque acceptas iniurias quamuis grauissimas ac diuturnas communis concordia causa, voluntaria quadam obliuione conteret. Quamobrem siquid vestri vos erroris pœnitet, si vestra vos cacitatis pudet, si vestra vos conditionis, & totius adèd regni miseret, agendum ad Nobilitatis verè Gallicæ exemplū vos componentes, & animis viribusq; totis cum bonis omnibus Dei, Regis, regniq; amantibus a studiosis viris pie cōspirantes, ad Regis causam & rationes vos adiungite, vt tum regnū labascens sustentetur, ac penè iam lapsum iterum erigatur, & in antiquum decus roburque restituetur: tum Rex sapientissimus regni moderator, legitimusq; heres tranquillius regnet ac beatius cum

AD LECTOREM.

subditis omnibus agatur. At vos o Borbonij Prin-
 cipes, vos o Coronæ regiae consiliarij & administri,
 nobiles, ciues, milites omnes, quorum (secundum De-
 um & Regem) fide virtuteq; regnum hoc etiamnum
 stat ac nititur, & quos ideo laus immortalis apud o-
 mnem posteritatem manet, in fide & officio indefessis
 animis perstate: nec prius tum Regi regnoque præsto
 esse, tum Regis regniq; hostem (nisi mentem mutet &
 ad se redeat) infestis armis persequi desinite, quam
 tum Regi regnoq; sua dignitas & quies restituta fue-
 rit, tum hosti sua perfidia & parricidii poena persolu-
 ta. Si Regi, quod facitis, eo semper animo fide ac vir-
 tute adhaeritis, non hostes nobis, sed nos hostibus hor-
 ribiles & formidolosi erimus. Neque enim patriæ ho-
 stes, regniq; alieni venatores sua fortitudine, tanta mo-
 liuntur & audent, sed nostra ignavia: nec tam caussæ,
 qua nulla nituntur, iustitia regnum Gallicum ca-
 ptant & sperant, quam plerorumq; nostrum perfidia
 & vacordia: nec, quod possunt, quantum iam cumq;
 est, aut potius fuit, id propriis viribus freti possunt, sed
 nostris. ut verò plura possent, vos tamen illustrissimi
 fortissimiq; viri, vestras omnes opes & vires ad vestrum
 Regem defendendum, ad illius vestrosq; hostes prosti-
 gandos ac perdendos, ad patriam ab interitu vindic-
 andam alacriter conferre pergite: confisi nos, ut caus-
 sa potiores sumus, ita quoq; Dei, qui iustitia patronus
 est ac tutor, beneficio superiores euentu futuros. Sed
 quia tot tantiq; viri & de Rege regnoq; toto beneme-
 riti, non tam hortandi videntur quam laudandi, idq;
 amplius locique, temporisque spatium, viresque meis
 longè maiores desiderat: ne tam longa minimeque ne-
 cessaria oratione te, Lector, obtundam, & ab opere

P R A E F A T I O

longè vttiliori legendo diutiùs remorer, vbi pauca de
 meci instituti ratione bona tua venia dixerò, ego te ad
 Auctorem ipsum, qui cætera quæ requiris eruditè co-
 pioseque docebit, lubens à me dimittam. Quares
 enim fortasse, nec abs re omnino, quænam me ad hu-
 ius conuersionis laborem caussa impulerit, non valdè
 vt videtur necessarium, cum liber Gallicè in Gallorum
 potissimum gratiam editus fuerit. & ita eleganter
 scriptus, vt qui Gallica legerit, is Latina non sit ma-
 gnoperè desideraturus. Equidem vtramque, quod
 negare non possum, libens fateor: addo tamen nostrâ
 plurimum interesse, vt Germanus & Italus, itemque
 reliqui omnes perspectum ex hoc opere habeant, Hen-
 ricum IV. Borbonium, verum & legitimum Gallie
 Regem esse: & vt successionis iure non esset, tamen
 ob tot tantasque (quibus summos quosque & præ-
 stantissimos Duces ac monarchas vel æquat vel etiam
 superat) virtutes dignissimum esse qui Rex fieret: E-
 undem non esse hæreticum, sed verè Christianum, ac
 ne hæreseos quidem, cuius est expers, caussa posse à re-
 gno deturbari, cum præsertim per Concilium sanctum
 & legitimum doceri petat & velit: Nullam subditis
 & coniurationis Principibus fuisse caussam nec Hen-
 ricum III. necandi, nec bella hæc tam diuturna fune-
 staque mouendi, quibus leges ad interitum, ciues ad
 internecionem, regnum ad vastitatem vocentur, im-
 mo hæc omnia ferè iam profus deleta & extincta vi-
 deantur. Denique ne aliæ nationes eodem, quo con-
 iurati nostri sua nefaria consilia velant, nomine abu-
 tentes idem vel audeant vel ferant, monendas, atque
 ab omni impio in Principes suos conatu & violentia,
 (ne casdè, quas hinc nos passi sumus calamitates, ipse
 quosq;

AD LECTOREM.

quoque patientur) deterrendas fuisse. Id verò nisi Latinum sermonis opera & commercio fieri non potuit. Et si autem id me primum ac potissimum, atque adeò unicum ad hoc me laboris impulerit, nisi tamen priorum aliquot virorum exhortatio & auctoritas me mouissent, vix eò vnquam fuissem per pulsus: non solum quia haud quāquam par gloria operis interpretem & auctorem sequitur: (quod sanè minimum me mouet) sed etiam quia sum nonnihil iam expertus, difficile admodum esse, ita verba verbis reddere, (quod est periti & fidelis interpretis munus) vt interim orationi sua vi & gratia incolumis seruetur, & ab auctoris sententia nihil recedatur: id quod tamen vt non pessimè assequeretur, conatus sum quā potui diligentissime. quòd si conatus ille noster aliquantulum successisse videbitur, id Deo vni adscribendum erit, non mihi. Adde quòd versionem meam cum auctore ipso, optimo sui ipsius interprete, diligenter contuli, vt apertior & fidelior in manu tuas perueniret: neque eò contentu rem totam semel atque iterum ipse mecum ita excussi, vt si non posset omnino tibi placere, (quod praevirium mearum imbecillitate nec praestare nec sperare posse mihi videor) quā minimum tamen displiceret. Occurrent, scio, verba & locutiones aliquot minus tersa lectaque, in quarum locum alias, quae magis tibi fortasse arrisissent, lubenter nec difficile substituissem: sed vel longior periphrasis vitanda, vel argumento seruiendum, & in re Theologica tum rei veritatis, quā verborum puritatis, tum significationis ac sententiæ quā elegantiae maior habenda ratio, atque auctori (cuius eruditioni & iudicio plurimum tribuo) in eare, sapius obtemperandum, nec

inui-

P R A E F A T I O

inuitè quidem, quàm mihi indulgendum fuit, cum in alijs multis quæ aut argumento, vt dixi, aut consuetudini receptæ, aut perspicuitati condonanda sunt, tum in subiectionis voce quam Græci ὑποτάξιν vocant, pro qua, vt parùm Latina (hoc quidem sensu) usurpauit aliquando summisionem, sed auctoris iudicio non satis ἐπεγχεῖς: vt subiectionis verbo mihi semel atque iterum vtendum fuerit. Præterea, quos aliquando religionis reformatæ homines periphrasi paulò longiori: (vt, cum etiam dico, eos qui religionem puriorem vel reformatam profitentur,) eos locis aliquot Religiosos nomino, eius, qui de statu Reipublicæ & Religionis in Galliæ regna aliquot antè annis purè & eleganter scripsit, exemplum auctoritatemq; hac in re sequutus. Si quem tamen id nominis offendit, substituatur si malit Catholicos reformatos, aut fideles: quomodo & ille ipse passim loquitur, & sacri scriptores Græci eosdem nominant ἁγίους. Et de his quidem hæcenus. Atte autem, pie Lector, peto, vt hunc nostrum laborem, quem ego in Regis mei obsequium, in patriæ meæ utilitatem, in tuam etiam quicumq; sis & ubicumq; sis, gratiam lubens suscepi, tu quoque lubens accipias: ac me ista tua animi alacritate & candore ad alia, si modo possim, aggredienda tractandaq; inuites. Hoc te postremùm volo & rogo, vt à nostris hisce, multò certè quàm opus erat longioribus legendu vbi paululum cõquieueris, ad opus ipsum perlegendum accedas, eam quam antea memini, utilitate & voluptate abundè fruiturus. Rei in multa capita, conuenientissimè serie, inter se connexa & colligata partita varietas, omnè, si qua erit, legendi satietatem & fastidium releuabit.

labo-

AD LECTOREM.

Laborem voluptas condicit, tempus utilitas compensa-
bit. Sed enim iam tandem & ego scribendo & tu le-
gendo defessi sumus. Tu igitur humanissime Le-
ctor tantillum respira, nostris conatibus fa-
ue, & plurimum vale. E Museo nostro

XIIX. May M. D. XC.

Sedani.




ERRATA SIC RESTITUANTUR.

Pag. 5 lin 4. lege excitauit. 40. 2. præbebat 55. 100.
summissioni. ibid. in marg. regnante Principe Pagano
aut impio. 93. 25. dominantur. 100. 1. dele item. 185. pa-
cta fuerint. 247. purgandos. 279. tota. 310. 33. Mayen-
nensi. Reliqua quæ fortasse supererunt, cum pro-
pter temporis angustias perquirere non licuerit, tu
candide Lector pro tua humanitate corrige, nostrisq;
conatibus fauere perge.



o
o
r
i
u
j

100



EXPLICATIO CON-
TROVERSIARVM QVAE

A NONNVLIS MOVENTVR DE
HENRICI BORBONII Nauar-
rae Regis in Regnum Franciæ
constitutione.

*De vero & legitimo Henrici IIII. Nauar-
rae Regis ad coronam Franciæ successio-
nem iure.*

CAPVT I.



N tot ac tantis, quibus Gallia miserè
vexatur, dissidijs & calamitatibus,
hoc tamē boni inesse videtur, quòd
eas nec valdè diuturnas, nec expli-
catu admodum difficiles fore spe-
remus, cùm infinitæ istæ & concertationum
plenæ disputationes, non de regni successionis
iure, sed de quæstionibus quibusdam è Regis
persona enatis habeantur. Quòd si cuiuspiam
esset de hac controuersia disceptare, id certè
Lotharingæ proprium gentis videretur, ex ijs
quidem opinionibus, quas suis tum consilijs,
tum coitionibus ea de re hucusque concitauit.
Iam enim dudum nescio quid de sua illa iuris
specie clàm mussitare visa est: illius, inter fami-
liarissimos & intimos suos, hæ vnæ spes erant:
scopus item, ad quem præcipuè sua omnia con-
silia & cogitationes dirigere videbatur, hic v-
nus erat: dum genealogias compendij sui caus-
sa callidè fabricatas disseminat, vt hanc homi-
num mentibus opinionem injiciat, ex Carolo
illo

*Lotharin-
giæ gentis
scopus qua
hactenus
retēderet.*

A

illo

illo Magno se oriundam fuisse, & à Capetianis de suo iure vi deturbatam. Ab illa tamen Henrici III. Valesiorum postremi (cuius vita illius familiae spes adedè morabatur) tanto per illi expetita morte, quo maximè tempore sua illa iura, ne quis fortè alius ea vsurparet, palàm in ore atque oculis omnium proferre, & aperitis, quod dicitur, tibijs prædicare debebat, quippe populi viribus & gratia ad eam rem abundè instructa, non solùm de illo iure siluit, sed modis etiam omnibus docuit, & præ se, dictante hoc sibi conscientia, apertè tulit, nihil se omnino iuris in Gallicum regnum habere: ideoquè, si alia via ad id peruenire non posset, tota se proculdubidè caussa cadere. Ab aliquot iam annis familia hæc sibi comparauit

Roserium
Canonicus
Tullensis
Chronographus.

Canonicum quendam Tullensem, Roserium nomine, Chronographum, qui librum ea potissimùm gratia conscripsit, vt Lotharingæ familiae origines ac stemmata ederet, & eam ab ipsa Caroli Magni stirpe, velut à suo capite arcefferet, quò ad hanc controuersiam ac disceptationem, simul ac primùm daretur occasio, viam ipsi aliquam inde muniret. Verùm Dux Lotharingus in aulam Regiam aliquantò post profectus, & à Rege ipso super hac historia compellatus, eam continuò abnuit: facturum què recepit, vt Chronicus ille scriptor id emendaret. Mortuo autem Rege, Dux ipse in amplissimam spem adductus, ad Lingonenses & aliarum aliquot Urbium ciues, nec non ad quosdam Campaniæ nobiles viros scripsit, vt ad suas sese partes adiungerent. Omnia quæ videbat ad persuadendum ipsis, bellum

se iu-

EXPLICATIO.

se iuste suscipere, efficacissima argumenta in
 suis literis diligentissime adhibet. proponit
 quanto Religionis Catholicæ studio, quanto
 quanto Principum, cognatorum quidem suo-
 rum, tutandorum desiderio teneatur. Tunc
 verò locus erat ut doceret quidnam iuris in
 Gallicum regnum ipse cum tota sua gente ha-
 beret, si modò vel minima eius rei & spes &
 species obiecta illius animo, & proposita fuisset.
 Quæ enim vlla alia præclarior, ac specio-
 sior vnquam belligerendi occasio? At is ea de
 re ne verbum quidem fecit. Quisij quoque
 ipsi multis suis & ante & post Regis mortem
 actionibus satis comprobarunt, se istius con-
 fecti iuris planè pudere, & longè alia via sibi ad
 id quod cogitabant, contendendum esse. Ab
 insana illa & infesta incursione, hostilique mu-
 nitione aduersus Regem à Parisiensibus vi &
 indignitate summa extracta (Galli vulgò vo-
 cant *les barricades*) ijdem Regem eò adege-
 runt, ut Cardinalis Borbonius primus Regij
 sanguinis Princeps edicto pronunciaretur.
 Illud verò profiteri erat & agnoscere, primas
 in regni successionem familiæ Borboniæ de-
 beri. Alioqui, quo tandem nomine hunc il-
 li Principatum, & ut dicunt, prærogatiuam
 summo consensu detulissent? Ex his igitur,
 eos suo illi, quod prætendunt, in regni suc-
 cessionem iuri renuntiasse liquidò constat.
 Quin etiam omnes, quas ad Regis dignitatem
 euertendam, ad eum ipsum à piorum cœtu
 concilioque arcendum, & diris tanquam hæ-
 reticum scripto Pontificio deuouendum com-
 moliti sunt, artes & machinæ, nec non de ijs
 comitiorum autoritate confirmandis consilia

*Lotharino
 gi suo se-
 met gladio
 sugulans.*

non aliunde profectò emanarunt, quàm ex
 moribus & contractiunculis quibusdam ani-
 mi, rei ipsius veritate conuicti illum ad regium
 culmen ipsis huiuscè regni legibus vnum vo-
 cari: ab eo tamen omni ope atq; opera esse ar-
 cendum, etiamsi summa tranquillitatis huma-
 næ perturbatio & horribilis rerum omnium
 confusio consequutura esset. Cùm autem pri-
 mùm defunctus Rex interemtus fuit, boni illi
 viri ingenti lætitia perfusi, atque eximia spe
 animo quàm antea erectiores, literis peruulge-
 tis omnium hominum præsidia implorarunt
 & ad suæ factionis societatem appellarunt. A-
 ne minimam quidem gentilitij, quod in me-
 dio ponunt, iuris mentionem facere vnquam
 ausi sunt: sed contrà de suo illo Rege ce-
 ptiuo liberando, eo inquam ipso, quem ante
 primum Regij sanguinis Principem renuncia-
 uerant, sed tunc temporis ob coniurationem
 à se aduersus Regem sceleratè factam, vnà cum
 aliquot alijs in carcerem coniecto, verba rat-
 tum faciebant. Tunc tamen docendi locus
 rat & tempus, si aliàs vnquam, quale esset
 um istud ius, & quæ suæ essent, quas nobis o-
 tendunt, genealogiæ: vt saltem perfidiæ ac
 fectionis notam fronti suæ iniustam non
 delerent, eamq; in iustiore aliquam belli
 sequendi speciem conuerterent: præsertim
 cùm iam maximis, vt antea dictum est, & vi-
 bus & opibus valeret: Lutetiam regni caput
 præcipuamq; sedem tenerent: maximamq;
 populorum & oppidorum partem ad suum
 arbitrium atque imperium deditam sibi ad-
 ctamq; haberent. Nihilominus longè ali-
 iam loquuntur, non quòd regnandi cupiditate

(quæ sacri cuiusdam ignis instar eos, vt & maiores ipsorum, auos proavosq; omnes, exurit ac consumit, quæq; tot tantaq; incendia in hoc regno incitauit) tanta non iam ardeant, quanta vnquam. Sed in ea re agnoscere oportet & expendere diligenter conscientia ipsorum vim & effectum, quæ pati non potuit, illos ea in medium proferre, in quibus homines nil nisi merum mendacium, nisi etiam summam totius familiae infamiam perspicerent. Quæ cum ita sint, scripti Gallici aduersus Henricum IV. controuersia, atq; disceptatio illinc nulla esse potest. Adde quod, isthæc Lotharingia domus, & à regni iure, & à Regis sanguine tam aliena est ac remota, nobis etiam verè Francis tantum illustris & celebrata, vt supremus Senatus, ne nomine quidem Principum eos dignari vnquam voluerit.

Cæterum nulli, his iam exclusis, sunt vltimam alij, qui de Regni successione cum Henrico nostro contendere vlllo iure possint: nisi qui fortasse legum nostratum, quibus regni huius constitutio & status præcipuè nititur (has vulgò *fundamentales* vocamus) ignorant, de filiabus è Valesiorum genere ortis loqui velint. Verum nostræ illæ leges, quæ Regia dignitate mulieres prohibent & excludunt, tam præclarè institutæ, tam sapienter conditæ, tam certæ, tamquæ à multis sæculis, etiam cum vetus illa huius iuris species ab Anglis in controuersiam vocata est, sine vlla omnino varietate ac mutatione stabiles ac firmæ fuerunt, vt pluribus ea de re iam differere operæ nullum pretium esse videatur. Quamobrem hoc planè certum fixumquæ, & extra omnem con-

*Lotharingis exclusis
quis sure
succedat.*

trouersiam positum maneat, cum nulli hodie de Valesiorum progenie supersint, regni successionem iure ipso Borboniæ soboli deberi ideoque Henrico IV. quippe familiae totius primogenito, & quod ad hanc regni successionem attinet, ordine & gradu, primo. Hoc enim nemo nescit Borboniorum stirpem à Diuò Ludouico genere paterno procreatam esse, dignamque semper agnitam, quæ loco & dignitate Valesijs secunda esset: vti etiam in ea semper Regij sanguinis Principes cum nomine, tum publicis actionibus omnibus, & habiti sunt, & reuera fuerunt. infestissimique adeò Regis ipsius hostes, in eo quod ad Cardinalem Borbonium attinet, talem etiam illum agnouerunt, vt antea iam docuimus.

*Borbonij
Cardinalis
in suc-
cedendo
iure.*

De iure autem Borbonij Cardinalis, quod à nonnullis obijci posset, non magna sanè disputatio videtur. Guisiani quidem toto animo cogitabant eum ad Regium fastigium euolare, in hanc spem ingressi, eum non ita diu vixiturum: & quia suo beneficio Regios fascibus adeptus fuisset, eosdem sibi vicissim traditurum, atque, antequam è vita decederet, Regem etiam se designaturum. Sed tota hæc spes nulla alia re, quàm vna duntaxat contra rationem violentia, subnixæ erat.

Quod si Cardinalis ille ius aliquod sibi vendicabat, illud profectò aut Regni legis nomine, aut Regij sanguinis Principatû, qui in Guisiorum opera attributus fuit, nitatur necesse est. At ex eo, quod ipsi concessum fuit, aliquid iuris sumere, id verò sine ipsius deduc-

core & probro afferri non potest. Nam hoc maximè inter alia multa vnum, ex impia illa aduersus Regem conspiratione consequutum est, quum Rex funesto illo & ad omnem posteritatis memoriam atro detestabilique molitionum Parisiensium die, Lutetia tam indignè est eiectus. Quòd si vis adhibita est, constat ea quæ inde exorta, vel potiùs extorta sunt promissa, nulla iam & prorsus irrita esse. Et quæ violentia maior, atque indignior vlli vnquam Principi allata est? Annon hoc perinde est, ac si quis gladio alicuius ceruicibus admoto, eum ad se nuncupandum hæredem adigeret? Adhæc, illud omne Religionis odio, nulla ramen iusta de causa, factum est. nam Rex postea è coniuratorum manibus elapsus, longè aliter suam ea de re tota sententiam testatus est. Hac igitur ratione res erit planè soluta, & præclara illa iuris species, falsa prorsus & inanis.

Si verò successionem Regni deberi sibi contendat, quia & patruus sit, & nepoti suo ætate antecellat, causa etiam sine dubio cadet, eorum sanè, qui huius Regni & Leges & rationes vel tantillum cognitas habuerint, iudicio ac sententia.

Lex de Regni successione hæc est, vt *mas proximus familiae suæ, quæ succedendi ius habet, ordine primus in ius Regni succedat.*

Quod ita se habet. Patre mortuo filius natus maximus succedit. Quòd si filius natus maximus patre adhuc viuo decesserit, filius iste ius suum ad filium, si quem habet, natus maximum trans-

*Borbom.
Cardinas
li, an quia
patruus &
natus ma-
ior, Henris
co IV. sic
preferen-
dus.
Lex de Re
qui succes-
sione.*

fert: qui mortuo auo in Regni possessionem venit, vt in eandem venisset ipsius pater, si filio superstes vixisset. Quod si hæc stirps funditus interit, nec vllus mas ad succedendum restat, venit ad familiam in stirpe Regia proximam: & in ea quoque primogenituræ ordo seruetur, ac ius familiæ primogenito. Si vero ille mortuus esset antequam illi familiæ succedendi ius obueneret, ipsius filius cum primogeniti huius familiæ prærogatiua ordine quoque est proximus, & ad succedendum omnium maximè idoneus. repræsentatio enim patris ad filium locum habet, vt antea. Atque regni Gallici lex eiusmodi est, quæ semper vsurpata, & inuiolatè seruata fuit, vt ex nostris Chronicis colligere licet. Tuncquæ Regiæ hæreditatis successio non est velut hæreditatis successio, illius, qui decessit, hæredi iure debita. non enim eadem Regni quæ possessionis, quam quis vel patrimonio suam, vel pecunia sua partem relinqueret, ratio est. Nam Regiæ successio est earum rerum, quas pro suo arbitratu & iure veldare vel auferre poterat: at Regnum ab vnus Regis arbitrio eadem ratione non pendet. Regnum igitur non est eius generis successio, cuius sunt aliæ successiones sed ius consequendi Regni, cuius proprium fundamentum & ratio sita est in ea lege, quæ in huius Monarchiæ constitutione statim initio sancita fuit. Ergo, qui pro Cardinali Borbonio & scriptis & gladijs disceptant, successionum leges, quæ pro varietate locorum variæ esse possunt, absurdè & ineptè citant. Præscribit, præcipitquæ ratio, vt legibus, prout semper intellecta obseruataquæ fuit mentem

mentem ac sententiam suis circumscriptionibus sequamur. Ut sciat, cuius sit regno succedere, dispicitur quis ex tota familia alius anteire debeat. Qui verò est loco primogenitus, ille & iure ipso primus est. etenim stirpis prerogativam habet, dignitateque omnibus alijs præit. Ille est igitur, quamlibet ætate minor, qui cæteros loco & gradu præcurrit: ille ipse est proximus, atque ad succedendum prior & dignior. Atque id omnino cum ex multis clarissimis viris, qui eam rem copiosissimè tractarunt, tum præcipuè ex cuiusdam consiliarij Ioannis de terra rubea (qui ante centum & quinquaginta annos floruit) & doctissimi, & in publicis rebus tractandis in primis versati libro, ita semper actum in hoc regno fuisse constat. In Borboniorum familia illi Valesiorum, penes quos ius regnandi erat, proxima, primus Regij sanguinis Princeps fuit Antonius Henrici IV. pater. erat enim suæ gentis primogenitus, qui cæteros omnes dignitate atque ordine antecedebat. itaque Henrici Regis II. liberis adhuc impuberibus, sub eo nomine regni administrationi præfectus fuit. Si igitur Antonius, quo tempore mascula Valesiorum proles interijt, vixisset adhuc: ille citra controversiam proximus fuisset, & ex tota sua gente ad regnum capessendum aptissimus. Ex vita autem ille decessit relicto filio suo Henrico totius familiarie Borboniorum primo, qui reliquos omnes gradu iam superat, ut ipsius pater, quem adhuc superstes erat. Filius igitur patris personam in hac dignitate ac prerogativa representans, est proximus, & ad succedendum primus ac dignissimus. Hic autem Cardinalis exceptione sua

Loco primogenitus, iure etiam primus est.

ne sua excludendus est, nec audiendus, cum ait se natu maiorem, & nepote annis superiores esse, cum ob id non sit stirpis suae primogenitus, neque enim id nunc agitur, quis aetate sit maior, sed quis primogenitura & iure ipso ceteris in regni successione antecellat. Haec verò ita aperta & manifesta sunt, ut nulli planè alij ea unquam in dubium reuocaturi fuissent, praeter istos, qui, ut coronam Regiam successoribus legitimis eripiāt, nostras leges omnes peruertunt & subuertunt. Nemini homini dubium id fuit, quā Antonius Dux Vindocinensis Reginam Nauarrae uxorem duxit, quin ipsorum filij reliquos generis Borbonij Principes antecessuri essent. honoris gradus est, quem omnes huius familiae Principes illis semper detulerunt. Hic fuit matrimonij cum Henrico IV. & Margareta. Regis Caroli IX. sorore contracti scopus, ut si tum Rex, tum ipsius fratres sine liberis masculis decederent, Regnum illi obueniret. Neque id Cardinalis ipse Borbonius abnuuit. nam etsi extra omnem controuersiam positum id esset, ut eius tamen omnis praecideretur occasio, Cardinalis ille sua ipsius sponte nepotis sui matrimonio interfuit, eum quē Antonij fratris sui natu maioris verum filium, haeredem ac successorem, atque in rebus rationibusque omnibus familiae Borboniae primogenitum representantem, candidè agnouit, palamque confessus est: atque aded tum vniuersa, tum singula iura, nomina, rationes & actiones cum praesentes, tum futuras, quas sibi quippe è gente Borbonia nato, pro suo iure vindicare posset, illi haud inuitus remisit, concessit, ac transmisit, eaque renunciatio confirmata

*Cardinalis Regem
sua stirpis
primogenitum
et agnouerit.*

mata iureiurando & obfignata ab illo ipfo fuit, vt tabulæ publicæ eius rei fidem abundè faciunt. Quòd fi ab eo tempore mutata mente orationem quoq; mutauit: id sanè ad odiũ impulfu quorundã & malis artibus in nepotem conceptum: itemq; ad eam, quam illius animo iniecerunt, regni aliquando adipiscendi ſpem omnino referendum eſt. quæ penitus inſitæ perſuaſiones tantã vim apud eum habuerunt: vt ijs quaſi eſtu quodam abreptus, non ſolum ad nepotis pernitiã toto animo & ſtudio, totis etiam viribus incubuerit, quòd vna cum vita Regni quoque ſucceſſionem illi eriperet: ſed belli etiam aduerſus Regem dominum ſuum ſuſcepti ducem ſe fuerit profeſſus. Vnde ſatis conſtat, quàm nulla eorũ, quæ poſtea aduerſus eam renunciationẽ molitus eſt, habenda ſit ratio. Et de illa Cardinalis Borbonij aduerſus Regem noſtrũ iuris ſpecie hætenus.

Aduerſarij aliud ſubinde atq; aliud commiſcentes, vt voti ſui tãdem compotes quo iure quaq; iniuria ſiant, operæ ſe pretiũ aliquod facturos putarunt, ſi Regina Nauarræ Henrici IV. Regis matris cum Duce Cliuenſi matrimonium in diſquiſitionẽ vocarent: hinc innuentes Regem ex illegitimo matrimonio natũ eſſe. At hoc etiam ipſum nullius omnino momenti eſt. Hæc autem huius controuerſiæ eſt ſumma. Rex Franciſcus huius nominis primus, bellorũ aduerſus Carolum V. Imper. ſuſceptorũ neceſſitate adductus, cum Duce Cliuenſi, cui etiã cum eodem Imperatore parũm cõueniebat, foedus fecit. Huius autem foederis confirmandi gratia, Rex conſtituit Ducem illũ neptis ſuæ Ioannæ Principis Nauarræ Margaretae

Aduerſariorum calumnia, Regem nã ex legitimo matrimonio eſſe procreatũ diluitur.

retæ sororis suæ, & Henrici Albretij Nauarræ Regis filiæ nuptijs sibi deuincire. Virgo illa vix dum annos nouem attigerat, nec illius parentum mens vnquam voluntasq; fuit, vt eiusmodi matrimonium iniretur: idq; multis de causis. Rex nihilominus ijs inuitis vt perficeretur, pro maioris imperij iure voluit: atque ita nuptiæ Castelleraldi confectæ sunt. Postea verò, & priusquam ad pùbertatis annos puella peruenisset, postulauit, vt, quicquid factum transactumq; esset, irritum fieret, & pristinæ suæ libertati planè restitueretur. Id verò ita factum est, atque omnibus iustis solennibus, & iudiciorù formulis accuratè obseruatis, Pontificis etiam diplomate & auctoritate intercedente, ad eiusmodi matrimonij dissolutionè continuò peruentum est. Idq; totum iam inde ab anno Christi 1541. in supremi Senatus commentarios relatum fuit, vt ne res anteactæ virgini Principi fraudi, & ad aliud contrahendum matrimonium, cùm eius facultas daretur, moræ atque impedimento forent. Nam præter vim parentum voluntati allatam, ratio hæc maxima & grauissimæ erat, puellæ ætate. neq; enim matrimonium sine mutuo vtriusque partis consensu constare potest. Itaque nulla vsquam gentium lex extat, quæ impuberum matrimonium pro matrimonio habeat, ante nubilem quidem ætatem, hoc est contrahendo matrimonio aptam, prout tempus ad id legibus est constitutum. Omnes, quibus nos vtimur, veterum Romanorum leges, vt & Ecclesiastici canones, eiusmodi matrimonijs repugnant, & ea nullo loco nulloq; numero habent, nisi per ætatem confirmentur. Dissolu-
 tione

tione igitur contractus, qui re vera nullus erat, ad hunc modum legitimè facta, quid obstabat, cur non illa Princeps & verè & legitimè cum Antonio Vindocinensi Duce iuncta matrimonio esset? Etenim quamuis error aliquis aut defectus in Principe illa fuisset, habita quidem eius, quod admissum antea fuerat, ratione: iste tamen defectus neque Duci, neque liberis etiam ex eo & Principe vxore susceptis vlli damno esse poterat. Et in hac tota re nihil obscuritatis aut difficultatis, Iuris quidè peritis hominibus, inesse iudicabitur. Quin & Guisiani ipsi hoc in nullam controuersiam tunc adducebant, quum tanto studio, tantaquè contentione hocce Reginæ Nauarrex matrimonium ad suæ familiæ præsidium & decus sibi indulgeri flagitabant.

Ergo de Regis iure nulla iam esse controuersia potest. Atque hoc præterea ad id controuersas aduersariorum disputationes magis ac magis confirmandum, plurimum valet: Quòd iusta omnia solennia, quæ in tempore maximè turbulento ad vniuersum totius regni consensum testificandum desiderari possent, eius inaugurationi interuenerint. Rex enim defunctus cum videret, mortiferam sibi plagam inflictam esse, nec ignoraret quis esset legitimus suus successor, Henricum IV. Nauarrex Regem, talem esse agnouit, atque omnes qui tunc aderant, orauit & obtestatus est, eorumquè nomine reliquos etiam suos subditos, vt illius imperio morem libenter gererent. Si qui verò alij, secundum Regem, sua interesse putabant, ne quid in regni successione, nisi ex legum imperio, atque præscripto fieret: Principes quidem certè esse

Iusta solennia Regis etiam inaugurationi interuenerunt.

esse videbantur. At hi omnes summi imperij
ius illi iam tunc vltro, itemq; postea detulere-
runt: quin & pro illius dignitate facta rectaque
conseruanda cum Regis hostibus armis con-
tendunt. Hos autem Principes consequuntur
ordine Regiæ coronæ ministri. At, quotquot
sunt omnes, ita tunc senserunt, atq; etiamnum
sentiunt: se pro eo, quod Regiæ coronæ præsti-
terunt, sacramento astringi ad profitendum
Henricum IV. legitimum regni heredem, & ad
officium obsequiumq; suum illi præstandū ad-
uersus omnes, qui Regi, quo minus constitua-
tur, infesta & animorum & armorū conspira-
tione se opponunt. Porro ad illos Regis consi-
liarios & ministros accedunt præcipue omnes
huius Regni familiæ, quæ vnâ cum maxima no-
bilitatis Gallicæ parte suū studium ad eiusmodi
consensionē aggregant: itemq; totæ prouinciæ,
& clarissimæ vrbes, quæ in defuncti Regis ditio-
ne fideq; permanserunt. quæ quidē omnia con-
sensus vniuersi auctoritatem obtinere debent.
Quod si ex omnibus Principibus vnicus tan-
tū, nempe Cardinalis Borbonius, aliter lo-
quitur, aut quispiam alius vel ex Regiæ coronæ
ministris, vel ex nobilitate, vel nōnulli ex ple-
risq; vrbibus ciues: illi ipsi sunt, qui arma in de-
functum Regem hostili animo ceperunt, & qui
ob hanc indignissimam perfidiam ac defectio-
nem, omne de regni rationibus assentiendi ius
& dignitatem amiserunt. Præterea non ideo
Regis imperium recusant, quod de iure ipso
disceptent aut dubitent: sed de illius persona
duntaxat, quasi ad regnandū minimē idonea:
idq; prauis quorundam opinionibus persuasi
Regem hæreticū esse, & ab Ecclesiæ commu-
nionē

nione segregatum. Hoc enim in ore est ac sermone omnium; si Rex Catholicus esset, omnes illius imperiū libentissimè subituros. Illud autem nulli incommodo ac detrimento Regi esse potest, ut probaturum me spero. Hęc igitur omnia eò tandem spectant ac recidunt: Quòd ad ius Regię successionis attinet, nullam inde controuersiam iustè oriri posse: omnibus, atq; hostibus ad eò ipsis, si testem conscientiam adhibeant, consentientibus, illud ad Henricum Nauarrę Regem verè pertinere. Disputationes autem, quę tanta animi acerbitate fiunt, ex eriminum, quibus falsò eum & contumeliosè onerant, appendicibus nascuntur: nimirum, si ne Rex illo succedèdi iure hoc nomine spoliandus, ut ad externos, quorum id minimè refert, transferatur.

Principes, qui ad summum Imperium legibus vocantur, à Deo esse ordinatos, ideoq; illis parendum, nec ullum disputationibus locum dandum.

CAPVT II.

Pincipum, à quibus homines regantur, *Per Deum* constituèdorum auctoritas vnus Dei est. *Principes regnant,* Et quidem vult sic illud habeamus, dominationes erigere, deprimere, dispensare ac moderari, suę prouidentię maximè proprium esse. atque obedientiam, quam de hominibus requirit, in eo etiam perspici, ut eos, quos ipsis præficit, tanquam ipsius vicarios accipiant, & ipsi se submittant. Nec verò solet eos, qui regnaturi sunt, de cælo ipso palàm nuncupare, & quasi digito commonstrare; sed in eo & voluntas

luntas & prouidentia ipsius elucet, vt in vno quoque imperio ac statu sint leges, & certus quidam ordo constitutus, ex quo qui erunt ad imperandum designati, à nobis recipiantur. Quòd si ille ordo seruetur, & quispiã ad summum imperium hoc pacto euehatur, id perinde est, ac si Deus sua ipsius voce pronunciarer. Hic apud vos regnabit: nihiloq; magis licet cum ijs, quos publicæ leges constituunt, pugnaciter certare, quàm si Deus ipse adesset, nobis imperaturus, vt ijs ipsis nominatim pareamus. Illos quidem aliquando designauit vt quadam extraordinaria, reuelationibus & miraculis: vt Mosen populo suo Israëlitico, vt Iudices, vt primos Reges. At postquam ordo aliquis ea dere fuit definitus: quicumque ex eius ordinis præscripto in throno collocati erant non minùs verè & Vncti Domini, & Reges eo instituti censebantur & erant, quàm illi, qui olim ab illo extra ordinè delecti fuissent. Eisdem etiam dignitatum, ministeriorumque Ecclesiasticorum est ratio. Ecclesia enim in Episcopis & Pastoribus eligendis suam politiam & formam ex Dei ipsius voluntate & præcepto institutam habet. Cùm igitur politia eiusmodi in alicuius vocatione obseruata est: ille à quo Deo electus dici potest, atque ij, qui quondam præter ordinem cõstituti fuerunt, veluti Prophetæ, & Apostoli: quodq; de illis dictum Christo fuit, non minùs verè de hoc etiam ipso dicitur, *Qui vos audit, me audit: quiq; vos reijcit, & me reijcit.*

Matth. 10.

Principibus licet tyrannis parèdum.

Deus autem, qui Regum & Magistratum assignandorù auctoritatem sibi integram seruauit, non omnes sui inter se similes semper assignat.

assignat, sed quales ipsi placuit. Alij enim alijs ad gubernandū aptiores erunt: hi probi ac temperantes, illi dissoluti: nonnulli etiā interdum sceleratissimi, qui auctoritatem sibi à Deo traditam in tyrannidem conuertent. id autē Deo ita volente euenit, prout quidem hominum peccata per eos vlcisci decreuit. Sed qualescunq; illi sint, si ex legitimi ordinis obseruatione, & legum auctoritate nobis dati sunt, eos tamen tanquam Dei ipsius manu traditos recipere, & colere debemus: quiq; aliter faciet, is profectò Dei voluntati repugnabit. Ahas enim, exempli gratia, & Manasses non minùs Iudaici populi Reges fuerunt, quàm Iosaphat & Ezechias, alijsq; pij ac iusti Principes. si quod illorum discrimen fuit: illud in varia muneris ipsorū functione fuit. Verùm vt tum pijs, tum impijs Principibus suæ administrationis Deo erat reddenda ratio: sic vniuerso quoque populo necessitas sese vtrisque subijciendi à Deo imposta erat.

Nisi autem Regum constituendorum ordo ita obseruetur, nisi etiam Dei ipsius habeatur ratio, in ijs quos dedit cum omni animi alacritate ac submissione accipiendis: nã imperia in grauissimos casus variaq; discrimina sæpe veniant necesse est. Homines enim pleriq; omnes ingenio sunt ita peruerso, vt non æquo admodum animo alteri parere velint. adhuc naturalis & vsitata illorum inconstantia, spesq; & cogitationes inanes, rerum nouarum cupiditatem ac studium eorum animis non rarò injicere solent. Principe rectè & ordine ex legibus constituto, si locus adhuc controuersia & disputationi dabitur: ne vnum quidem repe-

rias, in quo non aliquid reprehendendū videatur: siq; leges non erunt eo apud nos numero & loco, vt impedire possint quò minus is, in quo aliquid vitij inest, de suæ dignitatis statu dimoueatur: non maior quidem erit illarum in optimis quibusque & laudatissimis Principibus retinendis auctoritas & vis: atque ita nihil eorum, qui ad rerum administrationem legitime vocabuntur, cuiquam satis certū, perenneq; & proprium vnquā erit. Tutius est certe ac satius ordinem legemq; sanctè seruare. Leuius enim malū est vitia quædam in aliquibus ferre: quàm rerū mutationes, quæ florentissimorum & potētissimorum imperiorū statum sepe conuellunt, vtrò arcessere, atq; attrahere.

*Veterum
Francorū
laudatus
mos in Re-
gibus reci-
piendis,*

Hæc fuit semper maiorum nostrorū prudentia, ex quo Regiæ successionis lex lata sancitaq; fuit, tanquam præcipuum status regni fundamentū. Non eodem ingenio, studio, ac moribus suos omnes Reges ex animi sententia semper habuerunt: sed quoscunq; lex dabat, hos ipsos haud inuiti accipiebant: quodcunque ferendum erat, æquo animo ferebant: atq; ab omni rerū mutatione planè abhorrentes, remedia, ad ea quæ sanari poterant, accommodata vtiliaq; adhibebāt. Si quid enim in ijs, ad quod regnum ex successionis lege veniebat, defiderabatur, aut ob ætatis infirmitatē, aut quamlibet aliam imbecillitatem, qua quidem ad regni administrationē inepti redderentur, eos ob id minimè respuebāt, sed quàm poterant optime providebant, ne quid detrimenti regnum inde caperet. Permulti adhuc impuberes, atque aded in ipsis incunabulis vagientes in regni possessionem vnico successionis iure veniebant.

hant: nonnulli etiam dum è matris utero prodirent, potiùs expectabantur, quàm vlla successoribus legitimis iniuria fieret. Carolorum Regum nostrorum vnus fuit simplex & mentis expers, alius phreneticus ac furiosus. Hæ verò satis iustæ, specie quidem ipsa, causæ erant, cur illos ab omni regni administratione prohiberent, & alios qui digniores viderètur, ad eam vocarent. Sed tanta olim erat legum huius regni reuerentia, & respectus: tantus, ne vlla ad rerum mutationem nouitatemq; via aperiretur, metus: tanta, ne homines suo iure priuarentur, priscis illis Francis religio fuit, vt satis & sibi & toti regno factum putarent, si regni gubernatio ac procuratio agnatorum cuiuspiam potestati committeretur: sceptro interim penes eum semper remanente, cui leges illud, succedendi iure, adiudicassent. Nempe vnusquisque hoc ita fore sperabat, vt pueri quidem ad eam ætatem peruenirent, qua suo ipsi munere fungi aliquando possent: alij verò sua illa animi infirmitate leuarentur, per quam à rebus gerendis ad aliquod tempus auocabantur.

In cæteris omnibus imperijs probè quidem constitutis, non pauca eius rei exempla extant. Ac illud inter omnes constat, quanti apud Israëliticum populum esset hoc nomen *VNCTVS DOMINI*, hoc est, ille, quem Deus ad solium Regium extulerat, etiamsi non rarè quidam ea dignitate ornati, sceleratissimi existerent, & imperio longè omnium indignissimi. Nam vt vnum ex multis proferam, qualis tandem Saul fuit? quot quantaq; illius de regno deturbandi causæ fuerunt ob sacrificorum

Vnctus Domini.

trucidationem, Dei contemptū, & manifestam ab impuris spiritibus mētis alienationem? Nihilominus tamen tum vniuersus populus in summa erga eum fide persistit: tum ipse Dauid, vt in sacra scriptura videre est, maxima cum obseruantia coluit: hac vna potissimum ratione adductus, quòd & VNCTVS DOMINI, & illius voluntate ac decreto in sede regia collocatus esset. quanquam alioqui Dauid ipse & Sauli successor esset designatus, & Saulem infensum sibi infestumq; hostem haberet. Cùm igitur huius regni leges Henricum Nauarræ Regem ad gubernacula regni tractanda hodie vocent, nec possit quisquam illius iuri reclamare, quin suæ ipsius conscientiæ simul reclamet, nulli nostrum dubium esse potest, quin eum Deus nobis Regem moderatoremq; præficiat. Quo posito, & vt par est, approbato, disceptationes, quæ ab aduersarijs contra eum fiunt, vt nos ab illo recipiendo deterreant, non sunt nobis temerè audiendæ. Deo enim repugnaremus, & fenestram longè periculosissimam ad maiorum nostrorum prudentiam fidemq; infirmandam patefacere mus. Accusatur Rex ab aduersarijs vt hæreticus, & ab Ecclesia Pontificis decreto abdicatus. hoc ei vt crimen & probrum aduersarij obijciunt. Et plerique iam causâ indicta, nullaq; accuratiori disquisitione facta, satis hinc causæ ad detrectandum illius imperiū sibi esse putant, & de altero in eius locum substituen- do cogitant: alij dubitatione æstuant, & in causa incerta ancipitiq; versantur: nonnulli frigidis & perfunctoriè suum illi obsequium præstant: sunt quidam, qui hærentes & anxij, quæ se ven-

se vertere debeant, tempus sibi ad ampliùs de-
 liberandum postulant: huius autem regni ho-
 stes hanc vnam caussam & prætextum suæ cu-
 piditati obtendunt, vt illum bello petere nun-
 quam desinant, & populum ad defectionem
 magis ac magis concitent. In primis tamen
 hoc statuendum est: regnandi ius, & ordine &
 huius regni lege, Regi nostro deberi. Præterea
 videndum, an ille talis sit, qualem hostes eum
 esse dicunt: Denique, quanquã talis omnino
 esset, nunquid in ea re satis argumenti sit ad
 imperium illius recusandum. Permagni enim
 hoc refert, Principem publicæ rei, quam Deus
 & leges ad ipsum deferunt, administratione
 spoliari. Quòd si lectores nõ grauabuntur ho-
 rarum aliquot spatium mihi largiri, probatu-
 rum me: Deo iuante, cõfido, Regem non esse
 nec hæreticum, nec è piorum cœtu verè seclu-
 sum, & quamuis id ita esset, quod non est, atta-
 men & hæresin, & à societate Ecclesiastica ab-
 dicationem, caussas non esse necessarias ac le-
 gitimas ad sceptrum Principi, cui debetur, de
 manibus extorquendum.

*Quanquam Rex hereticus sit, aut infidelis,
 illius tamen imperio parendum esse.*

CAPVT III.

Illud iam nõ agitur, An Regi hæretico sit ob-
 temperandum, quum aliter aut facien dum
 aut credendum iubet, quàm Dei verbum in sa-
 cris scripturis nos doceat. Nemo enim ei, quod
 disertè cautum & præscriptũ est, reluctari po-
 test, nempe, Deo potiùs esse parendum, quàm homi- Act. 4.
 nibus. & in ea re sanctorum omnium Martyrum
 exempla, regula sunt nobis optima, quam hic

sequi debeamus, sed in illo est cōtrouersia posita: An Rex, si sit impius & hereticus, regnandi ius amittat: An subditis aduersus eū seditiōē ac discordiā concitare, obsequiū illi debitum exuere, & alterū, cuius imperio regātur, in eius locum sufficere liceat. Hęc cōtrouersia eō nobis solutu faciliōr erit, quōd non iam nūc, sed à multis antè seculis agitata & discussa etiā fuerit. De conscientia autē & religione quęstio est: idcirco eius explicatio & solutio ex sacris scripturis petenda, in quibus perspicere licet, quid de ea Deus statuatur, & quomodo pij omnes viri, cū tale quippiam occurrit, in eo se gesserint.

*Superioris
impietas
subditum
obediētię
officijs non
soluit.*

1. Cor. 7.

In lege diuina p̄ceptum de parentibus honorādis ad eos omnes, qui in potestate alicuius quoquo modo sunt, generatim atq; vniuersè pertinet. Vt igitur in liberorum erga parentes officio ipsa se subijciēdi ratio suos habet fines, quibus regitur & circūscribitur: sic in alijs obsequiorum, quę ab inferioribus in superiores p̄stantur, generibus eadem est ratio: quamquam tamen alia alijs arctiora sint. Si filius est pius, impius verò pater: filius morem patri gerere nō debet, si quid pater contra religionem & conscientiam imperet. sed patris tamen impietas filiū alijs omnibus obseruantię, obediētię, & submissionis officijs nō soluit. Seruus item non continuò in libertatē est vindicatus, si dominus fuerit hereticus, aut impius: nec uxor viro suo minùs subiecta erit, ob eius infidelitatem, quamdiu quidē consentit ad habitandum cum ea, vt D. Paulus docet. Idem omnino de subditorū erga Principem submissione sentiendum est ac statuendum. Nam & nominatim hoc passim p̄cipitur, vt subditi Principibus

pibus & obediant, & se submittant. Christus Matth. 22.
 rogatus an Principi Pagano & externo tribu-
 tum pendendum esset, pendendū esse respon-
 dit, illiq; reddendum quę sua essent, vt etiam
 Deo, quę Dei. D. quocq; Petrus Christianos ad 1. Pet. 2.
 id hortatur his verbis: *Subiecti estote cuius hu-
 mane ordinationi propter Dominum: siue Regi, vt qui
 superemineat: siue præsilibus, vt qui per eum mittan-
 tur, tum ad vitionem maleficorum, tum ad laudem
 rectę agentium.* Illudq; ipsum paulò etiam pòst
 repetit, tanquam minimè prætermittendū:
Deum timete, Regem honorate. D. Paulus in alijs
 bene viuendi præceptis vt plurimùm con-
 tractus ac breuis, in hoc longam orationem
 instituit, vt omnem disputandi ansam præ-
 cideret: *Omnis, inquit, anima potestatibus super-* Rom. 13.
*eminentibus subiecta esto. non enim est potestas nisi à
 Deo: & quę sunt potestates sunt à Deo ordinatę: itaq;
 quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit:
 qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem aufe-
 rent. Nam Magistratus non sunt terrori bonis operi-
 bus, sed malis. Vis autē non metuere potestatem? quod
 bonū est, facito, & laudem ab ipsa obtinebis, Dei enim
 minister est tuo bono. Quòd si feceris quod malum est,
 metue: non enim temere gestat gladium. Nam Dei
 minister est, vltor ad iram ei, qui, quod malum est, fe-
 cerit. Quapropter necesse est subyci, non solùm propter
 iram, sed etiam propter cōscientiam. Propter hoc enim
 etiam tributa soluitis, siquidem ministri Dei sunt, in
 hoc vnum incumbentes. Reddite igitur omnibus quod
 debetis, cui tributum debetur, tributum: cui vestigal,
 vestigal: cui timor, timorem: cui honor, honorem. Et*

idem alibi. Suggere ipsi, vt sese subiciant principibus ac potestatibus, vt Praefectis ac Moderatoribus obtemperent, vt ad omne opus bonum parati sint. atque ita Christus ipse, omnesq; illius Apostolica de re loquuntur, & praecipunt.

*Prima ob-
iectio ex
exemplo Chris-
ti & Ap-
ostolorum
deriuitur.*

Neq; verò est quòd quisquã obijciat, eos de Principibus fidelibus ac Christianis, quales Ecclesia trecētis aut quadringentis pòst annis habuit, verba duntaxat facere: loquuntur enim manifestò de suæ ætatis Principibus ac Magistratibus, qui omnes Pagani erant, infideles, & maxima ex parte infestissimi Ecclesiæ hostes. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quòd Christus Cæsarem nominet: eum proculdubio innuens, cuius imago in nummo illo, qui tunc in vsu quotidiano erat, inscripta esset. ille autem, Romanus Imperator erat. Ad hæc loquitur de presenti submissione, nò de ea, quæ multis pòst ætatibus futura esset. quin ipse eo momento palàm tributū persoluit, hoc est, se illius esse subditum hoc pacto agnoscit, qui tunc dominatū principatumq; in Romano Imperio habebat. Apostoli quoque loquuntur de obedientia, quæ præstari ab ijs debebat, ad quos tunc scribebant. Atq; D. Paulus hominum animos ad Deum vnū reuocans, tanquã ad potestatum & principatum autorem, præsens tempus vsurpat: *Quæ sunt, inquit, potestates, à Deo constitutæ: non autem, quæ potestates erunt.* & ex eo quod tunc fiebat, quum tributa pendebant, argumentum ducit.

*Alteræ ob-
iectio.*

Si hoc itè affertur, Imperatores non ita præclare suū tunc munus gessisse, vt ab Apostolo dicuntur: Respondetur, illius quidè ætatis Imperatores in imperij sui administratione grauiter peccasse.

peccasse: nullam tamen ob id in ea confusio-
nem extitisse. Etenim delecti quidam viri in
singulis prouincijs constituti erant ad ius dicē-
dum, & suum cuiq; ex æquo & bono tribuen-
dum leges latæ iam dudum erant, ex quarum
præscripto iudicia exercebantur: nec scelera-
tis viris impunè quiduis licebat. Erat igitur ali-
quid de eo quod Apostoli commemorâr, nem-
pe de finibus, quorum gratia Deus ordinem
politicum atq; Magistratus constituit. sed Apo-
stoli accuratiùs & perfectiùs de Magistratum
& subditorum officio differendi occasionem
inde arripiunt. Hoc tamen liquet, eos locos
non alio sensu accipi posse, quàm quo Christus
eos vsurpat, nempe de Imperatoribus, qui tūc
Imperium Romanum obtinebant, & eorum
legatis ac subpræfectis. Cur autem Apostoli id
tam copiosè ac diligenter tractarent, occasio è
renata oblata erat. erant enim non pauci, qui
libertatis Christianæ nomine iugum istud gra-
uiter & iniquo animo ferebant: altercationes
multæ magnæq; fiebant: & Magistratus, qui
tunc Rempublicam curabāt, vituperabantur:
vt fuere semper quidam fanatici, & mentis pa-
rùm sanæ homines, qui libertatem illam spiri-
tualem Christi beneficio ac merito nobis par-
tam, aliter quàm ratio & veritas postulant, in-
terpretati sunt, nec potuerunt spirituale Chri-
sti regnum, & ordinem politicum discernere:
id perspicitur ex ijs quæ D. Petrus secunda sua
epistola, & quæ D. Iudas scripserunt. Hoc igi-
tur mali vrgebat, nec non metus, ne Christiani
per hanc causam Imperatoribus, qui tunc re-
rum potiebantur, obsequium ac fidem, quam
debeant, recusarent. ideoque Apostoli ad pa-
rendum

rendum eis omnes cōmonefaciunt. Et quoniam illi, qui erga Magistratus malè animati erāt, religionem ac cōscientiam, quasi velum quoddā suæ contumacię obtendebant, D. Paulus ob id, cōscientiā nominatim exprimit, quam vt apud Deum omni culpa, hac quidē in parte, liberarent, ac probarent eam se integrā rectamq; habere, Magistratibus obtēperandum esse monet. Alibi etiam quātōpore ad religionis dignitatem id faceret, diligenter ostendit, nempe in Christiano cœtu, hoc velut regulam obseruandū, vt quotidie fierent deprecationes apud Deum pro ijs, qui reliquis præessent ac moderarētur. *Pro Regibus, ait, & quibusuis in eminētia cōstitutis* (tempore præsentis id effert) *vt tranquillam ac quietam vitā cum omni pietate et honestate degamus.* Prisci doctores omnes hos locos superiores & intellexerunt & exposuerunt de Imperatoribus, qui tum Rempubl. suo imperio & auctoritate administrabāt: vt nihil esse necesse videatur ea de re pluribus disputare. Imperatores autem Christi & Apostolorum temporibus erant Tiberij, Caligulæ, Nerones, nēpe Pagani omnes, idololatræ, & flagitiosissimi quicq; Principes, simul & primi Ecclesiæ Christianæ vexatores. Concludamus igitur hanc esse Christi & Apostolorum doctrinā, quum Deus nobis Reges & Principes præficit, etiam si infideles, Pagani, & hæreticis aded ipsi deteriores fuerint, illis tamen nos subiiciendos esse, nō autem respuendos, nec seditionem aduersus eos cōcitandam, qua impedimētum ipsis inferatur, quo minùs regnent. Hæc autem Dei præcepta perpetua quadam, & vix vnquam interrupta ætatum serie, ad eius rei, quam diximus, probationem, bonorum

1. Tim. 2.

bonorum virorum exempla consequuta sunt.

Neq; hoc in dubium reuocandum est, quin S. *Propheta*
 Prophetæ olim de hac sese subiiciendi ratione *rum idem*
 eadem præcepta tradiderint, quæ de Apostolis *quod Apo-*
 iam ipsis hausimus. Populus Israeliticus in *Æ-stolorum*
 Ægypto sub ditione & imperio Pharaonum, qui *dogma,*
 idololatræ erant, per diu fuit, et quanquam po- *Pharaonũ*
 pulus ille miser quidem, sed Deo gratus, acce- *tyranni.*
 ptusq; , inductione quadam animi crudelissi-
 mæ ab ijs tractaretur: non prius tamen tam du-
 rum seruituris iugum excussit, quàm Mosis cœ-
 litis oblata specie & extraordinario Dei man-
 dato, Ægypto excedere iussus fuerit. Ve-
 rum enim uero (vt, quantus sit ad Principes
 quantumuis impios & tyrannos habendus re-
 spectus, hinc etiam magis magisque confirme-
 tur) vetuit Deus suum illum populum ex re-
 gni finibus egredi, nisi prius à Rege exorata dis-
 cedendi venia. Quo tempore Reges eidem *Reges Is-*
 populo gubernando præfecti erant, fuere sce- *raelitico*
 leratissimi heretici & Religionis veræ deserto- *impj.*
 res, neq; solum, sed Ecclesiæ etiam afflictiores,
 vt Achabus, Manassès, & alij eiusmodi. Attamé
 nulla vnquam, vt ex sacrorum Bibliorum mo-
 numentis constat, à bonis viris coniuratio fa-
 cta est, per quam sceptrum & illis eriperetur,
 & alijs traderetur, sed omnes ad vnum illis
 subiecti erant. Ab eo tempore in Principum *Regibus*
 externorum potestatem peruenerunt, quo- *externis*
 rum primus fuit Nabuchodonozor, isq; Paga- *parere im-*
 nus, qui cum & totam regionem, & Hieroso- *bentur Im-*
 lymorum urbem, ac templum ad eò ipsum mi- *dei.*
 serè vastasset ac diripisset, omnemq; suum
 conatum eò pararet, vt illius populi reliqui-
 as à veri Dei obseruantia ad suorum idolorum
 cultum

*Exempla
eorum qui
impijs Prin-
cipibus su-
m resisten-
tiam, qua-
seuus imis
tanda,
Iobu.*

cultum transferret : Deus nihilominus , per Prophetas suo illi populo præcipiebat , vt illi speritate ac salute deprecaretur. Atque is factus ad Christi vsque adventum Israelitici populi status.

Iehu quidem aduersus Iezabelam , & Achabi familiam idolorum cultui deditam conuincit, iurauit, regnumq; etiam ipsum ijs eripuit. Instinctu diuino afflatuq; nouo quodam & edito extra ordinem mādato id aggressus est, Deo volente iustas tot cædium pœnas ab ea familia repetere. idēd eiusmodi factum nulli ad calidum quid suscipiendum exemplo esse debet: immo verō quia suo potius animo ac libidini obsequutus erat, quā Deī voluntati & vocationi illud tandem consilium factumq; nec ipsi, nec ipsius posteritati ex animi sententia successit. Post reditum autem ex captiuitate Babyloniarum Machabæi Antiocho etiam obstiterunt, eorumq; consilia & conatus Deus suo fauore comprobauit. Sed Antiochus tyrannicus alienigenæ dominationis possessor, expulsor, ereptor erat: qui nullo alio iure fretus Regium nomē & auctoritatem in eum populū vsurpauerat, quā vni dominandi libidine, & eo, quo præceptus ferre batur, furore atq; insania: violans etiam ea privilegia, quæ populo illi ab Alexandro, cui successerat, concessa antea fuerant.

*Christi, A-
postolorum
& prima-
ria Eccl. sic
exemplo
Principi-
bus parin-
dum,
Iohan. 19.*

Deinde à Christi temporibus, hanc ipsam quam tantopere commēdamus, & hortamur obedientiam Principibus impijs Christianis semper tribuerunt: quorum in numero est primus Christus ipse, dum tributum soluit, & Ioh. 19. Pilato Imperatoris tantū legato, quicquid

potē

potestatis ac dignitatis haberet, id ipsum à Deo inesse agnoscit. A Christi, & qui eum sequuti sunt, Apostolorum temporibus, trecēti propemodum anni effluerunt, per quos Ecclesia Christiana in Imperatorum potestate fuit, qui vt idololatræ & infestissimi Christiani nominis hostes, omni crudelitatis genere veram Religionem profligare nitebantur. Attamen præcepta de sua in Principes fide & obedientia, illis à Christo & Apostolis tradita inuiolatè seruata sunt: nec Christianos quicquam vnquam contra Paganorum Imperatorū auctoritatem fuisse ausos vsquam reperitur. Extant adhuc *Iustinus* Christianorum eius æui scripta, quæ edebant *Martyr.* ad suæ causæ defensionem aduersus inimicorum suorum calumnias, à quibus in contumacia crimen vocabātur, quòd ex Imperatorum in *Apolo.* decreto Deos illorum fictitios venerari nollēt. In omnibus eiusmodi monumentis Imperatores illos, licet ethnicos, suos esse legitimos Magistratus profitentur, & à Deo illo, quem colebant, in ea dignitate esse constitutos: testificantur se illis fideles subditos esse: declarant preces se apud Deum assiduas pro eorum salute in suis concionibus fundere: rogant præterea, num in tot coniurationibus, quæ aduersus Imperatorum salutem atq; amplitudinem factæ fuerant, vel vnus Christianus proferri posset, qui earum conscius esset ac reus. Id autem factum est tempore primitiux Ecclesiæ ad Constantinum vsq;. Postea verò rebus gerendis præpositi Dei beneficio sunt pij & Christiani Imperatores; quibus tamen nonnulli admisti sunt nequissimi sanè homines, hæretici, & manifesti hæreticorum fautores, & qui pios atque

Ortho-

*Valensim
perator.
Iulianus
Apostata.*

Orthodoxos Episcopos, aliosque bonos viros
exilijs & cruciatibus indignissimè multarent.
Talis fuit Valens quidam Imperator, & alij se
inprimis extitit impius ille Apostata Iulianus
qui à Religione Christiana, quã fuerat profes-
sus, ad Paganismum descivit, atq; adeò pro
Iulij conatus est & Christum & omnem de Chri-
sto doctrinam planè opprimere. Hic tamen
Christianis omnibus nemo in hãc vocem er-
ipit, coitionem faciendam esse, vt sceleratos eius
modi Imperatores à gubernaculis deijcerent.
Neq; putandum cuiquam est, vt sua ætate dis-
sertus Tertullianus, ad cõcitandam seditionem mo-
satis magnum tunc temporis Christianorum
numerum fuisse: qui etiam postea partibus in-
finitis auctus est. sed ex doctrina Apostolorum
didicerant submitendum sese & parendum
Principibus, quales tandem cunq; Deus pro-
poneret, & quantumuis essent impij atq; Ec-
clesiæ hostes.

*Constanti-
ni M. ex-
emplum
quatenus
sequendũ.*

Constantinus quidem Magnus summouit
imperio Maxetium, & deinde Licinium, quò
Ecclesiam perturbarent, atq; vexarent: Sed
summus erat Magistratus, qui iustissimè illo
bello persequi posset, illud igitur nihil simile
habet illis quæ hodie sũt, quã populi sub Reli-
gionis nomine & studio, à suo Principe defici-
unt. Iuliani illius Apostata tempore fuere quidam
Episcopi, qui in eum scripserunt: sed non
abs re, quia ille scilicet Religionem Christianam
scriptis inuadere ausus esset. Tunc verò cui libet
& scribere & loqui licet aduersus quemlibet
Dei honoris, & causæ Euangelij vindicanda
ergò. nam & id fit sine villo tumultu, sine vlla
ordinis publici perturbatione, At pios illos
Episco-

Episcopos ad populum in suum Principē concitandum aut spectasse, aut tantillum cogitasse: illud verò in tota veteri Ecclesia factū susceptumq; fuisse nunquam reperiētur. Sunt ad huc in Canonibus Pontificijs locorum è Doctoribus antiquis corraforum fragmenta quedam, ex quibus constare omnibus liquidò potest, quid primæua Ecclesia de hac Principibus licet impijs, & à Religione Christiana profus alienis subijciendi se necessitate senserint: ac nominatim de eo, quod ad Iulianum attinet, qui reliquos omnes Imperatores impietate, & insigni in Christum odio superavit. Illic enim eum à militibus etiã Christianis agnitum fuisse pro suo Principe, qui gladium à Deo traditum haberet, & cuius ductu atq; auspicijs bellum bona fide rectaq; conscientia ab ijs gereretur: eidemq; summam ab illis obedientiam sine vlla exceptione præstitam fuisse videmus: nisi quum impius ille Iulianus aliquid de Religione contra Dei præcepta edicto sanciret. *Canō. Iulian. 11. 4. 3.*

Tota illius ætatis Christianorum propugnandi ratio hæc erat: Patientia, assidua pro illis etiam Imperatoribus, à quibus tantopere vexabantur, preces, consensus item mutuus, & pia omnium ad mortem pro Christo constantissimè oppetendam, quandocunque DEO ita placitum esset, conspiratio. Id quod sanè & ad gloriam Dei vindicandam, & ad Catholicam Religionem tutandam atque amplificandam longè efficacius erat, quàm vllæ vnquam defectiones, & nefariæ illæ (quas specioso Sacræ vnionis nomine tegunt ac velant) contra Principes suos initæ coniurationes futuræ sint. Immo verò dici hoc potest,

& me-

*Canones
Pontificij.*

*Primæua
Ecclesia
ad
aduer-
sus tyran-
nos.*

& meritissimò quidem, Religionem Christianam nec puriorem vnquam fuisse, nec plus etiam incrementi habuisse, quàm quum Imperatorum & Principum impiorum, Ecclesiam què miserè affliçantium imperio premeretur. Non quòd ardentissimis apud Deum obsecrationibus optandum expetendumq; non sit, ut nostri Principes fideles sint, & Ecclesiæ alumni: (quod etiam Deus præstat, quum ipsi ita visum est) sed hæc tamè exempla probant Religionis Christianæ constitutionem atque amplificationem ex Principibus non pendere: atque Ecclesiæ rationibus interdum etiam expedire, ijs non ita benignis ac propitijs sententis per uti.

Atque hæc est generalis illius quæstionis solutio, An liceat aduersus Regem hæreticum insurgere, & eum regni sui possessione exturbare. Id verò si aduersus Paganos, Apostatas, & infestissimos hostes nunquam licuit, ne id quod licet aduersus hæreticos licebit.

Responsum ad ea, quæ Sorbona aduersus Henricum III. Regem defunctum Lutetia contra hæc constituit.

CAPVT IV.

His à me iam dictis & confirmatis opposuerunt tum decretum illud, quod à Sorbonæ Parisiensis Doctores aduersus defunctum Regem factum fuit: tum postulatio, qua Papam deprecati sunt, ut suo id consensu & auctoritate cõprobaret: quod & postea fecit. Ne igitur iste scrupulus in infirmiorum animis diutius resideat, quòd videant sacram illam (Sicut enim

enim vocant) facultatē, his quæ antè dicta sunt contrariam sententiam tulisse, ad eiusmodi decretum nobis iam respondendum est. Aliquo post ea quæ Blesis acta sunt, tempore, quum Lutetiā civilibus armis agitatā, nullus & Regis & legis metus ac respectus, sed minē tārūm & defectiones essent: seditiosi vt hāc rerum confusionem commento aliquo specioso regerēt, ac ceteros paulò religiosiores ad suas partes allicerent & traherent, hanc fabulam egerūt. Sorbona vnum in locum congregata fuit: supplicatio habita est, & coram Magistris nostris hæc quæstiones scripto propositæ sunt: Annon populus omni erga Regem fidei & obsequij iure solutus & liberatus esset, ob ea quæ Blesis ab eo patrata nuper fuissent: Annon liceret arma cōtra illū capere, atq; delectu omni & discrimine remoto, hostile cum eo bellū gerere. In re Gallicis nostris adeò noua, adeoq; insolēti, & quam tantæ aliquando calamitates consequuturæ essent, disputatio non admodum longa fuit. nostri illi Magistri definitè respondent, ea omnia licere. id à mense Ianuario factum est. Atq; oraculum illud fuit & sacrum consiliū, in quo scilicet conscientiæ tranquillitas, fidesq; acquieuit, eorum quidem qui omni infamiæ, & contumeliæ genere Regem prosequuti sunt: qui fideles ipsius seruos carcerib⁹ & cædibus crudelissimè multarūt: qui armis infestissimis illum ipsum petiuerunt, & tandem sceleratissimè trucidandū curarunt. Cum his autem, Dei præcepta quæ paulò antè commemorata sunt, de fide Regib⁹ nostris quamlibet impijs, Paganis, hæreticis, hæreticorumq; patronis & certis Ecclesiæ hostibus (id quod tamē de defuncto Re-

*Sorbonica
futilitatis
cum Pro-
phetica &
Apostolica
doctrina
comparatio.*

C

gene

gene suspicari quidem iure poterant) constanter seruâda cõponamus. consideremus amabð perpetua piorum virorũ ad hoc vsq; æuum exemplatum demum certò nobis constabit, quo spiritu sacri isti Prophetæ impulsæ hæc protulerint. Ego verò & illũ Sorbonicæ facultatis Doctorum cõetum, & scriptum illud ad confirmãdas Religiosorum cõscientias propositũ, fabulã, per quam simpliciũ animis fucus fieret, merrã fuisse pronuntio. Iam enim dudum quid facturi essent, ipsis meditatũ & decretũ erat. istorum Prophetarũ responsa minimè expectabatur, cùm decimo antè mense arma sumpta, infestę munitiones aduersus Regẽ excitatę, vis ei facta, ipseq; tandẽ de regni sui Metropoli turpissimè eiectus fuisset. Ab eo etiã tẽpore isthęc religio illis nõ erat, cùm arx aliãq; propugnacula Lutetię contra Regis voluntatẽ tenerentur: cùm frequẽtes & penè quotidianę ducum singulis vrbis partib. præfectorũ, cum capitalib. & Regis & regni hostibus coitiones fierent: cùm proposito susceptoq; consilio, aliquẽ ex familiarum defectionis totius auctore, suorum cõsiliarum ducẽ ac moderatõrẽ in vrbe residere vellet: cùm ad ea quę in sacro illo (quod Blefis habebatur) noui status consilio decerneretur, exequenda, parata omnia & opportuna haberetur. Bellũ igitur iam in illorum animis cõceptum, iam ad eò indiçtũ erat: iam faces in quatuor regni sinibus accensę, quib⁹ breuĩ tota Gallia deflagraret. sed isti pietatis, & fidei studio ardẽtes, religiosi isti viri Magistrorũ nostrorũ oraculum consulere, atq; nullũ esse iam sacramẽtum, nullum respectum, nullamq; legẽ, sed fenestrã ad quidlibet audendum ac patrandum patefactã

elicere

elicere ab ijs voluerunt. Quisquis autē penitus
 perspectum planeq; cognitum habebit, ex quo
 hominum genere cœtus ille cōstet, qui seditio-
 nes & à Principe suo defectiones ita responso
 suo decernit, & auctoritate sua cōprobat, is pro-
 fectò nihil mouebitur. Nō enim est hodie vetus *Veteris et*
 illa Sorbona, quę in prima sua institutione, pie- *nona Sor-*
 tate & eruditione instructa, florēsq; erat, & quę *bona anti-*
 errorib. confusionibusq; summa animi cōstati *thesis.*
 tia se opponebat: vsq; adeò sanè vt Pōtiffices et- *Sic Ioan-*
 iam Romanos in ius vocarit, & eos quoq; hære *nē XXIII*
 ticos pronuntiarit, si quid cōtrā quàm deceret, *Papam hæ-*
 aut admitterent, aut sentirēt. Sorbona in quā il- *reticum*
 la, quę aduersus iniqua Pontificū consilia, tum *declaranti*
 Gallicanæ Ecclesiæ libertatē, tum Regum no- *qui suprā*
 strorum auctoritatē tam generosè olim tueba- *conclisurā*
 tur, nihil est his temporib⁹ aliud, quàm ventrū *esse Scller;*
 pigrorū grex, & ignauū omnino pecus, quàm *atque ad*
 egregij in hauriēdo vino Theologici Magistri: *eo tyrannē-*
 qui postquā in suis illis sophismatis & argumē- *dem asse-*
 tationum salebris annos aliquot cōtriuērunt: *ttare*
 amphoris & poculis nocturna diurnaq; cōpo-
 tatione exsiccatis, respōsa sua edunt: homines
 non diuino quidē spiritu, sed multo vino egre-
 giè illuminati, & facie rutilo ac coccineo colo-
 re tincta insignes: Academia totius à multis iā
 sculis probrum ac dedecus: Cœtera verò, Epi-
 scoporum & Procuratorum suorū Cardinali-
 um clientes, vt illis consiliorum suorum admi-
 nistros se præbeant, atq; sacerdotium ab ijs ali-
 quod captent: nec non pleriq; & Regis, & regni
 hostium mercenarij, vt è suis suggestis seditio-
 nes & arma eructent. En præclarum illud col-
 legium, quod factiosis viris de bello contra Re-
 gem suscipiendo assentitur.

Si quid in re tanti momenti deliberandum statuendumq; erat, (veluti de bello cum Rege suo gerendo) adhibendi erant viri sapiētes, singulari pietate eximij, moderati ac temperati, omni animi impetu & perturbatione vacui, & qui nulli omnino homini addicti mercenario prāmio, & obstricti essent. At præter istorū ferme omnium ignorantiam & vitę sordes: manifestissimum est Cacodæmonem aliquem perturbationis ac discordiæ auctorem in illorum mētes iam dudum inuasisse, remq; eò fuisse ab illis aliquando deductā, vt necesse fuerit Senatus auctoritatem ad illorum temeritatem & arrogantiā reprimendam intercedere. Ab initio regni Caroli IX. consiliū ab illis ipsis habitum est de dimittendis in Hispaniā legatis, qui hostem ad renouandum bellum sollicitarent, eundemq; sperare iuberent, se suis artibus, & qua valeret auctoritate effecturos, vt ille rerū summam ex animi sententia in Gallijs obtineret. Ex illis legatis vnus erat Artus Desiraus: illiq; omnes Aureliam vsq; profecti sunt, vbi de re tota cum alijs eiusdē ingenij & animi hominibus diligenter communicata, nauim conscēderunt, vt cœpta maturarēt ac perficerent. Sed in itinere deprehēsi, & in carcerē retracti sunt. Año Christi 1561 in medijs istius Sorbonę Scholæ à Ioanne Tanquerello Theologiæ cādido magnis Magistrorum nostrorū desiderijs & acclamationibus disputatę sunt quędam Theses, quibus hoc propositum erat: Licere subditis suo Rege deficere, si vel minimū sentirent eum velle ab Ecclesia Catholica Romana deflectere. id verò supremę Curię auctoritate coercitum vt posthac docebimus. Hęc vna est sacrilorum

Legati à Sorbona in Hispaniā missi, ad bellum renouandū.

lorum concionibus proposita materies: nec defiterunt vnquam vociferari, tumultuari, ac eximo pectore in suis suggestis furorem & scelusanhelare, donec istam cōfusionis ac discordiarum flāmam, quæ in hūc vsq; diem omnes huius regni partes absumit, accēderint. In intestinis illis Parisiensium molitionib. qui nā alij in parœcijs folles, quæ aliæ faces ad incendendas populi mentes fuerūt, præter istos? quæ nā fuerunt illorū declamationes, quæ voces proborum plene, quæ contumeliæ, & maledicta, quibus Regem acerbissimè insectati sunt? cū D. Paulus cōtrā dicat, Doctores nō oportere pugnare, sed placidos esse erga omnes, & cum lenitate erudientes eos, qui cōtrario animo affecti sunt. At si tales illi essent, quales haberi volunt, pro suo munere debebant pijs admonitionibus aquam, qua funestum illud, quod nascebatur, incendium extingueretur, cōportare, ad pacē, & mutuam inter omnes caritatem ac concordia hortari: neq; id solum, sed potius etiam in medios ciuium enses se cōijcere, quàm tot videre clades, tot pati ruinas. Quin etiā hodie dum boni omnes ynā omniū voce cum tātō dolore ac desiderio lugēt & gemunt cædē Regis tātā perfidia & immanitate factā, vt totus terrarum orbis facinore tā detestabili à Gallis admissoplane obstupescat, & vehementissimè afficiatur, boni isti viri in suis concionibus insana lætitiapalàm exultāt, & monachum illū sui Principis interfectorē, Martyrum reliquorum principē efficere, atq; inter Diuos etiā referre conantur. Cū igitur tali ingenio & moribus sint, cumq; à tam multis annis, prauis affectibus vt furijs, agitati, atq; inueterato in Principes nostros odio

inflammati, vnam seditionem meditentur ac
spirent, cædes bonorum euomant, coniuratio-
nem ac defectionem crepēt, atq; furioso animi
proposito de totius regni statu perturbando &
externis etiam potius prodendo cogitēt, quam
debitam Regi fidem atq; obedientiam præstare
velint: cū igitur præclari illi Doctores hoc a-
nimo sint, quodnam pium & salutare ab ijs
consilium expectari poterat?

*Sorbonista-
rum præ-
ceps ac re-
merarium
de Rege iu-
dicium.*

Quod si de Rege, & de ijs, quæ Blesis facta
fuerāt, iudicare eorum munus potestastq; erat:
iudiciorū certè ratio non postulat, vt tanta pro-
peratione quicquā statuerent, & nulla amplio-
ri quæstione habita, eiusmodi ferrēt sententiā,
quam tot miserix, & casus acerbissimi conse-
quuturi essent. Agebatur de Rege, qui regno ab
annis XV. præflet, & de eo quidem Rege, quæ
omnes agnoscebant tanquam *unctum Dominum*
nempe eum, quæ Deus huic regno moderando
præfecisset. Accusatores capitales illius hostes
erant, vt seditiosi etiam alij ciues, qui eiecerant
paulò antè suum mercatorum præfectum, iteq;
modestos aliquot quietosq; ciues, qui dignita-
tis aliquid in Curia municipalis habebāt, vt soli
omni auctoritate potirentur; qui deniq; nō ita
pridem in furioso illo ciuium aduersus Regem
impetu, & munitione hostili interfuerāt. Facile
quidem videre erat talem eius rei persequēdis
rationem non aliò quàm ad status regni Gallic
mutationem spectare. Annon hinc iustissimam
caussa erat & ratio, cur dierum aliquot inter-
uallum ad cogitandum peterent, non autem
post facta aliquot in supplicatione spatia, præ-
cipiti quadam iudicij celeritate progredere vo-
luerentur ad rem tanti momenti statuendam, velu
ad to-

ad totum regnum sententiâ publicè latâ, ab omni sacramenti & fidei, qua Regi suo adstrictum erat, religione soluendum: & ad impia furiosa- que arma illius subditis tradenda, quæ in sua ipsorum, & ipsius quoq; Regis viscera stringerent, atq; ad regni totius perniciem & exitium conuerterent? Non ausim equidem affirmare, eos in scriptis sacris legèdis valde multùm versatos esse. Si tamen in ijs aliquatenus versati essent: immo si veterum etiam Canonum rationem aliquam haberent, annon ex ijs discere debuerunt qualis Ecclesiastica disciplina & censurarum forma esse debeat erga eos, qui aliquid peccarunt? Rex erat accusatus. Nonne ordinis constituti ratio postulabat, vt de rei veritate diligentius quæreretur, & cognosceretur? nonne in causis etiam vilissimorum hominum, admonitiones, & lenissima quæque ac mitissima agendi via priùs adhibenda fuit, quàm ad summum ius, & tantam acerbitatem veniretur? Christum Regum omnium summus honorificè de Cæsare loquitur: Apostoli præcipiunt vt, audito duntaxat Regis nomine, vnusquisque ad honore afficiendum permoueatur, ne maledicere quidem Principi suo licet, vt Paulus ipse dicit. Isti autem boni scilicet ac sapientes viri, Regem, simul ac primùm in crimen vocatus est, causâ indictâ condemnant, loco & dignitate Regiamouent, omnes in eum concitant & armant: idque adeò zelum, Dei cultum & Religionem Catholicam appellare nihil verentur. Non actores tantùm audiendi erant, sed ipse etiam reus. Rex non longè aberat: delegatos suos ad eum mittere poterant, pro certo habentes

se gratissimos illi & acceptissimos futuros. Ille omnium petitionibus & querelis aures debebat. tanti etiam sacerdotes faciebat & monachos vel infimos, vt nimia eos audiendi facilitas exitio illi tandem fuerit. eò autè postquam ventum fuisset, omniũ quæ Blehis acta fuerant, causas intellexissent, indeq; redijsset certiores atq; instructiores, accuratiùs postea super accusatione illa consultaturi. Verùm tota vrbs maximis iam seditionibus perturbatur, arma & furor vbiq; locorum aduersus Regem concitantur: ad præclaros istos Magistros factiosi veniunt vt Regem accusent, & continuandæ huius aduersus illum contumaciæ causam habeant. Statim accusatus, statim damnatur, nulla iudiciorũ obseruata formula, causa omnino nec disputata, nec disquisita: neq; baiulus à media plebe quisquam, cerdo, aut miserabilis & ærumnosus, sed Rex ipse, neq; de hæreditate aliqua vilissimi pretij deturbãdus, sed de suo dominatu & imperio: idq; bello, quod vniuersum terrarum orbem concitaturum, & illi extremam vastitatem allaturum esse videbatur. Ecquis non videt in ea tota actione ordinem omnem cõfutum ac peruersum, atq; iustitiam furioso animorũ impetu ferocitateq; oppressam esse? Præterea confirmandæ erant in re tanta hominum conscientia: saltè quæstio scripto illis proposita eò spectare videbatur. quid tunc factum oportuit? Consulèda sacra oracula fuerunt, & ex ijs descendum quæ esset Dei volũtas, quod cõsiliũ: & veterum, ad quorum imitatione nostros mores componere debemus, exempla & actiones, si quãdo tale quid euenit, cõsiderandæ. si quippiã in ijs reperiẽbatur, vnde

hec questio solui discutiq; posset, Theologorū partes erant locos, qui ad eam rem explicandam pertinerent, diligenter notare, singula Dei præcepta proponere, eaq; fide summa excutere; tum quomodo à viris optimis & sapientissimis obseruata vsurpataq; essent edocere: vt locis & exemplis ita appositis, veluti firmissimis fundamentis, hominum in tanta opinionum varietate nutantium conscientia innitentur, & quietamente consistenter. Sed nostri illi Magistri, summo imperio, & auctoritate, vt ita dicam, Magistrali, nulla omnino req; rationeq; pro more suo allata respondent, Contra Regem omnia licere, ferre arma, pecuniam ad bellum exigere, milites conscribere, quiduis deniq; comminisci, moliri, efficere, quò Regi cum regnum, tum vita etiam ipsa eripi posset.

At non hæc fuit olim Doctorū Ecclesie consuetudo, cum graues quedam questiones ipsis proponeretur, vt in eorum scriptis videre est. Magistri quidem nostri asserunt se hæc ita decreuisse ex sacris scripturis, & Pontificum constitutionibus. Quod attinet ad istas constitutiones Pontificum, hoc est, recentiorum Papatū, qui & Reges & Principes sibi subijcere voluerunt: illud verò ita sese habere potest. Sed confirmandarum conscientiarū fundamenta, & certissima, verissimèq; controuersiarū enodationes in sacris scripturis existunt. ideoq; si quam eorū cognitionem habebant, tunc verò depromendum erat, & patefaciendum: & loci ex ijs in medium proferendi atque explicandi fuere. Quàm verò opportuna hæc est ad animos hominum in errorè fraudemq; deducendos via, si dicere satis est, hoc in sacris scripturis

ris extat: illud consultandum & iudicio adhibito deliberandū ipsis proponebatur. At quoniam tandem sunt patroni ad consultandū aduocati, qui in re valde dubia & ancipiti, leges suis nominibus non exprimant & proferant, vt clientibus suis aliquam suæ causæ fiduciam afferant? Seditiosis verò Parisiensibus vnus hoc **FIAT**, responsi vice erat, rationis grauiissima instar obtinebat: Nam alea iacta erat, nihil loci consilio & deliberationi relictum erat: res in integro non erat. satis iam superque ille populus odio & rabie in suum Regem flagrabat, atque nullis alijs adductis rationibus illud vniuersitatis Sorbonicæ Magistrorum **FIAT**, requirebatur duntaxat, veluti postremum fructum, per quod Sathanæ manciparentur, & traderentur, (vt alteri Iudæ) & tum Regis suorum patriæ suæ proditores furiosi euaderent. At boni illi viri cogitare debuerunt futurum proculdubio, vt suum responsum in multorum oculos & aures veniret, & multi (qui Sorbonicæ facultati pro suæ conscientie religione atque infirmitate multum tribuunt) ex eo aliquid quærent, quod ad suas mentes confirmandas faceret. Respondendum igitur erat apertè quod docti illi & pij Ecclesiæ Doctores facere olim consueuerant, nempe vti omnino sacra Dei oracula docent, suamq; sententiam scriptis prodere, vt hac ratione pium rectumq; consilium omnibus ad animorum suorum tranquillitatem, patriæq; salutem daretur. Verum quid facias? Exigere hoc est de ijs, quod præstare neque potuissent, neque vnquam poterunt. Nullum Dei præceptum afferunt, nihil ex sacris literis depromunt, nullum nec ha-

bent.

bent, nec proferunt exemplum, quo freti respondeant: licere subditis aduersus Regem suum arma capere: quippe cum & tota sacra scriptura, & petita ex piorum virorum exemplis testimonia contrarium omnino doceant.

De Pontificū constitutionibus ad quas nos remittunt, & de sua apud Pontificem deprecatione, vt pro ea qua apud ipsos valet auctoritate suam de defectione consilium comprobet, mox dicemus: & quàm infirmum sit, quod vnum iacere, & quo maximè vno niti volunt, fundamentum, docebimus. Verum enimvero ad opprimendū Regem dominum suum, atq; bellum, & quod ex eo consequitur, exitium in Galliam nostram inferendum, Paparum auctoritatem obtestari & implorare: illud verò non est veterum huius Collegij Doctorum maiorum suorum nec virtutem pietatemq; sequi, nec eam qua suos Reges coluerunt, obseruantiam, & insigne illud eorum in regni huius splendorem ac dignitatem studiū imitari. Cùm enim Romani Pontifices nostris Regibus sacris Ecclesiasticis interdicere non semel ausi fuissent, atq; illorum subditos è fidei sacramento, quo tenerentur, scripto publico *Reges Franci* eximere, nec non interminari, ne vllam ijs *et olim à* plius obedientiam obsequiumq; præstarent: *veterebus* tunc facultatis illius Doctores & Regum & re- *Sorbonistis* gni totius causam aduersus Pontifices illos vlt *aduersus* trò suscipiebant, ac validissimis rationibus, & *Papas de-* magno animo, pioq; studio adducti, non posse *fensi: nunc* id ab illis rectè ac legitimè fieri contendebant: *Serò à no-* eò etiam vsque progressi, vt Pontifices ipsos, *uis istis pro-* qui aliorum damnandorum ius sibi sumunt, *diti, expul-* *si, & neca-* *damna-* *ti.*

damnare nihil dubitarent, vti iam antea ostendimus. Atque sacris illis & saluberrimis, quibus conscientię infirmorum confirmabantur sententijs veteres Franci edocti, in perpetua erga Reges suos fide manserunt, inuitis licet Pontificibus & diris eorum execrationibus, quas Excommunicationes vocant, contemptis. Quinetiam ea ipsa re confisi atq; laruarum istarum securi, interdum Papas istos infestis armis petaturi, & meritas ac nefarijs ipsorum aduersus Francos reges consilijs debitas poenas ab eis sumturi, Alpes etiam ipsas transcenderunt. Philippi Pulchri, Philippi Augusti, & Ludouici XII. historiæ huius rei fidem abundè faciunt. Et degeneres isti Doctores, qui nihil quicquam nec eruditionis, nec virtutis, nec animi verè Franci maiorum suorum habent, vt nos ad defectionem à Regibus nostris impellât, suorum Paparum cõstitutiones nobis etiamnum proponunt? Immò verò, quod magis mirere, fuisse illo responso dato, quo seditionis & ad hostem transitionis fax vbiq; locorũ accenderetur, eos non pudet Papam rogare, vt illud sua auctoritate interposita confirmet. Hoc nimirum est, nisi planè trunci ac stipites sumus, vt cū summo iure huic regno imperet, & discordijs atque hostilibus factionibus perniciem illi pro animi libidine inferat. At quantò rectiùs & sapientiùs eorum maiores, qui disputationibus & contentione animi summa in hanc curam & cogitationem incubuerunt, vt ne Papæ vllum ius auctoritatemue in Ecclesiã Gallicanam haberent: magna ingenij solertia prospicientes, non posse id fieri, quin publica res tota in summum discrimen veniret. Ad sum-

mant:

mam: quicquid factiosi Parisienses contra Regem cōtumeliosè, vel dixerunt, vel patrarunt, vrbium defectiones, totius patriæ direptio & vastitas, fames, quæ certò nobis imminet, ciuiũ nostrorum quotidianæ strages, vexationes, & violentiæ, raptus, incendia, perfida & immanis Regis ipsius cædes, clandestina cum externis ad regnam ipsis prodendum cōsilia: hæc ergo omnia bona scilicet fide, & religione summa ideo fiunt, quia facultatis Sorbonicæ Doctoribus ita licere placuit. Quàm præclaram igitur occasionem ij, qui religionem reformatâ profiteri se dicunt, aduersus Sorbonicos istos Magistros, à quibus cùm diris Pontificijs, tum maximè flammis tam diu multati sunt: quàm iustam, inquam, religionis purioris professores occasionem habent ad docendum eos, diuini Spiritus, qui pacis, concordie, mansuetudinis, modestiæ, & perpetuæ in Principes fidei atque obedientiæ Spiritus est, nihil omnino habere: sed spiritũ inde ab initio homicidij auctorem, eundemq; seditionis, & rerũ confusionis Principem, Sorbonicæ illi coitioni non interfuisse tantũ, sed præfuisse, ac etiamnum, quum responsa eiusmodi reddunt, præesse.

Supremi Senatus ad obedientiam Regibus debitam tuendam, & ad seditiosas Sorbonicarum disputationes & consilia reprimenda, auctoritas.

CAPVT V.

Diu mihi esset multumq; à sermone instituto discedendũ, si quæ sit Curie supremæ dignitas, atq; auctoritas, & quantopere fuerit

rit hucusque ad regni statum ipsius prudentia
 prouidentia, simul & constantia, quando cum
 res ita tulit, conseruandum necessaria, dicere
 aggrederer. per pauci sunt, qui id nesciant. Nunc
 verò attingam tantum ea quæ magna cura sum-
 moq; studio Curia illa præstitit, in turbulenti-
 istis Sorbonistarum ingenijs cum obseruandis
 tum sua auctoritate coercendis, si quando in-
 effrenata illa, quam sibi arrogat de rebus qui-
 buslibet disputandi, licentia euēnit, vt pern-
 ciosas publicarum rerū statui tranquillitatisq;
 propositiones inter se agitauerint. Illud quidē
 sæpe factitatum fuisse constat. sed in eorum
 commentarijs hæc cōsignata auctoritas exstat,
 quæ testatum apud posteros relinquet, quanta
 tam prudentiam, & vigilantiam sapientissimi illi
 viri adhibuerint in præpediendis malis, quæ
 hanc, quam videmus, ruinam. atq; tempestatem
 iam dudū inuexissent, nisi fide & officijs mul-
 tis magnisq; ea prouidissent. Facinus autem il-
 lud ipsum est, quod superiori capite obiter per-
 strinxi: cætera quæ de eo pluribus dicenda e-
 rant, in hunc locum reijciens. Anno igitur
 1561, cum sacra ista facultas agitaret animo ver-
 saretq; omnia, quibus hoc aliquando regnum
 discordijs & factionibus misceret, quod etiam
 tandem effecit: ecce Ioannes Tanquerellus
 Theologiæ initiatus, confidens se rem toti
 Theologorum collegio pergratam facturum.
 in ea disputatione qua designandus erat Bac-
 calaureus, palam hanc propositionem asseruit:
 Si Rex, aut Princeps quispiam ab Ecclesia Ca-
 tholica Romana desisteret, Papam illi posse
 imperium suum abrogare. Id disputatum, &
 à Doctoribus omnibus, qui tunc aderant, at-
 tentissimè

*Ioannes
 Tanque-
 rellus ob
 defensam
 thesin à
 Curia da-
 mnatus.*

rentissimè auditum fuit, ac placidissimè, citra
villam cuiusquam interpellationem, qua inter-
rumperetur illius oratio. Sed Senatus ea de re
commonefactus, quid inde mali periculiq;
nasciturum esset, si id silentio præteriretur,
quantoquè opere eiusmodi Theologiam im-
probaret, apertè ostendit. Itaque Doctõribus
illis imperatum fuit, vt Tanquerellum istum
exhiberent, idèq; sæpius ac sæpius repetitum
atque iteratum. Tandem Senatusconsultum *Senatus
cõsultum.*
ea de re factum est, in hanc sententiam.

Hodie postquam Regis Procurator generalis, presen-
tibus Magistris Nicolao Maillardo Decano, Ioanne
Aleatino, Ioanne Pelterio, Ioanne Albaino, Iacobo
Cahaino & Natali Palliero facultatis Theologica Do-
ctoribus in hunc finem vocatis, à curia requisivisset,
vt secundum mandata sæpenumero ex ipsius curiæ
decreto sibi data sistendum curarent M. Ioannem Tan-
querellum Theologiæ Baccalaureum, ad responden-
dum super Thesi ab ipso disputata, quæ & ad Regis
maiestatem, & ad Regij sanguinis Principes pertine-
bat: quum ydem ipsius facultatis viri de sua diligentia
& excusationibus auditi essent, itemq; Procurator
generalis in suis conclusionibus: illis omnibus semo-
tis, & questione ad deliberandum proposita: prima
illa & altera consilij classe congregata, Curia decre-
vit ac decernit secundum declarationem à M. Ioan-
ne Tanquerello datam, propriaq; manu signatam,
& propter illius absentiam facultatis Theologica
septuaginta apparitorem in media Sorbona, præ-
sentibus Decano, & omnibus facultatis illius Docto-
ribus, atq; etiam dictis Cahaino, & licentiæ huius

proxima

proximæ Baccalaureis, ob hanc causam cōgregatis & conuocatis (nisi priuilegijs sibi à Rege & eius antecessoribus concessis priuari velint) nec non vno ex Præfidentibus, duobus Regis consiliarijs, & procuratore ipsius generali ibidem assistentibus, eius vice declaraturum dicto illi Tanquerello displicere eam propositionē (quæ legetur) defendendam suscepisse. atq; temerariè & inconsideratè disputatam fuisse, sententiam verò illi contrariam verissimam esse: supplicaturum Regi summissimè, vt condonet sibi eam noxam quam admisit, qui eam Thesim defenderit, & disputandam proposuerit. Quo factò, auctoritate Curie ijs prohibetur, ne in posterum eiusmodi quæstiones proponant & discutant. Decretum præterea, vt duos e suo collegio delegatos mittant ad Regem, qui eum cum omni summissione deprecantur vt sibi parcat, seq; in pristina gratia, in qua perpetuò manere exoptant, conseruet, atq; in summissorum & obedientissimorum subditorum loco habeat. Datum in suprema Curia secundo die Decembris 1561. Hæc Senatusconsulti forma fuit. & paulò inferiùs scriptum est. Hodie ad exequendum supradictum Senatusconsultum commissi & assignati à Curia fuerunt M. Christophorus Thuanus Præses, Carolus Dedormantius, & Bartholomæus Fâius Regis in eadem Curia Consiliarij vno eorum, qui ad eam rem delegati fuerant, absente.

Lectores ex hoc Senatusconsulto satis colligere possunt, Senatum censuisse contrariam ei, quam Sorbonici Doctores tenent ac defendunt, sententiam verissimam esse. id enim aperte & disertis verbis pronunciauit. Thesis autem Tanquerelli, id ipsum erat, quod à Magistro

stris illis responsum fuit, nimirum Regē, qui-
 pe à Catholica Ecclesia deuium & aberrante
 (vti quidem id obtendunt & obijciunt) à po-
 testate per Papam summouendum esse: atque
 illius subditos omni fidelitatis, & obedientiæ
 sacramento soluendos. Ergo supremæ Curix
 decreto illud planè falsum declaratū fuit, con-
 trarium autem verissimum: atq; interdixit,
 ne eiusmodi proposita in disputationem post-
 hac adducerentur, quod re ipsa factum est. Sed
 non est hoc ingenijs istis turbulētis & factiosis
 consuetum, bonas & Reipub. salutare leges re-
 uereri ac metuere. Nec verò dubitandum est,
 quum Sorbona factiosorū postulationi respon-
 deret, licere ipsis, atque adeò pietatem hoc esse
 & religionis studium, bellū Regi inferre: quin,
 si Senatus pristina sua & integra inter arma hæc
 ciuilia fuisset auctoritas, illud quoque tunc co-
 ercitur, & egregij isti Doctores experti fuis-
 sent, quàm vehementer perfida isthac contumacia
 boni omnes viri patriæq; amātes offensi
 essent. Sed Lutetiæ vis & furor leges oppresse-
 rat. At tamen nefarijs & planè impijs istorum
 (qui vino & furore abrepti linguas suas regni
 huius hostibus venales habent ad seditiones
 suis cōcionibus excitandas) cōsilijs, ac respon-
 sis opponimus illius cœtus (qui & doctrinæ
 præstantia & iuris dicendi integritate insignis,
 Gallix nostræ decus semper fuit, & primus
 Christiani orbis Senatus) auctoritatē & sapien-
 tiam: itemq; vincula, vexationes, direptiones,
 calamitates, contumelias, easq; diuturnas &
 grauissimas, quas pleriq; eius ordinis viri for-
 titè & constanter perpeti maluerunt, quàm
 eorum, qui contra Regem patriamq; suam ad
 D hostium

hostium & externorum causam sese adiunxerunt, factionibus vel minimùm assentiri.

Constitutiones Pontificum, quæ à Sorbonisii proponuntur, quæ à Sorbonisii proponuntur, Dei decretis officere, & ob stare non posse. Tum, quo spiritu y semper ducti fuerunt, qui Religionis specte aduersus Principes suos arma ceperint.

CAPVT VI.

Quoniam Pontificum & Pontificiarum constitutionum, quas Doctores Sorbonici aduersus Principes in mediũ proferunt, nomen rudiores & rerum imperitos mouere aliquantum posset, pro eo, quo Pontifices suos colunt honore: quale nã illud sit & quanti esse debeat paucis iam declarabo: plura, quæ ad eam rem dici possent, in aliud tempus, si quod postea dabitur, reseruã. Romani Episcopi, qui cõmuni nomine Papæ appellantur, nõ omnes eodem ingenio & studio fuerunt. Illi tempore Apostolorum & aliquot post eos sæculis, piè quidẽ se gesserunt, ad omnes sui officij partes obeundæ intenti, gregem suæ fidei commissum vigilantissimè custodientes, eumq; Dei verbo, ratione spirituali & verè Ecclesiastica gubernantes. Tunc præclarã sibi ab omnibus famam & estimationem colligebant, tum pro ea, qua præditi erant, pietate, virtute, & summa in Euangelij professione, in ipsis persecutionibus constantia: tum pro sua diligentia, curaq; singulari in doctrinæ Christianæ puritate ac simplicitate, quam à maioribus didicerant, conseruanda, & grege suo ab hæresibus, quas Diabolus

*Veterum
Papæ
in Princi-
pes suos ob-
seruans.*

Euan

Euangelij cursum moraturus vbiq; locorum spargebat ac disseminabat, vindicando. Quando autem illi in suo munere efficiendo defixi, atq; in grege suo ad omne officium colendiq; Dei rationem instituendo, ex Euangelij præscripto occupati fuerunt: tandiu & Imperatoribus licet infidelibus paruerunt, & ijs se subiecerunt, atque cæteris vt idem facerent, exemplo fuerunt. neque doceri vnquam poterit, eos Romæ alio loco & numero fuisse, quàm quo reliquos in vniuersum Christianos fuisse testatur Tertullianus, nimirum perquam summissos seruos, & subditos eorū, qui principatum in Repub. gerenda tenerent, de quibus ipsi nunquam non honorificentissimè loqui, pro quibus etiam Deum precari solerent. Itaque cum Sorbonici Doctores de Pontificum seu Papparum Romanorum constitutionibus ad permouendos populorum animos, & aduersus suos Principes concitandos commemorant, primos Romæ Episcopos ex eo numero expungat necesse est. Nihil enim eorum quæ in scriptis suis proferunt simile vsquã reperietur: nisi fortasse in quibusdam suppositis libris, quales multi extant, eorum, qui veterū nomine, turpitudinis suæ sceditatem tege-
re postea voluerunt, fraude & malicia. Postquam boni illi viri pijs consilijs, honestisq; factis bonam Romanæ Ecclesiæ famam, & maximam dignitatem vbiq; conciliarunt: sequuntur *Papa de generis.* alij, quo tempore Ecclesiæ summa pacis & otij tranquillitate fruebantur, atque salutaria illa crucis exercitia, & ad continendum vnumquemq; in officio peropportuna, nulla prorsus erant. Hi verò maiorū suorum gloria

& existimatione, nec non honore & obseruatione, qua reliquę omnes Ecclesię Romanam colebant (ob summam, quam dudū adepti erant puritatis atq; integritatis opinionem) vsi sunt, eaq; subnixi honorem captare cœperunt, & quasi alas suę ambitioni comparare, qua finitimos Episcopos præteruolarent, cum omnes tamen antea munere & dignitate pares fuissent. Neque contenti primatum obtinuisse in propinquos, eundem longiùs latiusq; obtinere voluerunt, hanc modò, illà aliàs prouinciam sibi subiicientes: quanquã interim in Concilijs ipsis maximæ concertationes, & multæ alijs locis multis intercessionibus ea de re fuerint. Tandem tamen gratia & auctoritate Imperatorum (quibus vicissim in multis prauis actionibus mutuam voluntatem & operam tribuebant, vt Phocæ Mauritij Imperatoris domini interfectori, & alijs) Episcopos omnium summos & totius Ecclesię primos sese appellandis curarunt. etsi paulò antè quidam exijs clarissimus, nempe Gregorius Magnus, in ea contentione quam contra Patriarcham Constantinopolitanum habebat, suos libros hac sententia compleuisset, docens eũ, qui Episcopi vnuerbi nomen vsurparet, Anti Christi præcursorẽ esse.

Cùm in rationibus suis ita processissent, supremam hanc dignitatem dominatumq; hereditates Domini cõsequuti hoc pacto fuerunt, eoq; nomine ab omnibus, atq; à Principibus etiã ipsis colerentur & metuerentur: nec quidem adhuc contenti fuerunt, sed (vt nunquam satiatur ambitio, eoq; est ingenio vt imperium imperio cumulare atq; adaugere vel quinetiã optet, si fieri posset, plures esse m

*Paparum
ambitio ac
dominan-
di libido.*

dos, quos explenda suę sitis gratiã sibi subijce-
ret) cum ad dignitatẽ potestatemq; summã sibi
tam bellẽ viam & quasi gradũ quendam fecis-
sent, hoc sibi etiã proposuerunt: in omnia to-
tius orbis regna & imperia principatũ domi-
narumq; obtinere. Propositum certẽ valde ar-
duum, & specie quadam ipsa summorum Mo-
narcharum, nedum Pontificũ, viribus maius.
id enim erat Principibus atq; Imperatoribus,
qui nõ faciliẽ ed adduci possunt, vt fasces alteri
submittere velint, bellũ indicere. Nihilo tamẽ
minũs hanc etiam amplissimam dignitatẽ sibi
animo & spe polliciti sunt, cum iam Episcopos
(qui summa apud populos omnes gratia, pie-
tatis nomine valebat) sibi subiecissent: atq; in
ea vrbe, quã à multis seculis summũ & altissi-
mum dignitatis gradũ obtineret, se collocatos
esse viderent: deniq; summa (quã Christianorũ
Regũ & Imperatorũ nutu & vœcordia vsurpa-
uerant) auctoritate, aditũ sibi & viam non dif-
ficilẽ ad id patefecissent. Huiusce igitur do-
minationis fundamentũ iecerũt in vrbe Roma
& locis vrbi finitimis, quã dictitarunt suã esse
ditionem, vt spirituales, sic & terrenã, seu, vt
vulgò temporalem: vbi Regum instar pro suo
iure imperarent, idq; contra Christi, qui nomi-
natim id vetuit, præcepta, & D. Petri, aliorumq;
Apostolorum exempla. Tam iniquã autem v-
surpationi conabantur quidẽ Imperatores in-
tercedere: nec verò Papæ potuissent vnquam
votorum suorũ fieri compotes si summa impe-
rij potestas penes istos semper fuisset. Sed Papæ
vt ei rei occurrerẽt ac prouiderent: (quemad-
modũ religionis prætextus, & summũ pietatis

*Principi
haeretico
non parendum,
cur à
Papae excogitatum.*

in hominibus studium fuerat semper ipsis certissima ad eò, quò cõtendebant, perueniendũ via) ratione ex ipsa religione excogitarunt, quã Principes suis consilijs repugnantes, nullo nec negotio nec periculo sibi subijcerent: nouã & in tota Ecclesia antea inauditam doctrinã proponentes, nimirum, *Principi haeretico non esse obtemperandum*, eiusq; subditos (si quãdo id eveniret) omni obsequij & sacramenti iure solutos esse: confidentes, cum primũ hæc doctrina in populorum animos se insinuasset, si quis Princeps ijs quẽ cogitabãt vel obloqui, vel oblectari auderet, hæc vnã ratione, hoc vnũ remediũ esse, vt hæreseos crimen illi inferretur, diũ aliquã bullã hereticus renũciaretur, illius subditi fidei & obsequij iure exsoluti declararentur, & excõmunicationis (quã populo indicetur) metu perculsi ad defectione concitarentur. Atq; hoc illorũ consiliũ tantã vim habuit vt permultos tandẽ Imperatores, aliosq; Principes, quemadmodũ sperauerant, pedib. ignissimẽ concylcarint. Quinetiã Reges eadem cõtumelia nostros affecissent, nisi maiores nostri in suorũ Principũ amore atq; obediẽtia firmiores, & supstitutione minũ quã alij populi implicati fuissent. sed lex diuina, per quã maxima Gallia pars iã Christiana ante Clodouæ Regib. suis quamuis Paganis obediens & subiecta fuerat, in posterorum animis postea inuicta semper hæsit: fecitq; vt Principes suos vnice amauerit, & coluerit, quãtumuis illis obtrectetur, crimina etiã obijcerentur, donec extremi isti hominũ animos defectionis, quã hodie Gallijs cernitur, veneno infecerint. Atq; hæc sunt præclaræ illæ & authenticæ Pontificum constitutiones, quas Sorbonici Doctores p.

suæ adulterinæ Theologiæ fundamento sumunt ad hoc Pariensibus concedendū, immo & suadendū, bellum Regi suo inferendū esse.

Hę autem nouissimorum Pontificū constitutiones multis de causis repudiandæ sunt. hi enim sunt ambitionis nimis immoderatae, & à bonorum Episcoporū, vti quidem verbo diuino erudiuntur, officijs alienę fructus & effecta. Præterea hæc aduersus Principes ab ipsa parte aduersa lata est sententia: cui semper nō solum à Principibus, quorū id maximè intererat, sed à multis etiā Episcopis, alijsq; tum magnis, tum pijs viris, per omnes ætates ac tempora reclamatum fuit. Adhęc ea sepe fax fuit, quę & Imperium Germanicum, & alias Christiani orbis regiones inflammavit, & vbiq; gentiū magnas ruinas ac tempestates attulit, vt postea dicitur. Sed in primis istę cōstitutiones reiiciendę sunt, quòd cum Christi & sanctorum Apostolorum doctrina, simul & cū omnibus Ecclesię, quando quidē rectè instituta fuit, exemplis omnino pugnent. Christus, & post eum Apostoli, quo tempore Imperatores Pagani erāt, & Christiani Christianorumq; hostes, præcipiunt vt Christiani eis obtemperent, & pro eorū salute presentur: Papæ contrā volunt, vt cum primū eos hæreticos edixerint, subditi ad arma concurrant, & cum illis bellum gerant. D. Paulus pronunciat cōscientiæ hoc præceptum dari, vt eiusmodi obsequio ac summissione obnoxia sit. Illi contrā asserunt præter conscientiam fieri, si subditi in sua erga Principes fide permaneant: in eorū religionis studiū perspicui, si bellum ijs inferant. Addit quoq; D. Paulus, eos qui Principibus resistūt, Deo etiā resistere, damnationemq;

tionemq; sibi ipsis arcessere: Papæ verò id pernegant, atq; omni obsequij fideique lege solvunt. Ecquid aliud magis, quàm hæc inter sese pugnat? Quòd si diuini numinis instinctu quidam obedientiã commendant, ac præcipiunt: num eodẽ spiritu afflati videntur, qui subditis auctores sunt, vt aduersus Principes suos cõiurent, eosq; hostili bello prosequantur? Annon sunt istæ tam famosæ indulgẽtiæ, propter quas Pontificum adultores illorum auctoritatem summis laudibus in cœlũ efferunt: quum hoc etiam scriptis suis testantur & cõsignant, Pontifices suis illis indulgentijs posse ijs, quæ Euangelio præcipiuntur, legibus nos eximere?

Quo spiritu ducti fuerint qui religionis specie rebellauerint.

Iudæi à Chaldeis desciunt.

Iudæi à Romanis desciunt.

Eorum, qui præter Pontifices dixerunt Religionis zelo licere à Principibus suis deficere, exempla memorabilia & illustria habemus in Iudæis semel atq; iterũ: & nostra ætate in Anabaptistis. Ante captiuitatem Babylonicã populo Iudaico idololatriã corrupto, & ita deprauato, vt Prophetarũ admonitionibus ad verũ Dei cultũ reduci nõ posset, Deus pro sua iustitiã eũ suis cupiditatibus tradidit: tuncq; peruerfit quidã spiritus ijs persuasit, vt Chaldeorũ (quibus Deus volebat vt subiectus ille permaneret, vt à Ieremia admonebatur) iugum ceruicibus suis excuteret: & hac vna quidẽ ratione adductus, quòd indignissimũ esset, populũ Deo sacratũ, Principibus infidelibus & minimẽ circumcisus subditũ videri. Fidei igitur sacramento, quo Chaldeorũ Regi obstrictus erat, violato, pertinaciter ab eo desciuit. id quod illi exitium attulit. Postquã verò illi ipsi Iudæi Christum cruci affixissent, & redemptionis Patribus promissẽ exhibitionẽ ingrati respicissent: Deus

eos iterum deseruit: & idem ille spiritus, humana salutis Deiq; gloriae hostis, eos inuasit, ut in perniciem priori longè horribiliorem & funestiore abriperet: atq; illorum animis hunc furorem caecitatemq; iniecit, ut statuerint ex Imperatorum Romanorum (de quibus Christus dixerat, *Reddite Caesari, quod est Caesaris*) potestate sibi exeundum esse, Quòd scilicet, ut illi aiebāt, infideles Principes essent, ipsi verò, Dei populus. Furor iste primùm extitit in quodam Theuda & alijs nonnullis, qui primi ad arma ierunt. sed defectionis ab vno primùm profecta contagio latius postea manauit, & cæteros deniq; omnes ita occupauit, & peruertit, ut zeli, & zelatorum nomine tumultuari & furere prius non desierint, quàm infestis Romanorum armis petiti, funditus perierint. Nostra etiam aetate Diabolus Anabaptistas in Germania exortos, & alijs iam erroribus fascinatos, hac quoq; opinione transuersos egit, eoq; adigit, ut de Principum & Magistratum imperio exire conati sint: eandem ob causam, quòd suos quidem Magistratus infideles, se verò Religionis iure ab omni sacramento, quo illis obstricti erant, liberatos ac vindicatos esse dicerent: atq; diuersis locis ciuilia arma sumserunt, quibus in Principes suos inuaderet, quod ipsis etiam exitio fuit. Ergo defectionis à Principibus, qui dicebantur infideles, sub Religionis praetextu exempla haec fuere. At defectiones illae sub hoc nomine non potuerunt ab illis damnari, ut in alijs probentur: nec potuerunt in ijs à seditioso spiritu proficisci, in his verò à pacifico enasci. neque enim res ipsae inter se pugnant. Si praecipiti tantum animorum impetu,

Matth. 22.

Anabaptistarum fanaticus error.

Vide Sleidanum li. 6. cōment.

nemine nec urgente, nec instante ex aliquando contigerunt, aliæ, quæ alicuius auctoritate præditi viri sententia & fide niti visæ sunt, maiorem excusationem nõ promeruerunt. Quòd si huius tempestatis factiosi, qui armis cum Rege suo certant, aliunde instigantur, & factum à Sorbonicis Doctõribus respõsum proferunt. Papæ etiam ipsius assensionem & approbationem ostentant: Iudæi quoq; ipsi prima secundaq; conspiratione, suos illos, quorum auctoritate atq; fiducia legibus soluebantur, & zelõ nomine aduersus Principes suos concitabantur, Pontifices summos habuerunt,

Eorum quæ reformata Religiois homines superioribus bellis civilibus gesserunt, expositio: qua contumacibus & factiosis, qui eorum exemplo bellum se Regi posse facere putant, respondetur.

CAPVT VII.

Futile Rebellium argumentum refellitur.

Qui arma contra Regem sumserunt, & eum bello etiamnum persequi non desistunt fingentes & comminiscetes omnia, quibus facinoris tam atrocis probrum ac sceditatem velent, eorum quæ superioribus bellis à XXV aut XXX. ab hinc annis à Religiosis facta sunt exemplum proponunt, indeq; ita ratiocinantur: Si illi iure potuerunt pro suæ Religionis libertate retinenda aduersus Regem arma capere idem quoq; sibi non minus licere. At quod concludere volunt, non efficitur ex propositis, nec est consequens. Nam si illi peccarunt, non sunt imitandi. Quòd si nõ peccarunt: ne hoc quoque
conclu

concludendum est, eos omnes qui in imperio aliquo arma capiunt: eiusque statum perturbant, nihil peccare. Nam nec belli causæ eadē sunt: nec ijs qui illud gerunt, idē propositum est: nec eadē illius gerendi ratio. Quum Religionis reformatæ homines arma ceperunt, nullā unquam sanis hominibus cogitandi occasionem dederunt, bellū cum Rege se gerere: aut id facere, quod ex illius edictis durius haberetur: aut propositionem hanc, quam aduersarij asserunt, veram esse, Non parendum omnino Principi, qui non eandem nobiscum Religionem profiteatur: atque subditos pro sua Religione tuenda bellum illi iure inferre posse. Ediderunt sapissimè scriptis publicis rationes & causas, quibus adducti cogentur ad arma necessariò confugere, vt crimen, quo arma contra Regem capere accusabantur, à se repellerent. Hic igitur ea paucis complectar: & lectorum animis atque oculis penè ipsis subiiciam bellorum ab illis antea susceptorum causas, quas iustissimas fuisse contendunt.

*Religiosi
cur & in
quem ar-
ma sumse-
runt.*

Primum quòd attinet ad ea quæ Romani Pontifices docuerunt, & quæ Sorbonici Doctores Parisiensibus responderunt, Non licere solum, sed Religionis Catholicæ officium etiam & zelum esse, aduersus Regē suum, si quidem Paganus sit, infidelis aut hereticus hostilia arma capere: hanc certè doctrinā Religiosi semper cōdemnarunt, & ob eam Papas ipsos vehementer accusarunt. Et verò in illa suæ fidei cōfessione, quam euulgarunt, hoc disertis verbis caput scriptum extat, quo præcipiunt & monent, quanquam Principes essent eiusmodi, eorum tamen legibus & constitutionibus obtem-

*Religiosi
suorum Re-
gum obser-
uantissimi
semper
fuerunt.*

obtemperandum esse, sua illi tributa, alia etiam munia & munera persolueda, imperij iugum æquo & alacri animo perferendum, dummodo de summo Dei imperio nihil quicquam ab ijs detrahatur.

Illud omni nobis asseueratione affirmant, nullum in suis cœtibus existere iam, aut extitisse antea, qui superiores Reges omnes non agnouerit, ut summos suos Magistratus: qui de ijs non sit præclare, & honorificè loquutus: & qui vllum obsequij & submissionis munus illi recusarit, Eorum ministros è suis suggestis docentes audire quiuis potuit, & inde cognoscere quanta cura quantoq; studio suum gregem ad id exhortati sint. Quinetiam illud proculdubio constat in precationibus quibus apud Deum vsi hætenus sunt, & quotidie vtuntur, tum publicè quum sunt vnum in locum congregati, tum priuatim in suis familijs, ex alijs præcipuis ipsorum postulationibus hanc esse vnam, qua Deum precantur pro vita, salute, & commoditate prosperitateque vitæ Regis, qui regnabat: & pro Magistratibus omnibus, qui ab eo in potestate & dignitate aliqua constituti erant. Per multi illius Religionis homines flammis obiecti sunt, & alijs suppliciorum generibus affecti. At in tabulis publicis, quibus peccata causam aperiunt, nullum vnquam contumaciæ & defectionis admisse: immo ne vllius quidem contumeliæ in Principem suum iactæ crimen scriptum reperietur. Si quis fortè extitit, qui aut temeritate aut priuata aliqua offensione, aut potius morbo animi abreptus verbum aliquod contumeliosum aut dixerit aut scripserit: illi certè nunquam id comprobarunt.

Atq;

Atq; hoc ingenuè fatendum est, istas imperio-
rum pestes Anabaptistas, nullos vsquam illis
ipsis acriores aduersarios habere: Idq; eius Re-
ligionis Ministrorum diligentia prouisum, fa-
ctumq; esse, vt isthæc hominum portenta, quæ
in tam multas regiones dispersa ac profemina-
ta sunt, easq; erroris sui contagione contami-
narunt & corruerunt, ne extremis quidem
huius regni finibus appropinquarint.

De bellis ante actis iidem contendunt, eâ *Religioso-*
nec defectionem, nec obsequij officijq; recu- *rum bella,*
sationem vllam fuisse: sed iustam sub Regiæ *nec defe-*
stirpis Principum nomine & auctoritate, sub- *ctio, nec ob-*
ditorum Regis propugnationem, qui diris & *sequij recu-*
infestis modis, contra huius regni leges vexa- *(ario fue-*
bantur: idq; ab externis hostibus, qui domina- *rum).*
tum eum ipsorum pernicie coniunctum obti-
nere volebant. Regis nomen, sed eo inuito ali-
quando vsurpantes, cum interim Regium &
nomen & imperium, bona fidelium subdito-
rum parte oppressa, frangere & debilitare co-
narentur, vt facilius postea illi bellum inferre
possent: quod & tandem factum est. Illi au-
tem hoc ad hunc modum docent.

Bella ciuilia geri cœpta sunt anno Domi- *Trium or-*
ni 1561. Aliquot antè mensibus trium regni or- *dinum con-*
dinum conuentus Aureliæ acti sunt, deinde *uentus Au-*
Pontifara continuati: statu huiusce regni tran- *relia, Pon-*
quillo adhuc, ciuiumq; ingenijs ab exitiosis *tifaraque,*
istis factionibus, quæ nos ad consilia tam per- *acti.*
niciosa capienda non sine nostra omnium mi-
seria & calamitate maxima postea impulerunt,
vacuis & integris. In ordinibus illis communi
omnium consensu decretum fuit, vt Religiosis
viris libera religionis suæ colendæ facultas es-
set, &

set, & controuersie inde enate ad Ministrorum
& Doctorum viriusq; religionis conuocatione
reijcerentur. Edictum ad eam rem confirmati-
dam ex ordinu postulatione omnibus edictor-
um solennibus ac iustis summa cum ceremo-
nia seruatis compositum, promulgatum, & au-
ctore Senatu in tabulas relatū fuit. Illud verū
edictū est, quod ex ipso promulgationis tēpo-

*Edictum
lanuarij.*

*Colloqui-
um Postria-
cum.*

*Strages im-
manis Vasa-
siaci edita.*

*Rex à Gui-
sis captus.*

re, lanuarii edictū nuncupatum fuit. Eeq; cōtro-
uerfia in vtramq; partē agitari & excuti crep-
sunt in eo doctorum virorū conuētū, qui Post-
faci postea celebratus est. Verūm Guisij quie-
tis & otij huius regni impatientissimi, cōstitū-
tum hoc fecū habētes, per nostras dissensionē
ad amplissimū dignitatis fastigium sibi cōten-
dendum esse, arma ceperunt, & primi bellum
inierunt, quum vniuersum regnum in certissi-
ma diuturnaq; pace esse videretur. Ab ijs non
lōgè aberat in Vassiaco oppido Religiosorum
multitudo, eaq; satis numerosa. quæ cum sum-
mo otio & requie frueretur, & edictorum Re-
giorum fiducia secura, festo quodam die in
cum locum ad inuocandum Deum congrega-
ta esset: Guisij post suum à sua ditioe discer-
sum, vt ostenderent quo proposito & consilio
in Galliam ingrederentur, miseros illos aggreg-
diuntur, incautos opprimunt, & in medium
gregem inuadentes, non aliter quàm furiosæ
& immanes belluæ, obuios omnes trucidant
sine vllō ætatis & sexus discrimine. Atque ha-
tam miseranda ac luctuosa strage edita inma-
niores etiam effecti, eandem se vbique loco-
rum patruros adiurantes, tunc sanguine re-
duntantes, furore cæci, marte aperto grassan-
tes in aulam contendunt, Regem capiunt, totū-
tamq;

tamq̄ auctoritatem ad se transferunt. Nulli ob-
scura & ignota est hæc historia.

Hic verò quid consilij Religiosis capien-
dum fuit? quo tempore Reges eos vinculis,
bonorum proscriptionibus, & omni tormen-
torum suppliciorum què genere persequeban-
tur, & multabant, id placatè, & moderatè fe-
rebant: quia hæc Regum (quibus integra sua
erat auctoritas) imperia erant, eaque non si-
ne aliqua iudiciorum formula, iustitiæ què
specie. At in bellis illis civilibus, tunc primum
concitatis, ea regni lex non erat: nam & Rex,
& illius consilium, & eius suprema curia, &
comitia ipsa religionis pacem, libertatè què
dederant. Qui autem eos infestos habebant,
& vi aggrediebantur, externi erant, qui aduer-
sus patrias leges nihil nec iuris, nec auctori-
tis habere poterant. Iam què satis consilij &
actionibus suis comprobarunt, odium illud,
quo eam religionem persequebantur, è nullo
suo in Dei cultum studio proficisci: cum veni-
rent è Germania sanè recentes, communica-
tis cum Religiosis quos Protestantes vocant,
consilij suis, illorum studium & opem, si quan-
do ijs sibi esset opus, tentaturi. Illis enim iam
inde propositum hoc erat factionum in hoc
regno duces se profiteri: Regiæ stirpis Prin-
cipes loco mouere, & profligare: eam, quam
sciebant suis esse molitionibus contrariam par-
tem, tollere: denique miscere omnia, & occa-
sionibus præsentibus ad rationes suas promo-
uendas uti.

Religiosi de strage tam barbara & imma-
ni, de què auctoritate Regis & Reginæ illius
matris vsurpata certiores facti, cum facillè colli-
gerent

*Qua causæ
sa Religio-
sos ad su-
menda are-
ma monu-
erint.*

gerent idem consilium aduersus se omnes susceptum esse: sibi suisq; consulere optimum factum iudicantes, urbium portas occluserunt, ad arma etiam concurrerunt. Quid enim? si defensio salutis nostræ aduersus latrones & grauesatores iusta est: si vnicuiq; quocunq; iure licet arma sumere, quibus vitam suam tueatur contra sicarium quem sui interimendi causa domum suam irrupisse viderit, annon idem quod Religiosis licere debuit aduersus externos quia nulla auctoritate præditi essent, regni leges protererēt, & in medio iam regno gladiis civium cæde cruentos districtos haberent, trucidandum & subuertendum omnia? Quid aliud hic Princeps Condæus per multis coronæ Regiæ administris comitatus facere debuit pro ea, quæ in hoc regno valebat, auctoritate & gratia, & potissimum Rege adhuc impubere, cum videret leges violatas, ciues ad mactatum nem inmanissimè designatos, regnum perturbatum & per vim occupatum ab externis istis qui tam multis iam totiesq; repetitis argumentis suum illud fictitium aduersus regnum Regesq; nostrosius non significarant solùm, sed etiam declararant? Quid illi ipsi faciendum fuit, cum videret, & nobilitatem, & tam multos populos ad se vndiq; concurrere, in suum etiam sinum confugere, vt ab impio isto latrocinio eriperentur? Reginam ad eum matrem clamore & precibus à se petere, vt & matris, & filii curam, tutelamq; susciperet id quod ille Princeps Regiæ ipsius literis ad se ea de re scriptis confirmat? Atque hæc sunt horum bellorum civilium causæ & principia. Quæ cum ita esse certò verèq; constet: non aliter profectò

Etò ex æquo quidem & bono iudicari potest, quin ea fuerit Religiosorum vna & iustissima propugnatio: Intercedete regii sanguinis Principe cum auctoritate, Rege impubere, pro legibus, pro regni tranquillitate, & contra viro- rum priuatorum, nullaq; sanè iusta & legitima, auctoritate instructorum vim atque violentiam. Ea verò arma contra Regem regiamue dignitatem & imperium sumta fuisse, nullo certè modo est nec verisimile, nec probabile, vt in ipsorum declarationibus perspicere potest. Reliqua autem bella eiusdem planè generis fuerunt, quippe ex primo illo, velut à fonte deducta, reuocata, consequuta, & sui duntaxat propugnandi ergò suscepta. Causæ verò aduersariis & incitamenta eorum renouandorum eadem semper fuerunt: nimirum Principum, nobilium, & aliorum clarissimorum viro- rum à Rege & regni administratione alienationem, & deturbandorum consilium, vt hac ratione ad alias, quas propositas habebant, spes viam sibi præmunirent. Ea semper contra ordinum legem fidemq; publicam admissa sunt, & ab iisdem hostibus, quibus illud primum, Regis quidem nomen in iis adhibebatur, sed libera voluntas minimè, ipsi Reges inter domesticos suos atq; intimos familiares (iis, quibus) pro animi libidine sibi imperabant, absentibus) sæpenumero declararunt, quantum inde dolorem acciperent. Quumq; data quacumq; occasione atque identidem pacem & libertatem Religiosis reddebant, quum se fidelium subditorum loco eos habere Deo teste adhibito iurabant, quum id, quod ab iis bellorū tempore factum fuerat, non contra suam auctori-

Religiosorum bella contra Regem non fuerunt

tatem, sed ad suam voluntatem regniq; utilitatem factum fuisse agnoscebant, & edictis suis profitebantur: annon hinc se ad bellum gerendum per vim attractos, non sua autem sponte, nec animo integro ac libero, ea bella tum aggressos, tum prosequutos fuisse satis docebat. Exitus tandem id confirmavit. Rex n. defunctus, videns se per atatem summo cum imperio posse regno suo præesse, ac bellis toties contra voluntatem repetitis fessus, & falsa sui nominis usurpatione offensus, re ipsa ostendit suam hanc mentem esse ac sententiam, ut summa perpetuatq; pax servaretur. Quæ causa fuit, ut Lotharingi, grauius feretes, sibi iam integrum non esse Regis nomine ad regnum pro animi libidine perturbandum abuti, atq; hoc, fauere hæreticis esse, interpretarentur: bellum illi ipsi tandem intulerint.

*Comitia
Blesensia
cur legi-
ma censeri
non debe-
ant.*

Quod ad comitia Blesis habita pertinet: si quis fortè bellum in illis aduersus Religiosorum decretum, & legem in comitiis Aurelianensibus latam irritam hoc pacto esse contendat: maximæ profectò rationes suppetunt, quibus eiusmodi comitia oppugnari & euerti etiam possint. Ea enim in summo belli ardore & æstu habita sunt, quæ comitiorum huic regno infamæ notam semper gerent: quòd tunc primum & arrepta ex iis occasione, funestæ istæ & impiæ coniurationes extiterint, missis consulti per hostes quocunq; locorum factiosis, qui populi animos ad discordiam incenderent, atque pii in religionem Catholicam studii nomine, certa quædam capita consignanda curarent, quorum beneficio & auctoritate, suffragia in singulorum municipiorum conuocationibus

nibus colligerent, placidis quietisque ciuibus
 timorem iniicerent, omnem denique liberta-
 tem adimerent. Hęc igitur comitia, quia ni-
 hil verè aliud fuerunt, quàm merè conspira-
 tiones, & perniciosarum coitionum (quę no-
 bis hucusque tam graues & exitiosas ruinas
 pepererunt) origo, in anteaactis illis comitiis,
 quę huius regni columen & conseruatio sem-
 per fuerunt, annumeranda non sunt, sed po-
 tiùs in insignibus Gallorum calamitatibus,
 grauissimisquę omnium infortuniis. Eò non
 conuenerunt permultę prouincię, quę bello
 detinebantur. & quanquam illic de bello ge-
 rendo constitutum fuerit: constitutum ta-
 men id fuit contra omnem ordinem, nulla
 prorsus tam multorum, qui pacem rogabant,
 ratione habita. Quòd si tum demum belli
 cum Religiosis gerendi ius incepit: hoc igi-
 tur concedere est, nullo antea iure bellum sus-
 ceptum, & eò iniuste prouocatos fuisse Reli-
 giosos, ac proinde iustissimam sui defendendi
 causam habuisse. Quod quidem si de primis
 bellis ita se habet: in ceteris quodnam discrimen
 inesse videbitur? Nec rationi vllò modo
 consentaneum est Aurelianensi ordinum con-
 uentui Blesensem opponere. Aurelianensis n.
 in summa pace rerumquę omnium tranquillitate
 celebratus est, quum nullis discidiis Gallia distra-
 cta esset, nec Galli aliud quicquàm meditarētur,
 ac curarēt, quàm publicam vtilitatē: quum nulla in
 captandis suffragiis ambitio esset, necdum factio-
 nis nomē audiretur, sed tanta vbiq; libertas es-
 set, vt maior optari vix posset. Itaq; leges sum-
 mo omnium delegatorum, qui eò vndiq; conuene-
 rāt, cōsensu adhibito sancite, infirmari irritęquę
 fieri

*Aurelianensis con-
 uentus cum
 Blesensi
 comparan-
 tio.*

fieri nullo iure possunt à Blesensi conuentu trinu-
multo offissimè factò, bellis ardente Gallia, sine
vlla libertate, cum tantis animorum perturbati-
onibus, cum tot coniurationibus. Atque hæc
ij, qui religionem reformatam profitentur, sui
purgandi causa docent.

*Religiosi
tempore
belli quò
spectarint.*

Cæterùm postulant, vt præter huiusce belli
causarum considerationem, omnes suæ toto
belli tempore actiones, finesq; animaduer-
tantur: num in iis obseruari possint vel mini-
mæ suspiciones, vnde conicias eos aut à Rege
suo deficere, aut cum eo bellum gerere vnquã
voluisse. Illius maiestaté semper compellarunt
illi semper tum verbis tum scriptis suis respõ-
derunt honorificentissimè & modestissimè.
Illi testificati sunt atq; confirmarunt arma quæ
iure tenerent, se continuò abiecturos, quum
primùm cõtra hostium impetum & ferociam
edictorum regionum fiducia atque auctoritate
freti, quietè ac tutò degere domi suæ possent.
Hæc verò summissiones tamq; magnæ tamq; a-
lacres & liberæ fuerunt: studium item parendi
ac obsequendi tam voluntarium tamq; prom-
tum, vt earum partium maximis & clarissimis
viris, & innumeris etiam hominum millibus
in tot & tantis, quæ ab aduersariis crudelissi-
mè editæ sunt, stragibus, exitio pernicipiq; id
fuerit.

*Religiosi
ab Hispano
vt bellum
mouerent
nequicquã
solicitati.*

Cùm Dux Andegauensis defuncti Regis fra-
ter in Belgio esset, ordinum partem aduersus
Hispaniensem tyrannidem vindicaturus: Rex
Hispanus, vt ita Gallorum copias à se auerte-
ret, de perturbanda quoq; Gallia, pariq; iniuria
referenda, consilium cepit. Hæc consilii ratio
oportuna & perfacilis illi visa est, si cum Reli-
giosis

giosis ea de re ageret. Non ignorabat enim, quàm indignè & miserè tractati illi fuissent, quàm malè seruarentur & præstarètur ea, quæ ipsis in pacis fœdere faciendò promissa essent: quàmq; malè animati in eos essent ii, qui summa apud Regem auctoritate valent. Hoc igitur secum ipse reputabat, si hominibus, quibuscum tam iniquè actum erat, luculentam aliquam conditionem offerret, qua permotà bella intermissa repeterent, eos conditione latè ubenter vsuros. En præclarum Hispanici in Religionem Catholicam Romanam zeli argumentum. Per id tempus Rex, qui hodie in Gallis regnat, in Bearnia erat, Hispanus cõmunicandi facultate per finitimarum ciuitatum gubernatores suos postulata, conceptas animo conditiones offert, omnesq; suas artes & machinas ad hoc adhibet, vt Regem Religiososq; renouato bello inter se committat. Istæ autem conditiones ingenti pecuniæ summâ, cuius ope bellum iniretur, in promptu numerandâ constabant: reliqua autem summa ad continuandum bellum singulis mensibus ex pacto conuento persoluenda erat. Tunc verò *Regis, Res ligrosas tumque in patriam fides & pietas.*

quanta fuit Regis nostri & eorum qui cum eo erant, fides? quantus patriæ aded iam afflictæ amor & studium? quanta commiseratio? quanta barbarum concitandarum metus? quanta Regis & illius auctoritatis reuerentia? quanto per se ab omni cû externis huius regni hostibus communicatione & commercio alienos esse ostenderant? quanto publica pax aut priuato otio, aut vindictæ cupiditate, aut ambitione, & ex publicis incommodis sua commoda comparandi spe, carior illis, quanto antiquior

tiquior fuit? Has omnes quamuis amplas & lautas condiciones stomachosè fastidiosèq; respiciunt: atque Hispanorum delegatos illos pudore suffusos, & suæ in Regem regnumq; fidei testes dimittunt. Tum id ad Regem illicò perferendum curant, cum de Hispaniæ consiliis admonituri, vt diligenter sibi caueat, ne, quas condiciones ipsi repudiaissent, aliis quibusdam offerrentur, qui nec illius obsequio tanta fide addicti, nec publicæ tranquillitatis ita amantes forent. Nec vanum augurium fuit, nam Lotharingi eas cōditiones sibi postea latas sine recusatatione, sine vlla etiam religione acceperunt.

Ante annum propè quintum, quū bella hæc postrema geri cœpta sunt, videns Rex demortuus se à coniuratis bello peti, Religiosorū primos & clarissimos quosque admonuit, vt sibi præcauerent: coniuratorum n. tanto belli faciendi ardore accensorum & consilia & arma ad eorum perniciem spectare. & verè ita euenit. Religiosi n. vi à Lotharingis sibi facta, ad bellum tandem necessitate gerendum adacti sunt. Quòd si hoc ipsis propositum vnquā fuisset, bellum Regi suo inferre, & nefariū aliquod consiliū aduersus illius maiestatem vel meditari, vel meditatum iam moliri & promouere: quænam opportunior rei maturandæ ac perficiendæ occasio, quæ cōmodior facultas dari vnquā aut spectari potuit, quum Rex bello infesto perditus, & molestis operosisq; negotiis perconiuratos implicatus, & periculis vndiq; illaqueatus teneretur? At contrà, omnes ad Regem accurrerunt, vt illi ita laboranti succurrerent. Et quanquam factiosi isti suis artibus & viribus à Rege nomenq; potentiamq; suam extorsissent, qua

Religiosi à Rege defuncto præmoniti, vt sibi caueant.

Regi oppresso supplicantes fuerunt.

qua instructi, armis eos persequerentur, videreturque hinc satis iusta Religiosis occasio, ne vllam amplius illi fidem haberent: Regem tamé furiosius adhuc à coniuratis vexatum, ipsiusque maiestatem tanto semper & amore & honore prosequuti sunt, vt se illi dediderint, omnes suas vires illi subiecerint, omniumque primi suas opes & vitas deuouerint, quò eum à præsenti periculo vindicarent. Hæc sunt igitur bellorum religionis ergò susceptorum initia, progressiones & exitus. Neque hoc leue est ad Religiosos omni culpa apud præsentes posterosque liberandos momentum, quòd postquam tam multis argumentis perpetuam fidem obedientiamque testificati sunt, Deus tandem aliquando tragædiarum præteritarum exitu, omnium oculis patefactum perspectumque esse voluerit, eos ipsos, qui iniustissimis & hostilibus bellis toties, tamque obstinato animo Religiosos persequuti erant, cogitationes & consilia omnia in regni potiendi spe defixa omninò habuisse, & capitales ac infestissimos Regisque regni que hostes fuisse. Nimirum hoc illud est, quod Religiosi semper prædicarunt, belli aduersum se gerendi prætextum ex religione quidem capi: sed perspicuum aliquando fore, & inter omnes constaturum, istum qui obtenderetur zelum, nihil aliud quam regni occupandi cogitationem & spem esse. Atque ita Religiosi hoc iis responsum esse cognitumque volunt, qui ipsos contumaces ac seditiosos fuisse, & ad bellum aduersus Regem suscipiendum cæteris exemplo fuisse obiectabunt.

*Conclusio superioris Disputationis de obsequio
& obedientia, qua Principibus debetur,
quantumuis Paganis aut hæreticis, & à se
de aberrantibus: Tum, quid Christianis
cum tales Principes habent, sit faciendum*

CAPVT IIX.

CVM in hac de Principibus Paganis, aut
quocunq; modo à fide Christiana alienis
disputatione, Dei præcepta ita manifesta, & pe-
petua Ecclesiæ exempla habeamus, nihilq; sit
quod eis iure opponi possit: concludendum
iam nobis est, quum Deus tales nobis præfici-
iis sese subiiciendum esse. Cæterum Christia-
ni cum id euenit, amplissimam colendi officii
materiam habent, si rectam disciplinam, quam
ex doctrina & fide Catholica hauserunt, suum
zelum & pietatem re ipsa comprobare velint
non in capiendis quidē aduersus Principē ar-
mis, & regni statu perturbando, atq; furiosorum
& eorum qui prauis cupiditatibus transuer-
saguntur, more, cōcitantibus ad seditionem sub-
ditis. sed in iis verè & ex animo præstandis qui
sunt suæ vocationis & muneris: quæ Euangelii
doctrinæ, quam profitetur: quæ Spiritui, à quo
sanctificati sunt: quæ deniq; hominib. ad paci-
entiam, ad pacē, ad lenitatem, ad amorē, cum in-
oēs tum in suos etiam inimicos habendū voca-
tis conueniunt. Si quē igitur cum summo im-
perio nobis, ppositum habemus, à quo nō no-
bis tantum, sed toti èt Ecclesiæ metuemus: id
nobis omninò agendū est, quod filio probè in-
stituito, si patrē impiū habeat: aut seruo si talem
dominū: aut vxori si eiusmodi maritū. Non in-
tā Principis personā & mores spectabimus, quā
Deum

*Regnante
Principe
Pagano
impio,
quid tum
Christia-
nis agen-
dum.*

Deū ipsum, cui hoc ita visum est, quique pro sua iustitia, sapientia, atque adeo pro ea, qua in Ecclesiā totā & sigillatim in suos affectus est, beneuolentia, hanc nobis colendæ virtutis, officiiq; nostri rationem tradit: quemadmodum etiam de cæteris rebus aduersis, quibus nos exercet, ita constituere solet. Quū igitur rectā in Deum intruebimur, id profectō ad subitos & præcipientes animorum motus refrenandos, eosdemq; ne nos ad ea, quæ admittere est nefas auferant, coercendos plurimum valebit. illudq; habentes eum nobis irasci & succensere, velleq; nos castigare, & admonitionibus paternis in rectā viam reducere: tūc verò de malis è medio tollendis, & vitis, animorū morbis, quibus grauissimè plerique laboramus, sanandis serio cogitabimus. Sic enim vtile est atq; necessarium, nos à Deo ad officium aliquando excitari, & admoneri, vt id se facturum comminatur, atque historiæ Ecclesiasticæ nos docent, eam esse causam, quam obrem Deus in piorum Principum demortuorum locum, alios, quos minime omnium velimus, substituat. Nam, quū boni & ex animi sententia benigni nobis præsumunt, fit sæpissimè vt Dei beneficio & otio abutamur. Quin hoc in Ecclesia longa experientia comprobatum videmus, vt si tempora paulò tranquilliora, & tempestatis metu vacua fuerint, in plerisque omnibus vigilantia, zelus, Dei amor, rerum humanarum contemptio, cælestium honorum studium longè remissiora & languidiora esse soleant: necnon Diabolo nostro exitio semper imminente ad corrupendum perdendumq; via sit facilior: ambitio item cæteraq; animorum pestes, veluti herbe

*Principes
impios cur
proficiat
Deum.*

*Christiano
rum in im-
pios Prin-
cipes arma*

noxie citius enascantur, & validius inualescant. Eam igitur ob rem Deus hanc rerum vicissitudinem ex principum mutatione vtilissimè & necessariò inducit. Peccatorum autem nostrorum, quibus Deus offenditur, disquisitionibus remedium adhibendi cura, summissio animi & modestia, gemitus, lacrymę, fatis amplam Christianis ad officium colendum segetem ac materiam suppeditant: non autem in tam salutaribus officiis, & malorum remediis neglectis, tam precipiti & temerario animi impetu transuersos agi: atque consilia, quibus Deus vehementius irritabitur, grauioresque nobis plagę infligentur, turbulenta nefariaque sequi.

Pręterea hac maximè ratione Principes nostri moderatiores, atque ad purum Dei cultum instructiores euadent: aut si fortè à vera religione nihilominus abhorrent, mitiores certè & leniores in nos erunt, Ecclesiamque minùs vexabunt, si peccata nostra agnoscentes & confitentes ad Deum flagrantissimis assiduisque precibus adhibitis confugiamus. Populi enim aduersus Principem concitatio & seditio nihil mali non inuehunt, faciuntque vt Principes suorum contumaciã ad iniuriam referendam pertinaciùs obdurescant, & grauiùs stomachentur: denique vt imperiorum & ipsius adeò Ecclesię labes ac pernicietas tandem consequatur. Deus est solus, qui his tantis malis mederi possit. Cor enim Regum in sua manu habet, vt Sapiens ille ait, & ad quodcumque vult immutat, atque impellit. Quum prauis omnis cupiditatis & violentiæ motibus sedatis, hanc tam pij & salutaris cõsiliij rationem inuicimus: Deus, qui suorum preces exauditurum

*Prouerb.
21.*

rum se pollicitus est, remedia presentissima ipse adhibebit, atque morum & studiorum in Principibus nostris mutationem nobis viuis videtibusq; efficiet: aut prauas eorum voluntates, si quæ sint, continebit: aut deniq; quod sua gloria & Ecclesiæ salutis conuenientius vtiliusq; esse iudicabit, id opportunissimè felicissimeq; præstabit.

Quòd si vlla ab hominibus remedia adferri poterunt, vnusquisque, quid sui sit muneris, & quam personam sustineat, perpendet: *Episcoporum & Ministrorum eodem* Episcopi & ministri Ecclesiæ, quia sunt verbi diuini præcones, non belli ciuilibis tubæ, *præ officium.* classis cum in suis suggestis ad populos concitandos, ad publicam pacem turbandam non canent, sed ad patientiam & resipiscentiam hortabuntur. Si verò data occasione cum Principibus à recta ratione, & religione alienis ita agere poterunt, vt admonitionibus institutionibusq; & grauiori etiam, si opus sit, seueritate (Dei quidem auctoritate & summa animi moderatione ac prudentia adhibita) aliquid se consequuturos sperent: quanta maxima fieri poterit cura, fide & opera, etiam cum certissimo vita periculo in eam rem incumbent. Et hoc quidem animo ac studio tum Apostolos, tum alios etiam Dei seruos in Principibus siue compellendis, siue ad suum officium hortandis se olim gessisse procul dubio constat: atque ita sanè vt nullam vnquam ab illis deficiendi occasionem cuiquam dederint.

Quòd si Principes obstinatis adhuc animis ad hæc prorsus occalleſcant, & prauis quorundam ingenis consiliisq; corrupti ad Ecclesiam armis & suppliciis persequendâ aggrediantur:

tunc

*Spiritualis
belli arma*

tunc Christiani viam hinc sibi à Deo non ad bellum, quod gladii & sclopis geritur, patefactam esse cogitabunt, sed ad spirituale: cuius arma hæc erunt, fides, patientia, zelus, & in Evangelii professione constantia: vnde coronas & triumphos, quos olim S. Martyres gloriosissime consequuti sunt, ipsi etiam consequantur. Atque ex iis bellis eo modo administratione effloruit verum Christianorum decus, admirabilia diuini spiritus in infirmis admodum instrumentis & vasis fragilibus facinora, peccati destructio, victoria in mundum parta, Ecclesiæ constitutio, acta bellica quæ Christi regnum per Euangelium ad vltimos vsque relictus terrarum orbis fines propagarunt. vt breuiter dicam, sapienter instituti benèq; morati subditi, Principis ignorantia, liberam aperitamq; veritatis diuinæ professionem, & duriorum imperio Christianam patientiam opponent omnibus amoris, modestiæ, summissionis, acque obedientiæ testimoniis illius beneuolentiam sibi conciliare, conantes. Apostoli vxoribus quæ maritos cum difficiles tum infideles haberent, itemq; miseris illis mancipiis, quorum etiam domini Pagani erant, & Christianæ religionis hostes, hoc ipsum cõsiliu dabant.

1. Pet. 3. *Vxores, dicebat D. Petrus, subiectæ sint suis viris vt etiam si qui nõ obediunt sermoni, per vxorum conuersationem, absque sermone lucrifaciãt.* Et D. Paulus admonet eos qui sub iugo sunt, vt suos Dominos omni honore dignos ducant, omni etiam officii genere prosequantur: quod ea esset vera & certissima impediendi via & ratio, ne infideles Dominum blasphemarent: sed contra efflu-

efficiendi, vt Dei Seruatoris nostri doctrina in omnibus ornaretur.

Quod autem Dei Spiritus aliis sub potestate constitutis, ita præcipiebat: illud etiã ipsum cõsiliũ ac præceptum in rebus similibus dat subditis, qui Principes religioni contrariã ad dictos habent. Permulti hac praua opinione *Perversa quorundã opinio.* occupati persuasum habent hæc simul consistere non posse, Catholicæ Religionis zelo teneri, & Principibus ab ea abhorrentibus subiectos esse: Deum item amare, & Regi infideli parere: & alterum cum altero ita pugnare cõtendunt, vt ad religionem in pristino statu cõseruandam, Principum, qui eam nõ profitentur, imperium subuertere oporteat. At Scriptura sacra longè aliter sentit ac loquitur, dum præcipit in eo maximè pietatem Deo à nobis debitam, amorem, rectam conscientiam bonãq; opera elucere, vt omni ordinationi humana subiecti simus: & Principibus nostris, quanquam infidelibus, quales nimirum tunc erant quum hæc scriberentur, obedientiam obsequiumq; præstemus. Quisquis aliter faciet, quemcunque tandem ad retinendam veram religionem zelum studiumq; obtendat, eam planè conuertet atque euertet. Ita enim ignaris & via ad murmurandum aperietur, & blasphemãdi, veramq; religionem, tanquam si horum omnium causa esset, odio habendi ansa præbebitur. Denique duo hæc tum Pietas Deiq; cultus, tũ Principum ac Magistratum quantumuis contrariam religionem profrentium obsequium & obseruãtia reipsa coniuncta sunt, nec seiungi vnquam debent: vt & in his tam disertè conceptis sententiis coniungun-

1. Pet. 2.

guntur: *Reddite Casari, quæ sunt Casaris, & Deo quæ Dei, Item, Deum timeate, Regem honorate.*

Controversiæ de Rege, qui sit excommunicatus, explicatio & solutio: qui docetur excommunicationem nihil obstare posse, quin minus populus subiectus illi esse, & in illius obsequio si deq̄, manere debeat.

CAPVT. IX.

Controversiæ.

IAm nobis de eo Rege cui sit piorum virorum cœtu & sacramentorum vsu interdictum, agendum est. Nam hoc quoque in disceptationem disputationemq̄ vocatur. An Regi, qui cùm se Christianum profiteatur, ob noxam tamen aliquam fuerit ab Ecclesiæ communionem seclusus, subditi parere debeant. Hic verò sacram scripturam ad eam iterum & audiamus.

Excommunicatio quid sit.

Excommunicatio, ne quis hoc ignoret, pœna est in Ecclesia aduersus eos constituta qui peccarunt, si aut in peccatis obstinatiùs persistent, aut horrendi alicuius criminis rei sint, qua pœna omni ciuitatis Dei iure priuentur, & à fidelium concilio commercioq̄ secludantur: vt sic & Ecclesia expurgetur, & is qui peccauit, Dei iudicium horrensac reformidans, intimis sensibus angatur, quò de resipiscendo cogitet, ceteri verò illius exemplo à peccando deterreantur. Huic autem pœnæ cùm reliqui omnes, tum ipsi etiam Reges & Principes obnoxij sunt. est enim pars quædam Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ ad omnes æquè pertinet.

Reges & Principes excommunicationi obnoxij.

pertinet. Cumque Principes ad peccandum, & grauisimè aliquando, procliuēs sint, salutis eorum ratio id quoque postulat, vt, quum admonitionibus solis nihil apud eos promouetur, censuræ grauiorēs Ecclesiasticę aduersus eos adhibeantur. Pij Deumque timentes Principes eas non inuiti subierunt, dum huic Christi, (qui Ecclesię supra ceteros omnes princeps est ac moderator summus) salutari pœnę, & vt ita dicam, virgæ sua sceptrā, coronasque suas, seque ad eum totos summiserunt. Insignia huius rei exempla extant in Theodosio Imperatore, quem D. Ambrosius ab Ecclesiastico cœtu abegit, & in aliis. Azarias Iudaici populi Rex consensus, vt ob lepram à reliquo populo secundum ordinem ibi constitutum segregaretur, ne mali contagio ad alios emanaret. Nec pij Principes, si quid grauius admiserint, recusabunt vnquam, quod minùs ea sibi pœna irrogetur, quæ aliis non solum exemplo sit, sed ipsis etiam, eorumque subditis saluti.

*Theodosius
Imp.*

Verum hæc excommunicationis pœna non habet adiunctam sibi bonorum proscriptionem, aut vllam iuris vllius priuationem, quod ad res quidem externas attinet: quales pœnæ à Magistratu ciuili irrogari solent. Ecclesia nihil earum vnquam rerum quicquam attingit, suam iurisdictionem à iurisdictione ciuili prorsus distinctam habens: cum hæc in corpora, bona, & alias huius vitę rationes: illa verò in animas & conscientias duntaxat rationibus spiritualibus, vim suam omnem exerat & exercent. Hęc distinctio in Ecclesia semper obseruata fuit.

*Excommu-
nicationis
non adiu-
ta est bo-
norum pro-
scripção.*

Chri-

*Excommu-
nicatio
quò spe-
ctet, quid-
ne efficiat.*

Christus eam Apostolis disertè diligèterq; cõ-
mendauit: quin & ipse sic vsurpauit, quum nõ
solum est aperte testificatus regnum suum nõ
esse ex hoc mundo, sed etiam bonorum in ter-
fratres partitionem ne attingere quidẽ voluit,
quãquam rogatus. Excommunicationis senten-
tia eò spectat, vt is qui ab Ecclesia abdicat-
us est, sit aliis velut Ethnicus & publicanus,
nullum sit aliis cum eo commercium, consue-
tudo & ratio nulla, vt pudeat, tradaturq; Sa-
thanę ad carnis destructionem, quò Spiritus
in die Domini Iesu seruetur. id quod fit, quum
ab Ecclesiastica communione, extra quam do-
minatum tenet, extruditur. At in huius excõ-
municationis capitibus, nullum est quod ex-
communicatum suis bonis aut possessionibus
aut alio quouis iure priuet, si est paterfamilias,
vxor & liberi illi subiecti esse non desinunt: vt
nec serui, si Dominus sit: nec clientes, si patro-
nus, & ita de reliquis. Nec aliter id vnquam in
Ecclesia institutum vsurpatumq; constat.

*Excommu-
nicationis
pœna per-
sonam non
transgre-
ditur.*

Ad hæc cum excommunicationis causa ad
personam propriè referatur, nimirũ ad illius
culpam, pœna etiam personã ipsam non trans-
greditur. In rebus quidem ciuilibus delicta
interdum ita grauiã & atrociã erunt, vt pœna
ad liberos ipsos redundent, qui inde & hono-
rum & priuilegiõrum, & bonorum iacturam
faciẽt: in excommunicatione verò nullo mo-
do. Etenim si pater est adulter, aut hereticus,
aut in Ecclesiam contumacior, excommuni-
cabitur, at si liberi patris scelerum nec conscii
nec socii sunt, sed Euangelii præceptis parent,
& sanctè in tota vitę ratione se gerunt: quos
Deus sibi domesticos, filios, & Christi vnã cum
reli-

reliquis fidelibus membra constituit & agnoscat, hos Ecclesia tanto honore minime spoliandos censet. Quò enim iure filius benemeratus, hoc solum nomine quòd patrem sceleratum habeat, Sathanę cum patre mancipabitur, & è piorum cœtu exigetur? ea enim excommunicationis pœna est. Hęc igitur pœna in eo tantum, qui aliquod piaculum admisit, hæret.

Verumenimverò pœna hæc quanquam sit reliquis omnibus tormentis longè grauior & formidabilior, ea tamen vt salubris quedam medicina ad eius qui peccauit, vtilitatem, tanquam ad scopum maximè spectat: nec ea quidem perpetua est, sed tantisper dum finem sibi propositum consequuta fuerit, & sceleratum virum ad relapsionem melioremq; frugem reduxerit. Tunc enim pœna cessat, & sceleratus ille, quia relapsus, quia ad sese rediit, in pristinum statum, & in illud, quò antè in Deiciuitate, hoc est in Ecclesia, vtebatur, fruebatur, ius municipale restituetur. Atque hæc est doctrinę excommunicationis summa, qualem quidem sermo diuinus nobis proponit, qualem etiam Apostoli in primęua Ecclesia obseruarunt.

Excommunicatio perperuam non est.

Ex his igitur videamus an Principi, quia excommunicatus sit, suum ius in regnum perdat, sua item imperandi auctoritas. An etiam subditi, illius quo tenentur obsequij & obedientię legibus solui merito possint. Facile quidem hinc colligere est nullo modo posse. Ecclesia enim, quę infimorum etiam bona & possessiones nec tractare, nec curare solet; nunquam sibi tantum arrogabit, vt vel de

An Princeps excommunicatus regnandi, imperandi ne iure catur.

regnandi iure aliquid attingat, vel de Regum
 opibus, possessionibus, & potestate quicquam
 statuat: hoc sanè consilio, vt sua ipsis adimat,
 quę in alios deinde transferre velit. Huc ac-
 cedit, quòd si hoc ita se haberet, deterior foret
 Regum, quàm vilissimorum quorumque
 conditio: necesseq; esset, vt excommunicatio
 nouam quandam naturam indueret, si Regi-
 bus, illius vi, facultates & iura tollerentur, ali-
 is verò minimè. Maxima autem incom-
 moda, grauissimique casus necessariò conse-
 querentur, in regnis & imperiis potissimùm,
 idq; contra proprios legitime excommunica-
 tionis fines, verumque vsum, hunc scilicet, vt
 eorum qui peccarunt salutem, & Ecclesie digni-
 tati atque vtilitati consulatur. Cùm enim Re-
 gibus hoc sit innatum, vt debitum sibi hono-
 rem in alterum transferri ægerrimè omnium
 ferant: si quis ob noxam aliquam auderet
 suum ipsis sceptrum excommunicationis vi
 eripere, non esset hoc profectò eorum molli-
 re animos, & ad modestiam temperantiam-
 que reducere, sed ad furorem potius adigere,
 & ad violenta exitiosaque consilia suscipien-
 da concitare: denique ad grauiora longè at-
 que atrociora flagitia patrandà præcipites a-
 gere potius, quàm sua se dignitate spoliari si-
 nant. Ex literarum monumentis constat, quot
 bella, quantaq; clades in orbem terrarum in-
 uectæ sint, quando cunque tentari cœptum
 est vt Principes de suo throno deturbarentur.
 Hoc igitur iterum si tentaretur, illinc
 quidem certè cædes, sanguinis effusio, ruina,
 insignes calamitates & vastitates horrendæ
 non

*Incommo-
 da iniqua
 excommu-
 nicatione
 consequen-
 tia.*

*Bella ob
 excommu-
 nicatos
 Principes
 mota.*

non sine totius Ecclesiæ subuersionis periculo nascerentur. At Iesu Christi Domini nostri Ecclesia tot tantorumque malorum causa nūquam esse uolet, quippe eodem cum sponso suo ingenio prædita, lenis uidelicet, pacifica, quietisque & utilitatis omnium studiosa & amans. Præterea pœna ad alios quàm ad eum, qui esset excommunicatus, perueniret. Nam si alius in Regio folio collocaretur, id eius, qui excommunicatione illa fuisset multatus successoribus, qui pij fortasse essent, non restitueretur: contra quàm de recto excommunicationis usu diximus.

Aliud item incommodum. Postquam enim Rex per excommunicationem loco motus esset, si vicem suam non sine acerbissimo animi sensu dolens ad rectam uiuendi rationem Deif beneficio conuerteret, non posset tunc Ecclesia restitutionem sui in integrum illi recufare. At alius interim auctoritatem & imperium teneret, à quo, pro insita in iis, qui regni gubernacula vel extremis, ut dicitur, digitis attigerunt, regnandi cupiditate, vix vnquam auelli posset. Et iniuria atrocissima, & grauior sanè quàm ut facilè sanari posset: ex qua nimirum in iuris vsurpati restitutione, cui Ecclesia nullum remedium adferre posset, maxima bella necessariò consequerentur. Hæc omnia incommoda malaque vnà cum vero excommunicationis usu satis probant nec Principem licet excommunicatum ab imperio esse summouendum, nec subditos fidei & obsequij legibus soluendos. Quod etiam historix Ecclesiasticæ ita vsurpatum esse

Aliud incommodum

*Theodosii
exemplum.*

esse docent. De Theodosio Imperatore loquuti sumus. Cùm D. Ambrosius illi sacris interdixit, nec coronam illi detraxit, nec imperii subditos ab omni parendi necessitate, qua antea tenebantur, liberos esse pronunciauit. sed seueritate hac Ecclesiastica vtens, eum tamen perhonorificè semper compellauit tanquam Imperatorem, atq; eum vt suum summũ dominum atque principem agnouit, & coluit. Alij enim præter illum, eãdem excommunicationis pœnam subierunt, nonnulli ob hæresim, quidam ob tyrannica aliquot facinora, vt in ipse etiam Theodosij filius Arcadius: sed vt excommunicationis quicquam de illorum imperii suos auctoritate & imperio detractum esse, nemo vnquam putauit.

Pontificum in Regum & Principum excommunicatione, vt suo imperio priuentur, abusus.

CAPVT X.

ADuersus eam, quam modò attulimus excommunicationis doctrinam, Pontifices Romani hanc ab aliquot sæculis opinionem sparserunt, Principem quem excommunicauerint, suo iure spoliãdum esse, illiusq; regnum direptioni exponendum. Idq; ita contra plurimos Imperatores factitarũt, & eorum subditos hoc pacto ad defectionem incitarũt, itemq; aduersus alios, tum in Italia, tum alijs locis Reges ac Principes, ac præcipuè Nauarra Regem huiusce proauum, qui per Regem Hispaniæ regno suo spoliatus fuit. Quod etiam in alijs

aliquot Reges nostros tentarunt. Illi autem in hoc planè sunt repudiandi, & multis quidem de causis.

*Pontificiū
excommuni-
catio*

Primum id sit præter rectum excommunicationis vsum, qualis in sacra scriptura traditus, & à piis Patribus nostris in prisca Ecclesia

*cur nibili
facienda.*

observatus fuit. Vt etiam huic Paparum consilio conatuiq; per omnes ætates ac tempora à multis Episcopis aliisque clarissimis viris,

*Excommu-
nicationis
abusus.*

tum in hoc regno, tum in Germania & aliis etiam in locis restitum repugnatumque fuit.

Secundò, hæc Paparum propositio & sententia ex eo fonte, ex quo nihil vnquam puri

*II.
Pontificiū
ambitio*

sincerique manare poterit, nempe ex mera manifestissimaq; ambitione, atq; terrenæ dominationis constituendæ, & vna totius Christi

orbis suo imperio subiiciendi cupiditate manavit, vt antea iam diximus. Ad id enim

cõsequendum via hæc opportunissima & maxime compendiaria videbatur, si quis Princeps ipsorum consiliis opponere se vellet, di-

rum istud excommunicationis fulmè in eum statim eiaculari, hominesque eò adducere,

vt crederent se illius excommunicationis vi ab omni obsequij fidelitatisq; erga suos Prin-

cipes iure exemptos esse, posseq; alios, in quos imperium transferrent, arcessere. Vnusquis-

que tam ominosum & sinistrum fulmen animo horrebat, nec erat quisquam, qui tanto

terrore perculsus, caput, animumq; non demitteret, ad Paparum pedes se abiiceret, cre-

pidamq; illorum deoscularetur. Sed tanta hæc arrogantia, tum à pii Episcopi, Deiq; cultui ad-

dicti, recta, qualis in sacra scriptura præscripta

est, officij regulatum ab Apostolorū, eorumque successorum, & illorum etiam ipsorum, qui primi Ecclesiæ Romanę præfuerunt, exemplis longissimè abest.

III.

*Excommunicati
necati
Pontif.
fundamen
ta falsa.*

Tertiò Papæ non sunt audiendi, quum de excommunicatione ita loquuntur: quòd fundamenta quibus nituntur, omnino falsa sint. Ea autem in ipsorum Canonibus continentur. Quin nuper Papa Sixtus Regem hūc nostrum, defunctum Condæum Principem illius consobrinum, denique Henricum tertium demortuum excommunicaturus, illa in suis bullis adhibuit: vt nobis scilicet persuaderet atque confirmaret se pro suo iure eos excommunicare posse, & res sacras illorum regno interdicere. In iis primùm proponit duos ex sacra scriptura locos, deinde potestatem, quam sibi esse ab omnibus concedendam animi suum inducit, nimirum cū D. Petri sit successor, summam sibi esse in omnia totius orbis imperia, regna, & principatus auctoritatem, cuius fiduciã possit de iis pro animi sui libidine constituere. At id omne falsum est.

*Primus locus
quo Pa
pa sua ex-
communicati-
onem
probat.
2. Cor. 10.*

Primus sacre scripturæ locus ex D. Paulo sumtus est 2. Epistol. ad Corinth. his verbis: *In carne incedentes, secundum carnem non gerimus bellum, (arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinitus valida, & ad subuersionem muniturum) dum ratiocinationes euertimus, omnemque sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, & paratum habemus, quòd vindicemus omnem contumaciam, postquam impletæ fuerit vestra obedientia.* Ea ipsa sunt Apo-
stoli

stoli verba. Ecquid verò ex iis elici potest, unde id efficiatur quod Papæ animo & cogitatione sibi ipsis fingunt, omnem se in omnia auctoritatem habere, qua Reges ac Principes excommunicare, & sua excommunicationis bulla de sua sede statuque demouere, eorumque subditos eo, quo tementur, fidei, summisionisq; nexu liberare possint? Apostolus autem manifestò de Euangelij prædicatione loquitur, cuius effecta sunt omnem sublimitatem deprimere, & hominum cogitationes obediæ Christi subiicere: atque, si contrà obfistatur, vim facere, vt Christi regnum stabiliatur. Sed quoniam tales Euangelij effectus sunt planè admirabiles, totaque summorum quorumque Monarcharum in suis omnibus præliis, vrbiū, arciumque obsidionibus vis & potentia præ iis nulla est, dicendi genera similitudine quadam inde transtulit, vt splendidiore & ornatiore oratione eiusmodi effectus exprimeret, qui propriè sunt virtus diuini spiritus, per quem fit, ne Euangelij prædicatione irrita sit & inanis. Hi autem effectus in fidelium animis primùm videntur.

*Verborum
D. Pauli
explicatio.*

Quum enim Euangelium annuntiatur, si *Euangelij
effectus.* qua sit in iis superbia & arrogantia (vt omnibus hominibus insita hæc esse à natura constat) si qua praua opinio, si quod nefarium consilium penitus intixum, Euangelium, diuini spiritus, qui vim suam profert, virtute ea omnia superat, debilitat, frangit: sicq; omnis altitudo abiicitur, & subiicitur, vt Christi imperio summittatur, & cedat. Ne longè abeamus, eius rei in ipso D. Paulo specimen

Act. 9.

videre est. Erat enim Ecclesiæ persequutor, ar-
rogās Phariseus, qui minis & cadibus inflam-
matus cum manu contra discipulos Domini
contendebat, vt scriptura loquitur. hæc erat
illa sublimitas aduersus Dei cognitionem se
efferens. quid tum postea? Christus loquitur.
Euangelium D. Paulo patefit. ille continuo vti
huius sermonis prosternitur, & quasi captiuus
ad Christi obsequium compellitur. Illud
ipsum est quod Prophetæ, sed aliis verbis præ-
dicebant fore aliquando, nempe quum Evan-
gelium annunciaretur, vt excelsa & curua o-
mnia deprimerentur, quo iter rectum fieret:
vt lupi, leones, & aliæ feræ immanissimæ na-
turam suam exuerent: hoc est, vt ingenia ho-
minum vel contumacissimorum admirabili
quodam modo mutarentur, & summa cum a-
nimi alacritate ac summissione Christi iugum
subirent, obedientiamquæ illi præstarent.
Præterea si fortè Diabolus Euangelio obnita-
tur, si hæreses velut arces quasdam, quibus
instructus sese Christo opponat, excitet: tunc
etiam Euangelij prædicatio suam vim depro-
mit & edit. Est enim lux, quæ suo splendo-
re densissimas quasque erroris & ignorantie
tenebras ex animis nostris dispellit: Tonitru-
um est, quod has omnes arces deturbat & affligit:
vis est & sapientia, quæ omnia Sathanæ, illius-
que ministrorum consilia dissipat atque irri-
ta facit. id quod, cum primùm Apostoli Euan-
gelij annunciare cœperunt, euasisse visum est. Re-
ligiones. n. falsæ, quæ tam firmis fundamentis
iam dudum niti, diuturnæque futuræ videban-
tur, tunc deficere cœperunt: hæreses, quas cum-
que Sathã inuehebat, discussæ sunt. in Samaria
Simon

Isa. 11. & 40

Simon quidam, qui præstigiis suis mentes hominum irretitas tenebat, & veluti Deus alter habebatur, momentò percellitur & concidit, cogiturq; se Christo submittere. inter Græcos præclara illa, qua tantoperè gloriabantur atq; efferebantur, sapientia tota è Philosophorum scholis momentò euauit. tyranni ipsi tanta, qua in martyribus cernebatur, Dei virtute percussi, obstupescabant. Nimirum vaticinati hoc erant Prophetæ futurum, vt Christus virga oris sui terram percuteret, & spiritu labiorum suorum impium interficeret. ea fuere Apostolorum & eorum successorum arma, præclaratq; ministerii Euangelici facinora, ad deutiendas & euertendas munitiones, & omnes cogitationes Christi obsequio submittendas.

Ambr. in
2. Cor. 10.
Chrylost.
ibidem.

D. Ioannes Chrysoſtomus, D. Ambrosius, & alii Ecclesiæ Doctores hunc locum ita interpretantur: ac potissimùm D. Ambrosius his verbis vtitur: *Arma spiritualia, fides est incorruptæ prædicationis.* At eam, quam Papæ ex hoc loco sibi attribuunt potestatem, nullo modo meminert: imò ne somniarunt quidem. Ad hæc quum Ecclesia constituta est, omnes, qui in ea Christiani nominantur, non semper benè morati, recteq; morigeri erunt. In quibusdam aliquando merit elatio, altitudoq; animi nimia, atque aduersus admonitiones contumacia, vt D. Paulus de Corinthiorum permultis conquerebatur. Tunc verò vnà cum Euangelii prædicatione, alia etiam est ratio ad coercendam damnandamq; istam pertinaciam efficacissima, nempe excommunicatio, ministerii Euangelici pars, Apostolis & eorum posteris commissa, quam D. Paulus virgam interdum

F 5 appel-

*Pōtificum
Rom. non
maior po-
testas quā
reliquorū.*

appellat, & quæ etiam per vindictam, quam ait
cōtra omnem pertinaciam paratam esse, signi-
ficatur. Sed illius vsus talis omnino est, qualem
iam antea explicauimus. Atq; in ea re Episcopi
Romani maiorem quàm reliqui Episcopi, &
Pastores in suo quicq; grege auctoritatem non
habent: eamq; & hi & illi eatenus habere cen-
sendi sunt, quatenus per Euangelii prædicatio-
nem, quæ maximè hanc vim habet, eam exer-
cent. Vt cunq; se res habeat, nihil profectò ex
hoc loco erui potest, vnde & Reges excommu-
nicare, & per excommunicationem de suo sta-
tu deturbare liceat. D. Paulus de eo quod fuit
erat muneris, quod tunc exercebat, illic loqui-
tur. nec putandum cuiquam est, aut plures aut
maiores Euangelii fructus vnquā fuisse, quàm
tunc temporis. Quamnam autem sublimita-
tem, & principatum, quam etiam arcem nobis
ipsi proferant, quæ à D. Paulo vi excommuni-
cationis decussa dirutaq; fuerit? aut quem pri-
uatum, etiam infimæ sortis hominem, qui ab
eodem D. Paulo aut reliquis Apostolis istius
excōmunicationis nomine, fuerit suis bonis &
possessionibus priuatus?

*Secundus
locus.
Iere. 1*

Alter locus est apud Ierem. cap. 1. vbi Pro-
pheta ait: *Et misit Dominus manum suam,
tetigit què os meum, Dominus inquam dixit
ad me: Ecce posui verba mea in ostium. Vi-
de, constitui te super gentes & supra regna
vt euellas, vt diruas, & disperdas, ac de-
moliaris, vt adifices & plantes.* Papæ ex hoc
loco

loco Principes de suo statu demouendi, subditos ad defectionem concitandi, quamcunque in regnis & imperiis mutationem volent, per sua fulmina & excommunicationes efficiendi potestatem sibi arripiunt: verum quo nomine aut iure? Id enim de Ieremix vocatione & de auctoritate, quam Deus illi dabat, propriè dicebatur. Excommunicacionibus igitur in Reges & Principes contortis, eiusmodi mutatio à Ieremia primùm facienda fuit. At vbi tandem id Ieremias fecisse dicitur? Quamobrem aliam huius loci sententiam esse necesse est. D. Hieronymus ait, ad veram huius loci sententiam intelligendam alium esse coniungendum, qui capite eiusdem Prophetæ 25. extaticius hæc verba sunt: *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propina illum gentibus, ad quas ego mitto te, & bibent, & trement, & insipient à facie gladii, quem ego mitto contra eos. Et accepi calicem de manu, &c.* His ergo locis docemur, Ieremiam à Deo constitutum fuisse, vt illius iudicia & vindictas regno Iudaico aliisque finitimis, quæ illic nominantur, impendentes indiceret. Idem quoque Isaia, Ezechieli, aliisque Prophetis mandatum fuit. Hæ prædictiones à Ieremia enunciata fuerunt, quarum effectus paulò post cõsequuti sunt. Chaldæi n. irruptione facta, ea omnia regna euellerunt. Atq; ita accipiendum, quod Ieremix dictum erat, à Deo delegatum hanc ob causam fuisse, vt euelleret ac dirueret:

Hieron. in
Ierem.

&

& omnibus illis gentibus furoris calicem, quæ Deus illi tradiderat, propinaret. Quod si de Ecclesiæ Pastoribus & ministris idem quoque dicendum videtur, ut regna euellant & diruant; id aliter nec fieri nec intelligi potest, nisi quatenus Dei sermonem annuntiant, qui ultionis comminationem aduersus populos & regna, quæ Deo minimè obediunt, disertis verbis continet: eaq; ultio suo & præstituto tempore exercetur. Nec Papa ipse hanc sibi potestatem sumere meritò posset, nisi diuini verbi præco esset. Etenim Ieremiæ nominatim hoc dicitur: *Ecce posui verba mea in ostium.* Quin etiam in eo ipso maiorem potestatem nullam haberet, quàm quiuis alius Episcopus, qui Dei sermonem ipse quoque annuntiaret. Sed quò Româ suas bullas emittit, Principes excommunicat, & subditorum, quos ipse concitauit, coniuratione, sua illis imperia eripere conatur: quid hoc coniunctum & commune habet cum iis, quæ tum Ieremias, tum cæteri Prophetæ tam sanctè præstiterunt?

Papa quatenus potestatem habet.

Aliud Papæ parum fundamentum.

Eueritur.

Papæ his locis parùm confisi, aliud fundamentum sumunt, quo firmiùs se sustentent: affirmantq; sibi in omnes totius orbis Ecclesias, Principatus & regna, non auctoritatem solum, sed etiam imperium esse, quòd Petri sint successores, ac proinde pro suo iure posse Principes excommunicare, & suam iis dominationem adimere, quando libitum cunque fuerit. Non longa hîc disputatione ad eiusmodi evertendum fundamentum opus est. Expendamus tantummodò cuius sit generis & naturæ Christi regnum, & Ecclesiæ gubernatio, quòd illius Episcoporum atque ministrorum munus,

nus, uti quidem ex Dei verbo præscriptum est, quodnam fuerit totum Apostolorum ministerium atque administratio, quæ item primorum Episcoporum in suo munere fungendo forma & ratio: quid boni illi Patres fecerint ac scripserint, ut, pro sua quidem parte, impedirent, ne quis summam hanc auctoritatem sibi arrogaret: quanto semper opere, quantaq; voce boni omnes contenderint aduersus Papas, quitantū iuris in alios vsurparent, quid Græcorum & hodie pleræque Christianorum Europæorum Ecclesiæ contra tam iniquam vsurpationem testificentur ac profiteantur, hoc vnum satis momenti & virium habebit ad funditus euellendam ac diruendam istam Papatū in omnes & omnia potestatem summam, qua de conuellendis & euertendis totius orbis regnis & imperiis cogitant.

Si successionis D. Petri nomine in eam tantam potestatem venerūt: in quo verè dici possunt Petro successisse? & ut successerint, potuerūtne iuri succedere, quod ille nunquā habuit, nunquā habere optauit? Nōne disertis & cōceptis ad eā rē verbis prohibet iis, q̄ Ecclesiæ moderandæ præferti sunt, ne Christi cleris donentur? Illeq; aded ipse se presbyterum cognominans, vnā cum reliquis, & eorum se socium prædicans, annon eandem cum illis sibi legem atque necessitatem imponit, gregem Dei suæ fidei creditum pascendi & curandi sub capite Christo, pastoreq; omnium summo ac præcipuo, qualem is ibidem nuncupat? Quos tandem Principes excommunicauit, cum tamen nulli vsquam terrarum alii nisi scelerati & impij tunc extarent? quando illorum subditos

sacra-

*Pape an
gustum Pe-
tro succe-
dant, &
quomodo.*

sacramento fidei nexos liberare in animo habuit? Contrà, quanta cura & studio in suis Epistolis præcipit, vt suos omnes Principes honorerent, illisq; quamlibet Paganis morem gerant. Atq; hæc potestatis illius, quam sibi arroganti infirmatio esto.

Motus & bella ex Pontif. excommunicatione orta.

Postquam autem ista Papparum opinio in medium adducta fuit, iique sua illa aduersus Germaniæ Imperatores, aliosq; Principes, in modò & in nostros Reges excommunicatione vti cœperunt, continuò bella intestina & discidia inter Christianos exorta sunt. Quare satis hinc argumenti & causæ est ad tantum excommunicationis istius abusum detestandum, quippe manifestam tyrannidem, atque regnorum & Imperiorum ruinam.

Philippus à Bonifacio IX. excommunicatus.

Excommunicationis pontificiæ formula.

Quòd si velimus illorum Canones inspicere & paulò attentiùs dispicere, vt sciamus, quomodo hanc potestatem exercuerint, quo animi impetu & furore sua anathemata in Principes eiaculati sint, quo stylo ea exercuerint: nemo certè existet, qui non animo totus horreat. Dicam hoc dūtaxat exempli causâ, quòd in Franciæ nostræ Chronicis scriptum est de Bonifacio VIII. Is Philippum Pulchrum ex Regibus nostris vnum excommunicauit, & eum suosq; omnes ad quartam vsque progeniem diris deuouit, reliquiis etiam & crucibus adhibitis. Eiusmodi autem Canonum formula trita & vulgata hæc est, vt Principes & Reges cum tota eorum stirpe, regnis, principatibus & imperiis, quæ tenent: omni etiam regno, ducatu, & vllis omninò honoribus ac rebus succedèdi iure priuatos esse, edicât: eorum subditis, clientibus omni muneris & officii iure liberatis.

beratis, fidelitatisq; sacramento solutis. Idem
 verant & grauiter interminantur ne quisquam
 eis obtemperet, connectentes & colligantes
 (sic enim loquuntur) vna eademq; excommu-
 nicatione eos, qui in pristina erga eos fide &
 officio permanebunt. Stylus hic est ac for-
 ma, qua in proscribendis per excommunica-
 tionem Principibus vti vulgò solent. Confe-
 ramus autem hoc scribendi genus cum eo ser-
 mone, quem, quum de Principibus agitur, Dei
 spiritus in Prophetarum & Apostolorum scri-
 ptis habere solet. Atque hoc consideremus
 quis in Dei Ecclesia excommunicationis fue-
 rit vsus, quis etiam finis: ecquid vnquam
 & vsquam tam dissimile ac dissentaneum re-
 periri possit. Nec paruum est ad tam audax
 & perniciosum Pontificum nostrorum aduer-
 sus Principes consilium spernendum & infir-
 mandum, argumentum, quòd huius regni
 scholæ & trium ordinum conuentus ad eam
 rem habiti (vt Patrum etiam nostrorum me-
 moria Ludouici XII. tempore) ei semper re-
 pugnarint, atque agnouerint, requè ipsa com-
 probarint, contra quam Papatum excommu-
 nicationibus & interdictionib⁹ statutum san-
 citumq; esset, nihilominus suos Reges & Prin-
 cipes amandos, colendos, suumq; illis obse-
 quium semper præstandum. Hoc igitur ca-
 put iam concludamus, quanquam Princeps
 fuerit ob noxam aliquam excommunicatus,
 attamen ius dominationis potestatemq; sum-
 mam penes illum perpetuò remanere: nec nõ
 subditos omnibus erga eum muneribus & o-
 neribus æquè, ac si nõ esset excommunicatus,
 obnoxios esse.

Conclusio

Henri-

*Henricum IIII. qui nunc regnat, non esse
hereticum; ex hominis heretici defini-
tione.*

CAPVT XI.

Superiores quæstiones paulò pluribus tra-
ctandæ mihi fuerunt, quòd de iis non ad
modum planè inter omnes constet: cùm ta-
men in eo, quòd ad Regem attinet, nihil opor-
tuit esse videretur. Nam Dei beneficio neque esse
hereticus, neque vel è piorum cœtu, vel sacro-
rum vsu seclusus, vt spero me probaturum iis
qui paululum ad id mihi temporis dabunt, &
animo attento atque ab omni affectu (qui sæ-
pe obstat, quòd minùs de re aliqua proposita re-
ctè iudicare possimus) vacuo, ea quæ sum ad
hoc allaturus, excipient. De his quidem Rex
accusatur: sed non quicumquè est reus, idem
consciens & noxius. Qui hæc crimina in me-
dium proferunt, iidè sunt Regis hostes. Causæ
sæ verò eorum cõtingendorum hæc sunt, quòd
sperent Regis & subditorum discidio ac dis-
sensionè facta, illum à suis reiectũ exclusum
iri, vt in eius locum ipsi substituantur. Eius-
modi autem criminationes suspectæ esse de-
bent, ab iis præcipuè illatæ, qui rem alienam
in quam nullum ius habent, & quam alia via
consequi non possunt, quo iurè quæq; iniuria
vsurpare volunt. Achab Rex Israelis viti Na-
bothi Israelitæ inhiabat. Eam cùm obtinere
àlia ratione non posset, falsi testes subornan-
tur, qui blasphemix eum accusent, quòd per-
inde tunc erat ac si quis hæreseos nunc accu-
setur; Via hæc fuit facilissima ac breuissima, qua

*A quibus
Rex vt ha-
reticus ac-
cusatur &
cur.*

1. Reg. 21:

& vitis & vita simul illi eriperentur. Et quæ scelerata regnandi libido fingere ac comminisci non solet, si aliter voti compos fieri non possit? Sed quod ad religionem maximè attinet, & in audienda accusatione facilitas, & in ea credenda leuitas admodum perniciosæ sunt. Nam quia vnusquisq; pro suo in religionem studio valde metuit, ne quid illi detrahatur, quum primùm inimicus aduersus eam quippiã effutierit, turbæ statim excitantur, permouentur homines, & animis præter rationem veritatẽq; afficiuntur. Sathan verò ansa hac cupidè arrepta, ista hominum nimis credulorum facilitate leuitateq; abutitur ad persuadendum hominibus hæreseos notam pientissimis etiam viris iniustam, veram tamen iustamq; esse. Huius rei extant exempla in Christo, qui ab inimicis de blasphemia, hoc est, de hæresi, vt hodie vulgò nominatur, accusatus fuit. Vulgus veritatis ignoratione accusatoribus assentitur, veram esse accusationem credit, & insanis clamoribus suis efficit, vt Christus in crucem tollatur. Idem D. Stephano factum fuit, quo etiam ab inimicis de blasphemia & hæresi aduersus legem postulato populus id libentissimè credit, cumq; lapidibus obruit. De Apostolis idem omninò factum. Postea item in Christiana Ecclesia tum Athanasius, tum pii alii Episcopi hæreseos ad hunc modum accusabantur, & ista vulgi facilitate, non aut vlla sua culpa, in Imperatorum atque populi odium offensionemq; veniebant. Et verò quum de Iudæis sermo est aut quæstio, rectè quidem & meritò illorum in credendo inimicis leuitatem vituperamus. Eorum igitur exemplo, iudicioq; adhibito

*Religioni
que maxi-
mè nocent.*

Act. 6 7.

G

assen-

assensum lubricum & præcipitem firmè sustineamus.

Non temerè credendum est.
1. Cor. 13.

Caritas, qua inter nos deuincti esse debemus, docere nos suadereq; debet, vt non solum temerè non credamus ea esse, quæ de proximis dicuntur, sed etiam ne suspicemur quidem, nisi ex circumspectione aliqua, & accurata consideratione de re tota nobis constet, cum in aliis rebus omnibus, tum maximè in religione, in qua multi & rei ipsius ignorantie, & ingenii infirmitate multa peccant, non autem mala mente, maloue animo. Quam obrem scriptura sacra nos sæpe admonet malum ita damnandum, vt interim mutuas infirmitates perferamus, vt nihil temerè iudicemus, vt de fratribus, qui aliter quàm nos de re aliqua sentiunt, meliùs semper speremus.

Rom. 14. & 15.

Gal. 6.
Phil. 3.

Quum quis accusatur, regulæ sunt, quibus ingenia & opiniones discernantur: atque hæc regulæ proponendæ in medium sunt, & ad eas, rei, de qua agitur, disquisitio placidis animis reuocanda: non autem cæco animi motu ac temerario, caussaquæ nec excussa, nec perspecta ad rei vel personæ alicuius condemnationem festinandum. Quòd si hunc candorem benevolentiamquæ & prudentiam in minimorum etiam, quum accusantur, controuersis accuratè examinandis adhibere debemus: multò certè magis in causis Principum. Nam honor & obseruantia, qua eos ex Dei præcepto colere debemus, animos ita nostros occupare debet, vt inimicis nostris non faciliè sit contrarias in iis opiniones inferere. Et quidem sacra scriptura de Principibus hoc nominatim cauet & præcipit

cipit. Quum enim lex diuina dicit, *Prin. Exod. 22.*
capit. populi tui non maledices. non interdicit tantum
 ne Principi nos ipsi conuiciemur, sed etiam ne aliorum in
 Principem conuicia temere vel audiamus vel feramus. Nempe non
 magni hoc refert, siue tu ipse de aliquo detrahas,
 cumque in inuidiam voces, siue quod de altero detrahetur,
 id tacitus probes & feras: ac præsertim in eo, in quo
 tum Principis dignitas, amplitudo & salus, tum imperii totius
 tranquillitas aguntur: vt hodie hæc omnia in summoque
 discrimine versari videmus.

Vt verè perspectum cognitumque habeamus, an Rex noster sit hæreticus, vt vulgò accusatur,
 ex sacra nobis scriptura discendum est, quid sit hæreticus. Hinc enim vbi quidam
 in disceptationem vocatur, veras definitiones petere
 semper debemus. Quicumque in errore versantur,
 non idèd sunt hæretici. sunt quidam animo infirmi & imbecilli,
 qui nulla pertinaci malitia errant, vt me iam dictum est,
 quiq; summa animi æquitate ac lenitate & tolerari & erudiri debent.
 Qui tales sunt, in hæreticorum numerum referendi non sunt.
 Illi verò hæretici habèdi sunt, de quibus in his, qui sequuntur,
 locis sermo habetur. Precor vos fratres, vt speculemini discidorum
 & scandalorum auctores præter doctrinam quam vos
 didicistis, & declinetis ab eis. Item, Si nos aut Angelus
 è celo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus,
 anathema esto. Alibi, Si quis uenit ad vos, & hanc doctrinam non
 assert, ne recipite eum domum, nec aue ei dicite. Item,
 G 2

Rexem nō esse hæreticum, ex de fissionone hæretica probatur.

Hæreticū qui docentur.
 Rom. 6.

Gal. 1.

2. Ioan.

hære-

Tit. 3.

Item, hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem rejice: vt qui noris, euersum esse eum qui sit eiusmodi, & peccare, & qui suo præiudicio condemnatus. Ex his omnibus locis intelligimus, eum esse hæreticum & reiiciendum, non iam infirmum ac tolerandum, qui doctrinam Apostolicam aut diuersam aut contrariam proficitur, qualis in ipsorum scriptis extat, qui motibus ad sese condemnandum idoneis admonitionibus excitatus nullam amplius excusationem habet, qua suum errorem tegere possit, qui non solum ipse errat, sed alios etiam in errorem inducere conatur. Sic in veteri Testamento nominabatur falsus Propheta, qui falsam aliquam religionem sectabatur, ceterum ad alienorum Deorum cultum sectandum impellebat. Sed huius rei exempla à sacra scriptura capiamus. D. Paulus appellat Alexandrum Hymenæum, & Philetum, non hoc quod hæretici nomine (quod tunc non ita frequentibus, vt postea fuit) sed nominibus eandem habentibus, dum eos impietatis & blasphemiarum reos appellat, & addit eorum verbum veluti gangrænam in Ecclesia, hoc est, prauissimam & mortiferam contagionem: hoc nomen perditos, quos reprimere & à priorum errorumq; usu segregare oporteret. Quamquam illi ob rem, quia enim à veritate per Apostolos tradita deflexerant, & inter alia dicebant Resurrectionem iam esse factam, & quorum fidem subuertebant. D. Petrus ait fore falsos Prophetas in Ecclesia, hoc est, hæreticos, qui reiiciendi essent. atque vt quoddam illorum hæreseos caput subiiceret, ait eos de Principibus

Pseudopropheta quis dicatur.

2. Pet. 2.

(qui tunc infideles erant) iam tum malè lo-
 quuntur, & ad eorum contentionem cæteros im-
 pugnare. D. Iudas idem omnino docet, eosq̃
 in tali magistratum contemtu appellat ho-
 mines pietatis expertes, & reliquis omnibus
 obsecrandos ac detestabiles. D. Paulus de aliis
 huiusmodi loquitur, qui matrimonium con-
 trahere prohiberēt, & cibis uti, quos Deus cre-
 at ad participandum cum gratiarum actione:
 quosq̃ modi homines appellat desertores fidei,
 spiritus deceptores, doctrinæ dæmoniorum
 doctores, quæ omnia dici de hæretico possunt.
 Quia etiam sunt eiusmodi in Epistola Catholica
 Joannis exempla eorum, qui de S. Trinitate
 contraria apud Patrem Mediatoris persona,
 & personam profitebantur iis, quæ Apostoli do-
 cissent. 1. Tim. 4.

Iam igitur tandem concludamus:
 quod hæc à Prophetarum & Apostolorum do-
 ctrina sic aberravit, & hos errores quavis diu
 defendit, admonitus arctè tenet obstinateq̃
 contumaciter, neque solùm, sed funestam etiam il-
 li contagionem in multos alios diffundere
 se spargere conatur, cum verè hæreticum esse
 manifestum & planè repudiandum.

Quum hanc definitionem sequemur, (ut
 necessariò nobis sequenda est, cum Dei Spiri-
 tum in se tradiderit) non erit Rex habendus he-
 reticorum, ut aduersarii hominum ignoracione in
 se abutentes id persuadere conantur,
 sed vulgo, quod ut simplex & imperitum res
 magnas obscurasq̃ & à communi sensu remo-
 tas aut consecrari, aut accuratius perferuari
 non solet: nec quid sit hæresis, magnoperè ex-
 plicari, aut expèdit, sed hoc solo hæretici nomi-
 ne, quod Regi imponitur, audito, de eo horrè-

da & execranda omnia animo fingit & suscipitur, cum scilicet atheon esse, Christi illius Ecclesiæ hostem, fidei ac pietatis omnis expertem. atque has tam tetras & falsas opiniones illius aduersarii in animis hominum alunt. si autem nulla nominatim fieret torius, quæ Rex sectatur, doctrinæ disquisitio, ut mox scienda nobis erit: sunt tamen multæ generatim rationes, ex quæ idoneæ & graues, quibus aut ipse apud oēs, æquos certè rerum estimat res, ab omni hæreseos crimine purgari possunt, aut certè temeraria & iniqua ista, quæ deest sunt iudicia coerceri.

Primùm in illa fidei confessione, quam vnà cum illis qui religionem reformatã se profiteri asserunt, suo chirographo confirmauerunt hoc extat: Nempe & Regem ipsum & Religiosos omnes testificari nullam se aliam salutem diuini cultus doctrinam credere atq; admittere, præter eam, quam Prophetæ & Apostoli sanctis scripturis tradunt: causam verò, præterquam ab Ecclesia Romana defecerint, esse, quòd dicant in ea multa & ad credendum & ad faciendum fuisse constituta, quæ videntur contra Propheticam illam atq; Apostolicam doctrinam esse constet. Neq; id quidem à se faciunt, quòd velint quenquam hinc offendere aut factiones aduersus eam doctrinã excitare: sed potius vt significant se paratos esse ad credendum & recipiendum id, de quo in ea doctrina habentur, & ad lubentissimè reiiciendum, quicquid cum ea pugnare probabitur. Hæc salutaris doctrina, quam Prophetæ & Apostoli suis scripturis nobis prodiderunt, ad vnã summã redacta est, quod Apostolorum symbolũ nominant: quod

Rex ex confessione fidei non est hæreticus.

ostea in aliis quoque Symbolis sanctisque Conci-
 liis & repetita & explicata fuit Atque hæc Sym-
 bolum, tumultuū qui ab Arrianis & hereticis ex-
 hibebantur, temporibus, notæ signaque erant, quibus
 veri Christiani orthodoxi ab hereticis secerne-
 rentur, & internoscerentur, ut quicumque ea sub-
 scripsisset, ab omni hereseos suspitione abesset.
 Quæ autem hæc antiqua Symbola tenet, ac nulla se-
 cularia fidei capita habere, profitetur, nisi ea quæ illic
 continentur & quæ sit suo ipsius sanguine, quan-
 tum documque res ita postulabit, subscribere & ob-
 signare paratus. Nulli⁹ falsæ quæ aut iam sit, aut vn-
 quam fuerit, religionis nomine accusari verè po-
 test. Non est n. Paganus: Turcarum & aliorum o-
 mnium Mahumetanorum religionem detestatur: Iu-
 deos Christi hostes impietatis & blasphemie
 condemat: non vult alius nominari, quam Chri-
 stianus de nomine Christi, quem ut Seruatore
 suum, Dn. suum, Deumque suum agnoscit & colit. Pro-
 ponatur illi prisca omnes heretici qui dantati sunt,
 Montanistæ, Manichei, Arriani, Donatistæ, &
 alii eiusmodi nullus eorum est, quem non vnâ
 cum piis Doctoribus & conciliis detestetur.

Ab Ecclesia Romana secessit, & nec credit,
 nec facit multa quæ in ea fiunt ac dicuntur, sed non
 solus. Maxima Christianorum pars hodie idem sen-
 tit ac facit: & non paucis antè seculis per multi-
 tum in hoc regno tum in aliis Christum profitenti-
 bus, eruditionis & pietatis non mediocri ho-
 mines, qui aduersus Paparum abusus leuissimè in
 Ecclesiam receptos (quibus prima illa doctrinæ
 Christianæ puritas deformata & corrupta erat)
 pie eruditeque loquuti sunt ac scripserunt.

Nullum habet cum Ecclesia Romana com-
 mercium, non magis quam tam multæ provin-

*Rex cur ab
 Ecclesia Ro-
 mana se-
 cesserit.*

cix, & regna multa in Europa: non quòd tota sua mente, animo, & cogitatione aliò spectet, quàm in Christi Ecclesiam, in qua ipse sit, rotusq; hæreat, & extra quam nullã esse salutem verè agnoscat ac fateatur, sed tum illi, tũ cæteri in Ecclesia Romana multa reperire se dicunt, quæ hætenus quidem arbitrantur Prophetarum & Apostolorum doctrinæ ita contrariæ esse, vt cum iis salua se conscientia cõmunicare non posse credant: idq; vnâ Papatum culpa, qui nulla vnquã ratione eò adduci potuerunt, vt ad Ecclesiæ reformationem veri & legitimi Concilii operâ incumberent: quippe metuentes, ne illi ipsi reformarentur, & in humilem illum tenuemq; primorum Episcoporum Romanorum statum atque ordinem redigerentur. Hæc quidem separatio graue in Christianismum schisma induxit. Sed Religiosi culpa omnem à se deprecantur, profitenturq; se huius rei causam nõ esse, idq; se dolere maximè, atque nihil se aliud expetere, optare & precari magis, quàm vt sancti & legitimi Concilii beneficio piam omnium conspirationem & concordiam ad doctrinam, verè Christianam cõmendandam ac defendendam fieri videant. Rex ita hoc dicit, & quotidie profitetur.

Secessio ab Ecclesia Rom. Papatum culpa facta est.

Qua de causa Rex Religiosi quo heretici censentur.

Cæterum controuersie non sunt de Symbolorũ veterũ articulis, non de legis diuinæ præceptis, nõ de vllius doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ capitibus: sed de reb. quas Papæ & alii quidã introduxerunt, vt in eorũ Canonibus & aliis scriptis reperiuntur. In illis n. hic vnus decreti nominatur auctor, ille alterius: & per oēs ætates ac tempora singuli obseruatur anni, quib. eiusmodi cõstitutiones fieri, & opiniones nasci

nasci cœperunt, cū antè in Ecclesia nunquã ex-
titissent. Itaq; si & Rex & Religiosi eas repudiât,
tãquam meras hominũ traditiones ac decre-
ta, vt ita esse probare se sperant, non est ea satis
iusta causa, qua crimen hæreseos ipsis infera-
tur, ex ea quidem hæretici hominis definitio-
ne, quam modo ex sacra scriptura didicimus:
quod satis valere debet ad Regem hoc crimi-
ne liberandum, aut certè ad sustinendum iu-
diciũ, quoad in sancto quidem & legitimo
Concilio, cui Rex vltro se submisit, de hac to-
ta controuersia disceptatum decisumq; fuerit.

*Compendiaria fidei Regis declaratio, ex qua
constat eum non esse hæreticum.*

C A P V T X I I

V T certius cognosci possit Regem non esse
hæreticum, necessarium duximus doctri-
nam, quam cū Religiosis profiteretur, sum-
matim & per singula capita hîc proponere,
quemadmodum eam ex ampliori fidei cõfes-
sione, quam illi sequuntur, itemq; ex illorum
ministrorum & doctorum tum scriptis tum
concionibus collegimus. Aduersarij, qui per
calumniam malitiamq; hæreseos crimen Re-
gi obiectant, audito hæretici nomine, ad arma
statim cõclamant, ad flammam, ad seditionem,
nec patiuntur vt populus diligentius in eam
rem inquirat. At contra ius & æquum infimus
etiam quisque damnatur, si causa indicta da-
mnatur. Cur igitur in re tam seria & graui au-
res Regi, quem Dei beneficio nacti sumus, oc-
cludentur & temporis ac spatii tantillum re-
cusabitur ad id paulò accuratiùs dispiciendum
de quo iam agitur: & An ille sit talis, qualis ac-
cusa-

cusatur? Quum fides illius, qualem hic exponam, diligenter examinabitur, & singillatim cum sacra scriptura conferetur, illud proculdubio constabit eum hæreseos hostem esse: nihilq; magis in animo habere, quam hanc fidem suam ad Prophetarum & Apostolorum scriptura conformare.

Ut Rex sit hæreticus, quid requiratur.

Si Rex esset hæreticus, necesse esset talem esse in articulis, aut de Trinitate aut de Christo nostro Mediatore, aut super rerum omnium creatione, aut in doctrina de lapsu hominis, peccati causa, aut in salutis consequendæ viâ, aut in veri Dei cultus norma, aut in Dei invocationis & adorationis capite, aut in sacramentorum materia, aut denique de Ecclesia. Hæc igitur singula si ordine expendamus, videmus binus in horum nullo in crimen hæreseos vocari posse, quin sermo ipse diuinitus totaque antiquitas in crimen quoque vocetur.

Rex quid de Deo & S. Trinitate credat.

Quod ad primum de Deo & sancta Trinitate caput attinet, Rex impietatis damnandus: Paganos omnes, qui plures Deos habebunt: Iudæos & Turcas, qui alium Deum habent quam eum qui sese nobis patefecit. In Deo vno tres eiusdem essentia personæ agnoscit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Ac proinde credit quicquid sancta concilia & prisca Patrum de hac re statuerunt ac tenuerunt, contra veteres istos hæreticos Samosathenianos, Arrianos & alios omnes, Turcas etiam ipsos, huiusmodi Iudæos, & ceteros eorum similes, qui plene hanc doctrinam rident.

Quid de mundi creatione.

Rerum omnium creationem credit, vti quidem à Mose, Prophetis, & Apostolis docetur.

persuasumque habet illas eadem omnino virtute, & sapientia, qua primum creatæ fuerunt, consistere & conseruari: quinetiam eas omnes vel minimas Dei vnus volūtate & prouidentia quadam speciali gubernari atque administrari. Omnes autē Philosophorum omnium his contrarias opiniones, Atheorum blasphemias, Valentinianorum, Manichæorum, & aliorum veterum hæreticorum deliria & furores detestatur.

De Homine verò credit illum etiam à Deo *Quid de homine.*
creatū esse duabus constantē partibus, corpore & anima: corpore quidem è terra sumto, &

morti per peccatum corruptionisque obnoxio.

Anima verò immortalis & incorrupta permanente: contra quàm Athei, Epicurei, aliique Philosophi & è Iudæis etiam Saducæi sentiūt.

Ad hæc hominē credit principio creatū fuisse *Quid de hominis lapsu.*
se bonū & iustū: Deumque peccati minimè auctorē esse, sed Diabolū, & hominem, qui Dia-

boli cōsilio paruit, seque à Deo sua ipsius sponte alienauit: idque cōtra veteres Manichæorum, & aliorum eiusmodi impietates ita esse credit.

Credit etiam peccatū, quod in primis illis parentibus cœpit, in mundū introisse, & origine *Quid de peccato.*
ad omnem suam posteritatē propagatum esse, contra Pelagianos: atque vnā cum peccato

in hęc ærumnosam vitā defluxisse miseras, cōfusions, & mortem quoque æternam, contra Philosophorum & Atheorum, qui naturam aut Deum potiùs accusant, opiniones.

Quod autē de hominis per peccatū corruptio *Quid de sua luis consecranda via.*
ne credit, eò refertur, vt homo apud Deū planè obmutescat, & nullam sui partem integram puramque restare agnoscat. Denique de homine
omni-

omnino actum esse, nisi Deus illi misericordiam impertiatur, eumq; ex tam graui mortiferoq; casu erigat per eum Seruatorem, quem antea iacta mundi fundamenta constituerat, Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc quæ ita credit aduersus Philosophos, Phariseos, Pelagianos & alios omnes, qui in homine opinionem sui peruersam, & arrogantiam aluerunt, atque ita impedimento illi fuerunt, ne tantam sui labem perspiceret & confiteretur, ut suam totam in Dei gratia & misericordia salutem expeteret & quereret.

Credit promissa de Seruatore & Redemptore à Mundi origine Patribus facta fuisse, qui fidem illis habuerunt, & hac sua in Redemptorem promissum fide seruati fuerunt. Atque ad hæc promissa confirmanda Deum ipsis sacrificia & alias cæremonias præscripsisse, quas in Mosis lege apertius expressit & sanxit. Terram etiam Chanaan fuisse tantum arrhabonem præstantioris hæreditatis, & certioris diuturniorisq; quietis, qua illi per eandem nobiscum fidem in Dei regno cœlesti & immortaliter fruituros sperabât. Atque Saducæos & Iudæos terrena tantum spectantes, ut etiam Manicheos, Seruetistas, atq; Anabaptistas, qui aliter senserunt, detestatur.

*Quid de
Messia
Christo.*

De Messia seu Mediatore Christo Rex credit eum quemadmodum Patribus promissus ac designatus fuerat, sic etiam tempore à Deo constituto, quum Augustus Cæsar rerum potiretur, mundo patefactum fuisse, ex virgine Maria natum. Itaque incredulitatem & pertinaciam Iudæorum damnat, qui hanc lucem non receperunt, quum ipsis apparuit: nec tem-

pus

pus visitationis suæ agnouerunt, sed Messiam suum etiamnum expectant, quem scilicet cogitatione sua longè aliter depinxerint, quàm à Prophetis prædictum fuerit.

De nostri Mediatoris & Seruatoris Christi persona, credit eum esse Dei æternum Filium ex Patre ab omni æternitate genitum, ac verum esse solumq; Deum vnà cum Patre & Spiritu Sancto: detestans Cerinthos, Ebionitas, Samosathenianos, Arrianos, aliosq; omnes hæreticos, qui aliquid aduersus æternam illius Deitatem deblaterarunt. Credit etiam eum, qui Deus verus esset, ab æterno esse hominem verum, in rebus omnibus (peccato excepto) tum corpore tum anima nobis similem, iisdemq; ad eò naturæ nostræ miseris & infirmitatibus obnoxium, vsque ad gloriosæ suæ resurrectionis diem: contra Marcionitas, Manichæos & alios.

*Quid de
Christi
persona.*

Atque de illius Incarnatione credit quicquid sacra Cõcilia orthodoxiq; Doctores semper crediderunt, nempe naturam diuinam in Mediatore assumfisse sibi naturam humanam in vnitate personæ, modo quodam prorsus inenarrabili, admirabili Sancti Spiritus operatione, vnaquaque natura in hac vnitate suas proprietates inconfusè seruante. Hanc verò personam verè esse mundi Seruatorem Christum illum promissum, Dominum illum, qui & in suum templum venturus, & Ecclesiæ patrefaciendus erat: Deum gloriæ, quem Iudæi cruci affixerunt, & qui suo ipsius sanguine Ecclesiam suam redemit. Atque hinc damnat Eutichianos, Nestorianos & alios eiusmodi omnes, qui aut duarum naturarum veritatem

*Quid de
Christi in-
carnatio-
ne.*

nega-

negarunt, aut eas separarunt, aut confuderunt.

*Quid de
Redemptione
per Christum.*

Quod ad Redemptionis per Mediatoré Christum factæ vias & rationes attinet, Rex credit omnes symbolorum articulos, qui eò pertinent, nimirum, Natum ex virgine Maria, passum sub Pontio Pilato, & cetera. In summa pro singulari & incomprehensa caritate, qua Deus nos est complexus, hac redemptione in æterno suo consilio constituta, Christum vicem nostram subiisse assumpta nostra natura, ut Dei Patris iustitiæ, cui nos omnes obstricti eramus, nostro nomine satisfaceret: atque ut plenam & perfectam legis diuinæ obedientiam præstaret, quæ in eius, quam ipsi debebamus, obedientiæ loco haberetur, serui formam induisset, ut nos omnibus noxis ac pœnis eximeret, ab omniq; reatu liberaret, nostra omnia peccata, debita, obligationem qua tenebamur legis maledictionem quam commueramus breuiter omnes peccati pœnas, ut eas pendere, in seipsum recepisse. Hanc autem, quam præstitit, obedientiam ab ipso conceptionis articulo incepisse, & per totum vitæ curriculum continuatam ad mortem vsque fuisse, ut & eiusdem satisfactionem in tot tantisque miseriis quas pertulit, in iudicis condemnatione, in opprobriis, in ignominioso etiam crucis supplicio, nec non in angustiis & angoribus animæ summis quibus excruciatum est, iustus ipse extrema quæq; pro iniustis passus, factus ipse nostrâ causâ execratio, qui Patris cœlestis filius dilectus erat, Deusq; in omne æuum laudandus: id quæ voluntaria sui ipsius submissione, nullo coactu, sed quia vitro pro nobis

bis dependere voluit, quod alioqui nullo modo debebat.

Atque hæc quidem omnia de Christo Mediatore nostro in redemptionem nostram credit verissimè facta esse, & vt Evangelica historia ea declarat: nimirum, inquam, illius op-probria, miseras, angustias, crucem, mortem, sepulturam: eam autem crucis mortem & factam in ea sanguinis effusionem, verum esse ac necessarium sacrificium ad perfectam peccatorum nostrorum expiationem, atque veterum omnium legis sacrificiorum veritatem & consummationem. Rex omnia hæc firmissimè credit, nec vult vlla alia in re gloriari quàm in hac Iesu Christi cruce: execrans Marcionitas & alios, qui passionum Christi veritatem negant: nefandos istos & execrandos Iudæos, qui eum meritò hæc passum calumniantur: Gentiles, qui veteris Ecclesiæ tempore eum ludibrio & contemptui habebant: denique Turcas, qui eum hodie negant, & eos quidem omnes, quòd nullam vsquam satisfactionis atque redemptionis ratione & spem esse, præter hanc vnâ, animo comprehendere non possent.

Rex credit Christum pro nostris delictis ita mortuum, tertio die resurrexisse. In sua autem resurrectione exuisse omnes naturæ nostræ infirmitates, omnem contrà gloriam & immortalitatem in sua natura humana induisse, cuius tamen veritatem ac proprietates serauerit. Hanc resurrectionem esse iustitiæ nostræ perfectione, integram peccati destructionem, de morte victoriam & triumphum, vitæ nostræ causam, denique futuræ corporum nostrorum resurrectionis & gloriæ fiduciam.

Cre.

*Quid de
Christi re-
surrectione.*

*Quid de e-
ius in caelos
ascensu.*

Credit etiã Christum à mortuis excitatum & tandiu in terris quandiu ad confirmandam resurrectionis veritatem, & necessaria suis discipulis madata tradenda satis esset, versatum in caelos ascendisse, & ad Dei Patris omnipotentis dextram sedere, neque id quidem velle Ecclesie, quæ in his terris cernitur, cogitationemq; curamq; abiiciat, sed vt pro nobis precetur, vt omnem huius à se acquisitæ redemptionis efficacitatem in credentes è caelo ipso effundat, atq; vniuersum in omnem creaturam dominatum ad suæ Ecclesie emolumentum ac salutem habeat.

*Quid de e-
iusdem resur-
rectione ad iudicium.*

Tempore autem præstituto vëturum è caelo cum gloria ad iudicandum tum viuos tum mortuos, vt electorum suorum dimicationibus finem imponat, eorum corporibus resurrectionem & immortalitatem tribuat, eos sese cogat & colligat, rerum omnium institutionem perficiat, & gloriã suis numeris ac partibus expletam, æternumq; beatam suis tandem omnibus impertiat.

Rex de horum omnium Symboli articulo-
rum veritate & de salutis ac redemptionis
Mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, adeptæ perfectione planè persuasus, credit & confidit eum salutis nostræ in partibus omnibus causam esse. Eundem solum principem, solam nostram iustitiam, sanctificationem & redemptionem, nullum esse in caelo nomen, præter illud vnum, per quod salutem habeamus: atque vnicum gratiæ & misericordiæ apud Patrẽ cœlestem nobis auctorem esse: vnicum nostri in gratiam reditus argumentum conciliationis Mediatorem esse. Et nostræ

quidem iustificationē in ea re consistere, quòd in eo peccatorum nostrorū remissionem habeamus, eiusq; obedientia nobis in iustitiam imputetur: nostrā verò sanctificationē, quòd peccatum in nobis mortis ipsius veritate destruat & aboleatur: quodq; resurrectionis ipsius energia in puram iustamq; vitam renouemur, vt perfecta Dei imago in nobis tandem restauretur, cū plenissimè illi coniuncti erimus. Deniq; ex filiis iræ, quales antea eramus, nos in eo filios Dei, & certissimos vitæ æternæ heredes esse. Viam autem & rationem per quam huius in Christo salutis participes fiamus, fidem esse secundum promissiones: *Quid de fide in Deum.* *Qui credit in me, vitam æternam habebit, &c.* Nec tam quidē fidem, quæ credit quicquid velis, nihil verò omnino intelligit: aut fidē, quæ simplex est & nuda veritatis historię redemptionis notitia, qualis tum in Diabolis, tū in reprobis esse potest: sed fidem illam, quæ peculiare Dei donum est in electis, quæ omnem hęc redemptionem & intelligit & cognoscit: neque solūm promissionum huius gratiæ veritatem certam habet, sed eas etiam applicat, atque pio viro hanc persuasione adfert, vt credat se & Christi & omnium salutis, quam ille nobis cōciliavit, beneficiorum participem esse. Quamquam autem hęc notitia & persuasio pari mensura in omnibus nō existat, sitq; semper proficiendum & pugnandum aduersus diffidētiam & incredulitatem: attamen salutis scientiam inesse, firmul & persuasione satis multam & efficacem ad ingenerandum in iis, conscientię promissis Dei acquiescentis tranquillitatem: aduersus tentationes victoriam, in mediis certa-

minibus lætitiã & gloriationem, nec
spem, quæ non pudefacit.

Atque vt hanc fidem habere possimus, agnoscit necesse esse vt Deus eam nobis spiritu donet: sed vt eam donet in nobisq; firmet, Euangelij ministerium in sua Ecclesia constituisse, quo hæc salus annũtiatur per electos homines, quos eirei destinat: & sacramenta accedant tanquam promissionum p̄fius sigilla, & certiora ac solenniora pignora. Euangelium enim ita prædicatum, comitatur habere diuini spiritus, qui in electorum animis operatur, efficaciam ac virtutem: & illis quidem hac ratione esse Dei potentiam operanti credenti ad salutem: spiritus iustitiæ, vitæ ministerium, clauẽ ad soluendos peccatorum & noxas illis remittendas, gratiæ diplomata animorum recreationẽ & pabulum, conscientiarum gaudium & consolationem.

Quid de sacramentis.

Ac nominatim Rex sancta sacramenta constituit, qualia Deus constituit, vt essent toti Ecclesiæ communia, nempe Baptismum, & Cœnam, vel sacramentũ Eucharistiæ. Damnantur eos, qui aiunt sacramenta non esse ad salutem necessaria, esseq; hominib; integrũ ac liberũ iis vel vti vel abstinere. Qui ea etiam dicunt esse tantũ notas & insignia professionis Christianorũ, nec ad vllũ alium vsũ instituta: non fateri volũt ea esse cum Euangelij prædicatione adiunãta & media, quibus Christi gratia credentes conferatur: Qui itidem veteris Testamenti sacramenta etiamnum retinẽt, vt Circumcisionem: eos deniq; omnes, qui in iis aliquid immutare, & in eorũ locum alia sufficere audent. Cæterũ de promissorum Dei in sacramentis

eramentis veritate, itemq; de Christi eiusq; beneficiorum, quæ in iis offeruntur ac repræsentantur, exhibitione ac fruitione nihil dici potest, quod Rex vltro non confiteatur & assentiat. dummodo Dei decreta in iis obseruentur, Christus solus agnoscat, vt eorū omniū, quæ in iis promittuntur, substātia: signorū item & rerum signatarū discrimen semper retineatur, sine quo sacramenta nō erunt: sit etiā inter ministrū tum externum, qui signa porrigit, tū internum, nempe Dei Spiritum, qui quod promissum & significatū est, re ipsa præstat, distinctio; præterea nulla alia eorū participatio queratur, quàm quæ est per fidem, cū ea sit sola à Deo constituta ratio, per quam Christo, Christiq; beneficiis fruamur.

Atq; hæc sunt, quæ Rex de causis & instrumentis nostræ salutis credit, agnoscens ea omnia à Deo & ex sola quidem ipsius atque gratuita bonitate, ac misericordia proficisci: eorumq; materiam nullam nec ex parte, nec ex toto, siue in principio, siue in progressu, siue in perfectione vsquam alibi, quàm in vno Christo esse. Ecclesiam sacrificio ad peccatum tollendum carere non posse: sed Ecclesiam illud habere, quod Christus ipse de se ipso in cruce pro nostra omnium salute fecit. Illud autem sacrificiū quippe Dei Filij æterni sacrificium, plenā atq; integram nostrorū omnium peccatorum, quæ illi imposita erant, satisfactionem continere; ac proinde æternæ remissionis causam. Quod cū nobis per Evangelij prædicationem atq; sacramenta, & nominatim per ipsius corporis & sanguinis sacramentum quotidie applicetur, Ecclesiæ non

*Quid de
expiatorio
sacrificio.*

iam opus esse vlla omnino actione, quæ sit expiatorium peccatorum sacrificium: nec illi restare vlla alia, nisi obsequij, laudis & gratiarum actionis ac prædicationis eius amoris, quo Pater cœlestis nos est prosequutus, sacrificialis qualis est solēnis illa mortis & passionis Christi in Cœnæ sacramēto commemoratio. Cumquæ Christus nostrorum peccatorum purgationem peregerit, & nos ab omni pœnæque culpæque coram Dei iudicio immunes reddiderit (alioqui salutis nostræ solus, totusque auctor non esset) non sine maxima ipsius iniuria dici possit alia purgationis ratione opus esse vel vlla alia quacunque re, per quam reliquæ peccatorum nostrorum sordes coram Deo eluantur. Concedit hanc salutis fruitionem, quam per fidem habemus sine pœnitentia (eam enim fides generat, & comitem indiuiduam habet) non posse existere, & hunc vnum ex multis propter quos Euangelium annunciari debet, finem esse, vt homines & ad peccatorum suorum cognitionem, & ad veniæ in Dei, postquam eum offenderunt, misericordia per supplicem confessionem consequendæ desiderium studiumque adducantur. Hoc tantummodò postulat secundum ea quæ antè dicta sunt, vt peccator ad Deum vnum, nec alium quenquam adipiscendæ gratiæ ergò se recipiat: caueat in primis ne quicquã sibi attribuat, quod veniã, quæ petit, dignũ putet, neue alibi eius causam querat quàm in vno Christo, & in ea, quam illius nomine fecit, satisfactione. Illud semper habeat, suas lacrymas, sua suspiria, sua etiã, si hæc etiam adhibeantur, ieiunia, res quidem esse coram Deo gratas, non tamen in peccatorum admitt-

*Quid de
meritis.*

admissorum satisfactionē, sed vt animum submissum & abiectum per ea ostendat quod vnū Deus ab eo petit. Neque item peccatori quidquam imponatur, quo fiducia illi certaq; spes adimatur, & ea, qua indiget, consolatio, vt quibus premitur angoribus, releuetur: quin potius confidat promissiones in Euangelio siue priuatim siue publicè per pastorem suum sibi annunciatas, certissima esse gratiæ & veniæ à Deo adeptæ diplomata: clauem, qua apud Deū liber dimittitur: totam omnis culpæ pœnæq; obligationis liberationem, & certissimam cum Deo pacem.

Rex noster ex Euāgelij doctrina hoc omnino persuasum habens, vnam consequendæ salutis vitæq; æternæ rationē esse fidem in Christo Domino nostro, illorum qui asserunt in sua quemque religione seruatum iri, opinionem impietatis damnate eos qui aut in creaturis aut in suis operibus salutis suę spem repositam habent, reiecit, quales fuere veteres Philosophi, simulq; hodie Iudæi, Turcæ, & alij falsæ religionis cultores: Atque adeo illi ipsi, qui haberi Christiani volunt, videriq; & Christum, & Euangelium recepisse, Deiq; gratiæ & misericordiæ locum aliquem dare, sed tamen suæ salutis causam, aliqua quidem ex parte operibus quoque suis attribuunt: cuiusmodi erant permulti ex circuncisione Christiani in primitiua Ecclesia, cōtra quos tā multa D. Paulus scribit: & deinde Pelagiani hæretici, & ceteri.

De bonis operibus Rex credit populum ad ea perpetuò exhortandum esse: non quòd tamen vel multum vel aliquantulum ad salutem nobis comparādam faciant, & aliquid fauoris

Quid de bonis operibus.

diuini promereantur, aut vlllo in loco numero esse possint, vnde fieri satis possit peccata quæ admisisimus: cum præsertim Dei per Christum Dominum nostrum (cuius per fidem participes summus) iam nobis placati dona sint: id est: eoq; iustificationem nostram sequantur, non autem antecedant, vt D. Augustinus sæpissimè loquitur: cum etiam imperfecta semper sine nec fieri possit, vt eam, quam lex requirit obedientiæ perfectionem vllus vnquam nostrum assequatur: & ob hanc imperfectionem, condemnationis potiùs coram Deo causa sit, quàm illum nobis reconciliandi materia, vt D. Paulus Epistola ad Romanos copiosissimè docet. Eamq; ob rem præstantissimi quique Dei serui iidemq; sanctissimi, vt David, Isaias, Daniel & alij eiusmodi nullo se profus modo confidere ac niti ingenuè semper cõfessi sunt Deo, ne suis ex operibus iudicarentur, supplicarunt, omnem suam beatitudinem in gratia peccatorum suorum remissione, quam per Mediatorem expectabant, etiam si in oculis omnium irreprehensi & inculpati essent, potè tam esse agnouerunt.

Nihilominus tamen Rex credit bona filiorum Dei opera, quæ in fide facta sunt, gratia Deo esse, non sua quidem dignitate, si ad exactam perfectæ illius iustitiæ regulam examinetur: sed quia iam Deo per Christum reconciliati sunt: quia Deus eos amat, ac pro suo erga eos amore & beneuolentia, cultum, qui filijs ab eis exhibetur, quantumlibet exiguum atq; imperfectum probat: quia etiã bona opera, summi ipsius dona & beneficia quæ in iis per suum Spiritum Sanctum efficit: quæ tanquam sua honor

honore afficit, quoniam quæ in iis ex hominum quidem parte desiderantur, ea propter Christum nobis nõ imputat, sed tolerat & supplet. Et quanquam bona opera non sint eiusmodi vt per ea iusti coram Deo ob causas quæ ante dictæ sunt, censeamur: alias tamen rationes esse credit, propter quas Christianis præcipiuntur, vt in iis omne studium operamque ponant. Esse enim verum obsequium, rectamque misericordiarum Dei erga nos (vt D. Paulus ad Romanos scribit) agnitionem, Rom. 12. ob inæstimabile illud salutis, cuius in Christo participes sumus, beneficium. Deinde ideo etiam præcipi, vt cæteri nostris operibus conspectis Deum in nobis glorificent, nosque illis bono exéplo atque ædificationi simus, reque ipsa ostendamus nos verè Deo credidisse, & ita nostra vocatio in dies cõfirmetur. Has autem verissimas, & omnium, quæ dici quidem possent, maximas, ad bonorum operum studium & curam in animis nostris incitandum atque inflammandum, causas esse.

Adhæc de bonis operibus, deque toto, quem Deo debemus, cultu, Rex credit Dei esse vnus quid nobis faciendum sit præcipere: nihilque illi gratũ esse præter eam vnam, quam illius mandatis præstamus, obedientiam: ob idque legem dedisse, & omnem suam voluntatem suo verbo in sacris scripturis expresso patefecisse.

Præterea in iis, quæ à Deo præcipiuntur, deletum & discrimen veteris & Noui Testamenti adhibendum esse: quoniam in vetere Testamento & sub lege multæ essent Dei cõstitutiones ad id tempus duntaxat in rebus externis & cõgrimoniis, ad populi, qui tunc à Mediatoris

*Quid de
Vero Dei
cultu.*

*Quid de
Legis carnis
monis.*

patefactione longissimè adhuc aberat vsu
 necessitatemq; accommodatis. Quæ quidem
 omnia post eius, in quo inest veritas, plenaque
 & integra eorum omnium, quæ promissa erant,
 perfectio, nèpe Christi mortem & passionem
 esse & vigere desierunt. Hæc igitur omnia
 Rex nulla nunc esse credit, in eorq; vnũ Chri-
 sti beneficium extare, quod ab eiusmodi iu-
 go liberi iam solutiq; simus. Quare vt inte-
 gram Christi gratiam, Deiq; cultum purum
 habeamus, cauendum nobis diligenter esse, ne
 vllas legis carimonias, aut quippiam aliud e-
 iusmodi admisceamus. Denique diuinum cul-
 tũ in Ecclesia Christiana prorsus spirituale,
 & in eadem simplicitate ac puritate, in qua A-
 postolorum temporibus erat, conseruandum
 esse, nihilq; faciendum, quod gratiæ Euangelij
 fraudi & detrimento esse possit.

Rex etiam ea quæ simpliciter, absoluteque
 præcipiuntur, & quibus vnusquisque con-
 scientias Deus necessariò adstringit atque obli-
 gat, ab iis quæ sunt indifferètia, & in nostro ar-
 bitrio ac libertate posita, & quibus nos, quan-
 tũ quidem expediat vti possimus, distinguere
 vt in hoc quoq; hæc regula obseruetur, id pro
 Dei cultu non esse habendum, quod ex se ipso
 tale non sit: nihilq;, vnde conscientias nostras,
 quibus Christus sua morte & passione pacem
 libertatemq; dedit, iugum imponatur, vel sta-
 tuendum vel faciendum.

Atq; hic Rex cum D. Paulo & cæteris Apo-
 stolis Iudæos, qui in Ecclesiæ Christianæ initio
 carimonias legis vnà cum Euangelio retinere
 volebāt, hereseos dānat: itemq; eos de quibus
 Paulus Epistola ad Colossenses loquitur, qui in
 culti-

*Quid de
 humanis
 traditioni-
 bus.*

cultibus volūtariis, & animi submissione, nec non in eo quòd corpori non parcebant (mera sapientiæ humanæ specie) de abstinentia leges ferebant: Illos etiam quos vaticinatur Paulus prohibituos esse cibos & matrimonium: Postremò eos, quos Sathan ab Apostolorum temporibus excitauit, Montanistas, Manichæos, & alios eiusmodi à Patribus condemnatos in veteri Ecclesia, quòd eiusmodi dogmata contra libertatem Christianam prodidissent atque introduxissent, & ad superstitiones, quibus prima Religionis Christianæ puritas corrupta fuit, viam patefecissent.

1. Tim. 4.

Quid de inuocatione Dei.

In cultu, qui Deo à nobis debetur, Rex Dei inuocationem in primis ponit, & nostræ cum Deo per Christi Domini nostri beneficium reconciliationis fructumque vsurpationem in eo situm esse credit, vt cum omni fiducia & animi alacritate ad ipsius gratiæ thronum accedamus. Credit igitur Deum à nobis esse orandum, illi de nostris peccatis quotidie confitendum, gratiam & veniam ab eo petendam ac sumendam, nostras querelas & postulationes apud eum demendas, ac, vt verbo rem complectamur, ad illum in omnibus rebus nostris aduersis per preces ac supplicationes confugiendum: Neque verò ad vllum aliū quàm ad eum vnum, quia sit omnium bonorum fons & origo, omnipotens, rerumque omnium gubernationem & dispensationem habeat, nec vllus prætereum alius: quinetiam vltro se ipse in Christo iis omnibus benignè offerat, qui ad eum se recipiunt: adde quòd præcepto nominatim ad eam rem dato hunc sibi vni honorem deferri velit, quòd etiam promissiones de precibus nostris

Rom. 8.

nostris exaudiendis nullis aliis fiant, præterquam iis, qui illius vnus opem implorant. hæc accedit quòd Christus à suis Apostolis rogatus, vt certam precãdi formam ipfis præscriberet, non præceperit, vt cuiquam alii supplicarent, nisi vni Patri cœlesti. Adhęc quòd Deus solus sit rectę precationis Iudex, quia solus corda hominum norit, solusq; gemitus quos ipsius Spiritus in nobis excitat, eosq; vt D. Paulus loquitur, inenarrabiles, videre possit. vt paucis dicam, quòd constet, nec Dauidem, nec prisco illos Patres in periculis & asperis temporibus suis aliisue in reb. deprecatos vllum vnquam fuisse, nisi Deum solum. Quę cum ita sint veteres idololatrias & Paganos infinitam Deorum turbam colentes damnat, quorum alios habentem, alios illam rogabant, tanquam si mundi gubernatio & procuratio cõpluribus Diis distributa fuisset. Damnat & Iudæos, qui impio hac opinione deprauari se passi sunt, dum Basilim pro Diis habuerunt: eos denique omnes qui ad creaturas, quas in grauissimis & difficilissimis temporibus deprecantur, se conuertunt.

Interim Rex fatetur homines longè esse indigniores, quàm vt ipsi per se ad Deum accedant: ideoq; Iudæos damnat, Turcas, & eorum similes, qui temere Deum ad eum, Mediatorem qui ipsis aditum ad eum patefaciat, qui pro illis deprecetur, & interpellet, destituti.

*Quid de in
tercessione
apud Deum.*

Verumenimuerò Rex non credit aliam rationem & aditum ad Deum patere, alium esse patronum & deprecatores, cuius beneficentia nostræ preces Deo gratæ sint, quàm Dominum nostrum Iesum Christum: quoniam illi ipse est qui nos iam Patri reconciliauit, viamq;

ad eum parauit, cuius etiam merito Dei gratiã
 fauoremq; consequuti sumus. Illum esse Deo
 dilectum Filium, in quo vno Deus acquiescit:
 nec possemus vllum alium nancisci, cuius no-
 mine Deus nobis bene & velit & faciat, quã
 eum vnum: Atq; ea maximè gratia hodie esse
 in cœlis sistentem se coram Deo Patre (vt scri-
 ptura loquitur) pro nobis deprecantem: cùm
 & summus noster sit in æternum Sacerdos, &
 sit muneris ipsi impositi proprium, res omnes
 nostras apud Deum procurare & gerere. At-
 que illud esse quod Deus populum suum per
 sacerdotium & sacrificia legis docebat, quum
 in sanctuarium ingredi vni tantum liceret,
 qui se coram Deo sisteret cum sanguine, nec
 populi postulationes ac preces Deo aliter gra-
 tæ esse possent. Breuiter Dei præcepta di-
 fertè promissionesquæ extare, itemquæ Pro-
 phetarum & Apostolorum exempla, quæ no-
 bis regulæ instar esse debent, vt ne Deum per
 alius cuiusquam, nisi Christi vnus nomen
 vnquam inuocemus. Quare damnat Rex vete-
 res quosdam Philosophos, qui cõuicti & agno-
 scentes nullum aditum ad Deum nisi per me-
 diatorem quendam patère, ad Deum sum-
 mum per alios inferiores Deos accedendum
 esse docebant. damnat & eos, qui Apostolo-
 rum atate (vt ex Epistola ad Colossenses con-
 stat) id per Angelos faciendum censebant: I-
 temq; cæteros omnes qui tale quippiam sense-
 rint, aut fecerint.

Col. 2.

Rex adorationem Deo debitã in precatio-
 ne, in fide & obsequio, quod vnusquisque præ-
 stare illi debet, in quotidiana fidei suæ cõfessi-
 one & gratiarũ actione ponit: creditq; hoc Deo
 dun-

*Quid de
 adoratione.*

duntaxat vni deberi, quia id & Dei ipsius preceptis nominatim cautum sit, & Apostolorum sanctorum Angelorum, qui ne minimam quidem huiusce adorationis partem sibi exhiberent vnquam passi sunt, exemplis confirmatum. itaque eos omnes, qui illam à summo Deo ad creaturas transferunt, condemnat. Illud etiam credit, adorationem mentis propriè esse: simplicem verò gestum externum, illius tantummodò testimonium: ita vt si mens abfuerit species illa mera sit futura coram Deo hypocrisis, non cultus ex sese illi acceptus. Adhuc adorationem non ante aureas, argenteas, lapideas, ligneas, aut cuiuscunque alius materiam imagines, quia id in lege diuina vetitum sit: scilicet pectoribus atq; animis, in cœlum, tanquam in Dei sanctuarii locum, vbi habitet, sursum erectis faciendam esse credit. Paganos imaginum cultores, itemq; Iudæos ipsos, qui eorum exemplis edocti, quod adoraturi erant, id sibi imaginibus pictumue fictumue esse voluerint, meritò condemnat.

*Quid de
Ecclesia.*

Quod ad Ecclesiam attinet, primùm Res credit esse illorum congregationem, qui hanc doctrinam tenent ac profitentur, nimirum veri Dei cognitionem: (quatenus quidem seculo verbo suo nobis patefecit) quiq; nullam aliam salutis rationem viamq; habent, quàm Christum Dominum nostrum: vt etiam nominis Dei inuocationem, reliquumq; illius cultum qualis est ab eo ipso constitutus. eamq; Ecclesiam esse Catholicam aut vniuersalem, hoc est, quæ eos omnes qui hoc idè professi sunt, profitentur, ac profitebuntur, sine vlla temporum aut locorum distinctione à mundi ipsius principio

cipio ad finem vsque vniversè comprehendit: quorum quidem plerique vnà cum Domino Iesu in cœlum iam recepti sint, alii in his adhuc terris militant: cæteri verò per omnes ætates atque sæcula, quoad electorum numerus fit omnino expletus, sequuturi sint. Idem Manichæos & alios q̄ ab hac Ecclesia Patres sub lege constitutos excluderunt: Iudeos qui illius fines intra suam nationem concludunt: Donatistas denique, qui eam vnus Africæ terminis metiebantur, & includebant: atque cæteros eiusmodi damnat.

Credit & hanc Ecclesiam suas habere notas & insignia, (quibus verè ac certò ab aliis omnibus cœtibus aliquam religionis speciem præferentibus dignoscitur) nempe Prophetarum & Apostolorum doctrinam, itemq̄ sacramenta à Deo in ea constituta: quemadmodum Apostolus Ecclesiam suam illic fundamentum habere ait. Eph. 2. Has autem veras esse notas essentielles, & sine quibus Ecclesia existere non possit: alias verò, quas nonnulli proferunt, aut falsas, aut aliis cœtibus communes, ac proinde incertas & fallaces.

De hac Ecclesia omnes titulos, honores & privilegia, quæ illi à Deo tribuuntur, credit: eã videlicet esse Dei domum, templum, hæreditatem, illius regnum, cœlestem illam Ierusalem: esse item Christi corpus & illius sponsam, atque (ratione quidem verbi diuini, quod illi commissum est) veritatis columnam ac firmamentum, omnium credentium matrem, gratiæ dispensatricem, quæ ipsum fontem habeat, vnde aquæ in vitam æternam scaturiant, extra quam deniq̄ nulla fit salus.

Hanc

Hanc ipsam Ecclesiam credit sanctam esse, ut in Symbolo nominatur, etiã si dum in mundo versatur, hypocritas veris illius membris admixtos habeat, & in integerrimis, etiam ac perfectissimis quibusque viris delicta & vitia non pauca insint: sed Deum probè cognoscere suos, eorumque & hypocritarum delectum habiturum. Interim si quæ maculæ & errata in iis qui verè crediderunt, adhuc insunt, eos nihilominus sanctos esse: propterea quòd sub hoc gravissimo peccati onere gemant, eorum peccata gratuitò remissa sint, eorumque sanctificatio quotidianum incrementum habeat & à Christo, qui eos sanctificat, ad perfectionem ducatur. In quo damnat Catharos, Donatistas, Anabaptistas, & alios eiusmodi qui Ecclesiam in mundo ab omni vitio vacuum & puram sinxerunt, tantumque sibi tribuerunt, ut perfectionem se & integritatem alios quotos existimarent.

*Quid de
Ecclesia
capite.*

Quantum ad Ecclesiæ caput attinet, Rex fitetur illi omnino capite op^o esse, cuius ductus & tutela facta tectaque & incolumis aduersus tot hostes permanere, omnibus beneficiis & opibus necessariis cumulari, ad vitam gloriamque celestem perducì, & in eius fruitione perpetuò conseruari possit. at, qui hæc omnia supereditare queat, neminem planè agnoscit. Itaque titulum hunc honorificum nulli alii adscribit, nisi vni Christo, qui iure meritoque suo sibi eum promeruerit, quò Ecclesiam suo ipsius sanguine redemit, ut esset illius Rex, caput & Dominus, omnia sub manu sua tenès, per que eam tueatur, atque omnis gratiæ plenitudinem, qua eam compleat: sponsus, ideoque sue sponsæ caput.

caput: ille, inquam, qui eam amat, eandemq; æterna sibi beneficentia copulauit, verus ac solus rerum omnium hæres, vt eam bonorum omnium suorum sociam & consortem faciat: ille denique qui illi & est & erit omnis gloriæ auctor. quemadmodum etiam ille solus est, qui in sacra scriptura præclaris his titulis ornatur, vt nuncupetur Rex, Dominus, Ecclesiæ caput, præcipuus pastor, animarum Episcopus. In hoc munere nihil vicario aut capite ministeriali indigens, quoniam illud ipse efficit, præsens in sua Ecclesia, rebus omnib. ad illius redemptionem perfectè planeq; explendam necessariis instructus.

Rex credit huius tantùm capitæ, nec vllius cuiusquam alius Ecclesiæ gubernandæ imperium atque auctoritatem propriam esse, vt Ecclesia illi, cuius vocem audiat, subiecta vni sit. Statum etiam & formam Ecclesiasticæ gubernationis esse omnino spirituales, non imperiorum politicorum gubernationis more, sed solius capitæ huiusce verbo & voluntate annunciata atque applicata, secundum regulas quas ipse præscripsit. Nonnullis quidem hominibus, vt ipsi visum est, ex vocationis ordine, quem ipse constituit, vt greges obseruent & regant, delegatis, sed solo illo, inquam, capitæ huius verbo (quod in Prophetarum & Apostolorum illius ministrorum scriptis extat) & ex ipsius auctoritate, ita vt omnis potestas & gubernatio penes eum vnum remaneat.

Ad summam Rex credit totam sacram scri- *Quid de*
pturam, hoc est, quicquid in Prophetis & *sacra scri*
Apostolicis libris continetur, vt in Ecclesiæ *ptura*
cano-

canone sunt, id esse Dei verbum: testificatur ei sese totum subiicere velle. Credit in his scripturis sacris omnem salutis & diuini cultus rationem & normam esse nobis traditam, fuisse Dei consilium, omnem suam voluntatem in sacris hisce commentariis fideliter aperire, eaq; perspicuitate ac facilitate, quam populi sui captui accommodatam esse nouerunt ne fortè aut hominum negligentia illius memoria periret, aut Diaboli, eiusq; ministrorum fraude adulteraretur, ideoq; quicquid docetur sitq; in Ecclesia, illinc veluti ex constituta regula sumendum esse, ita vt nihil profusum ea vel immutare vel addere, vel detrahere cuiquam liceat: omnesq; ad illam scripturam doctrinas examinandas & æstimandas censet, quicquid nõ est illi consentaneum & congruens, reiciatur. Ex eadem clarè certoq; perspicui, an Ecclesia sit Dei Ecclesia; eamq; esse illius fundamentum, ideoq; ordine & tempore præiorem esse, atq; ab eo, qui eius auctor est, non autem ab Ecclesia suam auctoritatem habere.

Atque Rex hoc omninò persuasum habere sacram scripturam hoc modo esse Dei verbum plenamq; & planam illius consilii voluntatis declarationem, atq; omnis veritatis normam ex iis notis, quas in sese insculptas ostendit, ex testimonio, quod Ecclesia singulis hominum ætatibus ac sæculis edidit, postquam ipsius ecclesie curæq; concredita fuit: sed ex eo imprimis testimonio & πληροφορία, quam Dei Spiritus in illius animo consignauit.

Damnat itaque Turcas aliasq; religiones, quæ scripturam sacram reiciunt: Iudæos, qui eius partem duntaxat recipiunt: Manichæos, qui

qui non solum veteris Testamenti sed Noui etiam libros, eos sanè quos sibi aduersari nouerant, repudiarunt: vt etiam alios omnes hæreticos, qui Ecclesiæ canonem non admiserunt, sed libros quosdam vel addiderunt vel detraxerunt, quatum quidem ad suam impietatem confirmandam conducere putabant: eos præterea, qui aliam regulam & doctrinam ex nouis quibusdam reuelationibus, aut alia quauis ratione perfectiorem esse aut existimarunt olim, aut etiamnum existimant: vt Montanistas, supradictos Manichæos, Mahumetanos, Anabaptistas, aliosque eorum similes, qui suam illi auctoritatem aut adimunt, aut inminuunt: idque siue apertis blasphemis, vt Atheos, Turcas, & cæteros: siue ea proferendo, quibus eius veritatem in dubium vocant: quales ii sunt qui rogant à quonam acceperimus id esse Dei verbum, aut ii, qui illud ambiguitatis, dubiæque & incertæ sententiæ accusant, vt homines ad certiora rectoraque scilicet consilia expetenda impellant. Quid multis? Rex nullum aliud vult probatque Euangelium, quàm illud, quod D. Paulus & alii Apostoli nobis tradiderunt: & ex D. Pauli mandato agnoscit ac profitetur eum Gal. i. esse execrandum, & anathema, quicumque aliud Euangelium proferre audebit, siue is fuerit Angelus, siue quiuis alius, quamcumque tandem personam causamque obtendat.

Hæc igitur est Regis & eorum, qui reformatam cum eo religionem profitentur, fidei confessio breuibus articulis comprehensa, qui in Doctorum, quos sequuntur, libris, variis locis cum ex Bibliis, tum ex primis illis sacris conciliis veteribusque Doctoribus depromptis corrobora-

borati & confirmati leguntur. At cuiuslibet æqui modò iudicis peritiq; rerum estimato in iudicio, etiamsi quid esset quod in controuersia disceptationemq; vocari posset: hinc tamen non efficeretur, Regem à Prophetarum & Apostolorum doctrina alienū esse, ac p̄inde hereticum: Cūm, vt ex his constat. nullam esse veram religionē credat præter Christianā: Cūm Atheis & impiis in Deum, in Christum, & in redemptionis nostræ opus blasphemis infelicit sit: Cūm deniq; nulla vel fuerit olim vel sit hodie heresis per Dei verbum damnata, quā non ex animo detestetur & damnet.

Aliarum definitionis hominis heretici partium continuatio ampliorq; disquisitio, ex qua cōcludatur hoc tandem, atq; omnib; constet Regem hereticum non esse.

CAPVT XIII.

Tit. 3.

D Paulus in hominis heretici definitione, alias etiam circumstātiās ad eum iustificandum addit: primam, si fuerit sepe admonitus: secundam, prauam conscientiam & suo ipsius iudicio conuictam. Regem autem & aliter institutum, & sapius commune factum fuisse, vix probari ac ne vix quidem poterit. Et enim primam illam iā inde à teneris annis à parentibus traditam institutionē etiamnum retinet. admonitio vcrò ei contraria, qualis quidem antecedere debet, priusquam de heresi contra aliquē sententia feratur, nulla omnino facta est. Illius aduersariū factam fuisse contendunt. Quin Papa ipse Sixtus in sua contra illum & Principē Condeū edita Bulla, hac vna re maximè nititur, ac meminit de admonitionibus

Rex nec aliter institutus nec commune factus fuit.

tionibus ad D. Bartholomei ferias adhibitis, de illius abiuratione, de illius cū Ecclesia Romana recōciliatione & hinc aduersus eū colligit, relapsū eū esse. Verū sola horribilis laniena atro illo die editę memoria eū semper apud æquos iudices ab hac calumnia liberabit. Vt aduersus eos q̄ a fide aberrarunt legitimis admonitionibus inquiratur, ii primū appellādi & humanissimē audiendi sunt, vt D. Paulus erga eos qui errant diligentissimē faciendum præcipit: nempe vt admonitiones fiant, nō gladio crucis, sed Dei verbo. Tunc verò nisi post repetitas admonitiones cedunt, pertinacia esse censetur. Quòd si Deo gloriam tribuētes errorem eiurant deinde ex periculo elapsi, denud alteri cari & heresia retinere conantur: tum demum relapsi censendi sunt. At hoc in Regis persona minimē reperietur. Nam funestis illis Bartholomeis festis, quam in eo instituendo, admonendo & ad Ecclesiā Romanam reuocādo vitā sunt? quænam fuit iudiciorum forma? hæc nimirum tam immanis & perfida, quam insolens & inaudita. Religiosorum clarissimi quique & fideles Regis ipsius serui Lutetiam conuocātur sub matrimonii nomine, & illuc verborum blanditiis fidet̄ data pellecti mactantur, in flumen coniciuntur, nulla nec mulierū nec infantium ratione habita. Quinetiam domestici in eius cubiculo, in conspectu atque aded complexu ipsius miserè trucidantur. Eaquē carnificina per multos dies non Lutetiæ solū, sed in maxima etiam Gallię parte continuata fuit: omnibus etiamnum demirantibus, & omnino stupentibus, qui fieri

*Admonitio
quoque
de fuit.*

*Relapsi
qui de ca-
147.*

*Rex Et in
micorum
furoribus
de re coa-
ctus fue-
rit.*

fieri potuerit ut tam immanes & barbari carni-
fices tū Regi tum Principi Condeō illius cōfo-
brino pepercerint. Hoc nefario facinore pa-
trato Rex ad Misā sollicitatur; ei consilio repu-
gnat. tandem multis cōminationibus, quibus
in dignitatis & capitis periculum vocabatur,
adactus, tot tantisq; cēdibus perculsus, cum illi
ante oculos tum Regia ipsa, tum eius cubicu-
lum cruore respersum quotidie obuersarentur,
cum ipse pubertatis annos vix dum attigis-
set, cedit, & aduersariorū libidini obsequitur.
Nihilominus multis magnisq; testimoniis si-
gnificans, nec intimis tantū suis, sed licariis etiā
ipsis, se non sponte sed vi coactum hęc facere.
Quumq; primūm sese ex ista captiuitate eripi-
endi & in tutū liberumq; locum recipiendi da-
ta fuit facultas, erratum, quod verē se admisisse
credebat, agnouit, eiusq; veniam suppliciter &
demissē, in frequenti & solenni piorum homi-
num cœtu à Deo petiit. atque ab eo tempore &
bella quæ cum eo gesta sunt, & iacturæ, & iniuriæ
ab ea sententia orationeq; demouere nūquam
potuerunt. Quum miseram eorū temporum
cōditionem memoria repetemus, dicemus ne-
eam admonendi Regis rationem à Deo consi-
tutam, atq; vllam iustitię speciem in tanta cru-
delitate ac violentia obseruatam fuisse? Adde-
cti sunt ad eum fortasse quidā Doctores. Estot
at nū cum eo actū est argumētis, ac non potius
gladiis, atq; cruentis ac furiosis, quos in præsen-
tia & in oculis semper ppositos habebat, sica-
riis adhibitis? Dicer igitur ac verissimē, in firmi-
tatem eam fuisse, qua fractus & debilitatus, ad-
uersariorum cupiditati morē gesserit. Si verō
abiurationis serio factæ, atq; voluntariæ & ali-

eris concessionis consensionisq; argumentum
 id est, quod minis & mortis metu extortū fuit:
 dicēdū quoq; erit tot in veteri Ecclesia Christia
 nos (qui postea tā præclara fidei suę testimonia
 ediderunt) & D. et Petrum formidini & horro
 ri mortis coram aduersariis cedētes, ex animo
 religionē Christianam abiurasse: & cū de in-
 tegro eam profiteri cœperunt, relapsos fuisse.
 At si imbecillitas hæc erat, quę eos excusaret ad
 uersus triūphos, quos religionis hostes de iis
 plerunq; agebant: de eo etiam q̄ Rex tunc egit
 idem omnino dici meritisimò potest. Cū Rex
 in Concilio legitimè cōuocato aderit, vt optat,
 illicq; audietur, si admonitionibus & cohorta-
 tionib. è sacra scriptura petitis, veritatis iudi-
 cio conuictus reddatur: tunc necessarię ac legi-
 timę admonitiones adhibite illi fuisse dicētur.
 Sed quoties & Papa & Papę clientes atros & ne-
 farios illos impiarū trucidationum dies profe-
 rent, toties & iniquis imam & immanissimam
 omniū, quę ab omni hominum memoria fue-
 runt, tyrannidē pferent. Iam verò peruersam
 & obstinatā illam, quę in hereticis cernitur, cō-
 scientiam quis in Rege inesse dicere ausit? Hoc
 semper in illis antiquis, vt & in nostrę ætatis he-
 reticis videre licuit, eos aut offensione aliqua,
 aut auaritia, aut ambitione ad hoc diuortiū ab
 Ecclesia faciendū, & aduersus sanam doctrinā
 factionibus ac discidiis dimicādum fuisse im-
 pulsos. De iis loquor, qui in errore obstinatiūs
 perseuerant, falsamq; testante et animo suo do-
 ctrinam retinent: non de iis, q̄ aut ignorantia,
 aut studii in religionē maioris opinione dece-
 pti fuerint. Et in illis quidē facilè animaduerte-
 re est meram malitiam esse, ac quicquid tandem

*Peruersa
 aut obsti-
 nata con-
 scientia in
 Rege nul-
 la.*

proponant suo pte iudicio condēnatos esse, vt Paulus loquitur. Illi aut sunt, quos reicere & detestari oportet. De Rege verò idē dici nō potest. Non n. hunc se religioni spōre sua addixit sed eam vnā cum ipso matris lacte didicit & sūxit. Neq; illi etiā obiectari hoc potest, eò additum, aut p̄ stomacho aut villo cuiusquā odio fuisse. Aduersarii quidem id Regibus superioribus persuadere conati sunt, eū & ipsis & Ecclesię Romanę infestum esse. Sed his postremis bellis in turbulentissimis & periculossimis ipsorū temporib. quā falsum id esset, re ipsa ostendit. Ad hoc autem vitę institutum amplectendum & consecrandum vel avaritia, vel cōpendii sui caussa, vel ambitione compulsum esse, nulla quidem ratione id p̄bari potest. Ex quo hęc religionem est professus, in perpetuis malis versatus est, sua illi bona erepta sunt, bellum aduersus eum iam dudum susceptum, infestis & hostilibus animisq; armisq; hactenus continuatum est: sepius illi dimicandū fuit in exquisitis etiam conditionibus: vidit aliquādo & de se & de suę partis hominibus, specie quędem ipsa, prorsus actum esse. Rex ipse, nobilissimi & potentissimi quiq; vniuersus populus omnes deniq; in eius exitium coniurauerunt. Quænam illi dignitatis suę retinendæ, nedum augendę, in tantis calamitatibus & ruinis sperari poterat? Quod si ab hac religione decedere voluisset, & ad Missam ire, hoc vno facto eodemq; momento sese ab omnibus hisce miseris explicare ac liberare poterat, & viam sibi ad gratiã, ad dignitatem, & auctoritatē summam nec magno negotio consequendã facere: quæ amplissimo hoc secundū Andegauen sem. Dignitate honore ornatus, vt esset & primus Regis illius

Nulla itē
avaritia
aut ambi-
tio.

pis Princeps, & Regio sceptro succedendi iure
 proximus. Atq; interim nō ignorabat quā multa
 magnaq; tota Lotharingę familia sub hoc hæ-
 retici nomine moliretur, vt cū de suo iure hoc
 pacto deturbaret, & omniū hominū inuidiam
 illi atq; odiū conflaret. Quib. quidē malis oc-
 curri poterat, & vno verbo oēs aduersariorum
 cogitationes ac spes euertere, id assentiendo,
 quod Rex & populus ab eo exigebant. Sed ne
 his quidem omnib. à proposito susceptoq; cō-
 silio demoueri potuit. Tandē res in eum, quem
 hodie videmus, finem redacta est: Regis morte
 ius regni adeo potētis ad illum peruenit, cuius
 beneficio possit aliquādo summus omniū Mo-
 narcha euadere. Hic si ambitio & regnādi libi-
 do in ei⁹ animo dominata esset, p̄cipuaq; fuisset
 illi causa cur se ad Religiosorū rationes adiun-
 xisset: p̄clara certē oblata occasio erat ad eum
 in cōtrariam partem inflectendū, nempe facta
 maximę regni partis à Rege demortuo aliena-
 tio & disiunctio. Ob hęc duntaxat, quam illius
 aduersarii in populorū animis infixērāt, opini-
 onē, eum hēreticis fauere & adiutorē esse: ma-
 gno hoc argumēto erat ad redeundū eodē pun-
 cto tēporis cū populo in gratiā, vna religionis
 mutatione: vt omniū demortui Regis seruorū
 desideria frequētesq; sollicitationes eō specta-
 re videbātur. Et in his quidem omnib. etsi mo-
 menti ac viriū ad constātissimos quosq; labefa-
 ctandos atq; percellēdos satis inesse videretur:
 attamē firmissimē in sentētia sua hucusq; persis-
 tit: non q̄ hęc omnia eū non afficiāt: nā & iudi-
 cio & prudentia valet, si quisquam ex toto suo
 regno alius. Quid igitur & spectat & exspectat?
 quæ sunt in eo causa, quæ priscos hēreticos ad

falsas suas opiniones pertinaciter defendentes mouerunt in quo prauā illi⁹ conscientiam notare possumus? quam verò multi ipsius aduersarii iūq; Religiosissimi, sui illius zeli vela traxissent, atq; ad eam religionem centies eiuissent, tā ampla & luculenta conditione proposita? Equidem pro calumniis & probris, quibus ipsi obiectantur, hoc dici potest: cū nulla eorum rē omnium, quę homines ad nefandū aliquod consiliū commouere & incitare solēt, causam in eo appareat, cū terrores, minæ, spes de sua eum sententia deducere hactenus non potuerint: fatendum nobis ingenuè est necesse esse quod vnum homines ad humana omnia spei nēda inducere potest, in illius pectore penitus insidere & herere, nimirū Dei ostendendum, si quam religionem hucusq; verissimam & Dei verbo consentaneam esse sibi omnino persuadet, hanc pro rebus terrenis abiiceret, si quod Deo ipso teste profiteretur quotidie, apud eos q; ipsum hac dere loquentē audire voluerit. Cū igitur impia conscientia in eo nulla sit, statuamus iam tandem eum non esse hereticum, vt aduersarii de hac re illū inuidiosè criminantur: q̄ppe qui eorum, quę hominis heretici definitione continentur, nihil planè habeat, nec Religionis fundamenta doctrine Apostolorum contraria, nec pertinaciam, nec prauam conscientiam: sed contra institui expetat, melioraq; se auditurum vltro polliceatur, si modo ex sacra scriptura doceatur.

*Regem excommunicatum nō esse, quanquam
id Papa fuerit conatus.*

CAPVT XIV.

Docui

Docimus supra, etsi Rex excommunicatus esset, non posse tamen id obstare, quin iure ipso auctoritate & imperium summum in Gallicum regnum obtinere debeat. Iam vero docere aggredimur eum non esse excommunicatum: & quamvis excommunicatio regnandi ius adimeret (quod falsum est) eiusmodi tamen decretum huic nostro Regi officere non posse. Non parua autem ad explicandam hanc controuerfiam facta est progressio, cum probauerimus Regem non esse hæreticum, unde reijci & excommunicari debeat. ea enim vna causa est quam hostes, tanquam ad eum excommunicandum satis per se idoneam proferunt. Si ergo id nullum est, nulla quoque est excommunicatio. Sic paucis dilui crimen posset. Pluribus tamen ea de re differam ut nullus omnino scrupulus in vlllo residere possit. Quod in hac re tota mentes hominum magis ancipites suspensasque tenet, hoc maximè est, quòd Papa Regem excommunicauerit, hoc enim per se vnum satis esse illis videtur, ut de eo non sit amplius disputandum. At ista conclusio non est necessaria. Si ita se res haberet, ut, quicquid Papa facit, necessariò id rectè factum esset, nec liceret id vnquam in dubium reuocare, & paulò accuratius examinare: approbandum continud esset quicquid pro animi libidine statueret, sed Papa homo est, fallique & errare potest. Nec verò hic mihi contra Papæ auctoritatem contendere est animus, contra quam plerique Christiani hodie tâto consensu & studio contendunt. Verùm etiamsi hoc largiri aduersariis velimus, Papam esse maximum & summam auctoritatis: non potest tamen maiorem habere,

Papam errare posse, cum & D Petrus ipse errauerit.

- re. quàm D. Petrus, à quo totam suam auctoritatē se accepisse dicit: Atqui D. Petrus nunquā tantū sibi sumsit, vt quicquid faceret, id omnino citra exceptionem rectē factū esse existimaret, ceteri etiam Apostoli nunquā tantū illi tribuerunt. D. Petrus agnoscit & fatetur se hominē esse infirmitatibus humanis obnoxium. Post hæc verba quæ Christus pronunciauit.
- Act. 2. *Tues Petrus, & super hanc Petram, &c.* Quibus verbis Papæ clientes dicunt eum factū fuisse Papam, & eius itē successores: D. Petrus graua peccata admisit, ob quæ in aliorū reprehensionem incurrit, & ab iis veniam petiit. Ausus est Christo seruatori nostro consilium dare, ne in urbem Ierusalem ascenderet: quo quidem consilio impediatur hominū redemptio, quæ aliter fieri nō poterat. & eo quidem Christus irritus fuit offensus, vt Petrū longē à se depulerit, Diabolū eum nuncupās. Postea Christum Dominum suum, diris se deuouens, ter abiurauit. Ab ascensione Christi plenius iam (spiritu diuino quàm antè afflatus, & quasi nouus homo) fuit à D. Paulo reprehensus, quòd vt eius loci contextus ait, reprehendendus esset. Ille ad eò ipsos collegas suos & totam Ecclesiam tanti facit, vt postquā gentibus Euangelium annūtiasset, actiones suas aliorū iudicio & cognitioni proposuerit ac subiecerit, eorū cēsoriam animaduersionem subiturus. Si tantus Apostolus aliquando peccauit, & de peccato reprehensus est, fuit si libèter in conspectū totius Ecclesie prodit suarum actionū rationem redditurus: Papa non est alius superior habendus. Itaq; hoc minime sequitur, Papa id fecit: Ergo rectē factum est, nec amplius de eo disputandum.

Contra, quod de Paparum vita, consiliis & actionibus ex ipsorum historicis, veluti Platina & aliis, notum vnicuique manifestumque esse potest: illud sanè eiusmodi est, vt iusta de causa nihil ab iis recipiendum sit, quin diligèter excussum, examinatumque fuerit, vt iudicio adhibito constet, an id rectè factum sit. Complures Papæ manifestè hæreseos condemnati sunt, vt Liberius quidam, quòd fuerit Arrianus: & Iohânes 23. quòd de animis malè senserit. Marcellinus idolis sacrificauit. permulti in Necromantiæ & incâtationum non suspicionem solum, sed crimen etiam venerunt. Horrendum planè est quod de ipsorum scortationibus, incestis, & aliis etiam longè detestabilioribus flagitiis in historiis legitur.

*Paparum
vita, consi-
lia & actio-
nes quales
fuerint.*

Ad nostra hæc vsque tempora illorum ipsorum concessu nõ sine vectigalium incremèto Iupanaria Romæ patebant. Si qua fuere in Ecclesia schismata, illi ferè soli, vt scriptores quidem prodiderunt, eorum auctores fuisse dicuntur. Sæpenumero & urbem Romã & totam etiã Italianam, vt se mutuo vindicaret, deque sede Pontificia deturbarent, bellis, cædibus, & sanguine cõplerunt. Simonia & rerum sacrarum nundinatio inter eos tã tetra fœdatur fuit: fraudes item, veneficia, parricidia, quibus ad summam istam dominationem perueniretur tam frequentia, vt nihil vnquam simile apud reliquos homines factum fuisse constet. Quisquis tum Germanorum, tum aliarum Christianæ religionis gentium historias legerit, iudicabit nec plures nec grauiores iniurias toti Christianismo à Saracenis, Turcis, & aliis infidelibus gentibus illatas esse, quàm quæ illis adiutoribus passim illatæ sūt.

Usque

Vsq̄ue aded sanè, vt Principibus & Regibus præcipuè nostris, scholisq̄ huius regni Theologicis in eam rem sæpissimè incumbendum fuerit, & seridè videndum, nequid Ecclesia detrimenti & labis ab eorum ambitione & audaciacia caperet. Et si autem modis, rationibus, artibusq̄ omnibus conati sunt in summam libertatem vindicare, qua impunè sibi agere liceret quæ liberet cunq̄: attamen Principum, priorumq̄ virorum, qui iam antè, quæ clades & quæ calamitates eam tantam tyrānidem consequutura essent, animo prospiciebant, studio & cura hoc effectum est, vt Pape ipsi conciliis subiecti essent: & quodcunq̄ conciliis in eorum facta inquirere, & animaduertere per tempora licuit, ij tot sceleribus cooperti, tot flagitiorum sordibus cõtaminati reperti sunt, vt permulti variis ætatibus, immo & tres eodem tempore in concilio Constantiensi dignitate Pontificia moti fuerint. Hæc igitur cum ita esse veterum scriptorum monimētis comprobetur, quoties de Paparum decretis & actis sermo habetur: satis hinc causæ est, quamobrem mali aliquid & sinistra metuendum magis sit, quàm temerè credendum, nihil non ab iis rectè fieri, cum in cæteris rebus omnibus, tum maximè in iis quæ ad Principes attinent. Nam postquam Papæ (negligentes quod sui muneris & officij erat) gregem suum verbo diuino pascere desierunt, execranda hæc ambitio, eò usque inuasit, vt nō solùm in reliquos Episcopos collegas, sed Imperatores etiam & Reges auctoritatem & imperium summum vsurpare vellent: nunquamq̄ destiterūt Principes summos exagitare & vexare, omnemq̄ mouere

lapidem, vt eorum auctoritatem infringere ac deprimerent. ita vt nec Germanorum Imperatores, nec nostri Reges, aliiq; Principes vltimos & grauios & infestiores aduersarios vnquam senserint: cum Põtifices eos excommunicarēt, diris deuouerent, imperij administratione illis interdicerent, subditos obsequij iure soluerēt, & ius dominationis in alios vt iam supra dictum fuit, transferrent. Quamobrem rationi minimè consentaneum est, vt, vbi de Principibus agitur, fides Papis habeatur: & quodcunque in eos statuunt, id necessariò rectè factum putetur. Quemadmodum etiam, quicquid in ea re aduersus eos moliti & aggressi sunt infelicissimus semper euentus consequutus est, Deo vnicuique patefaciente se eiusmodi consilia minimè probare.

Quòd si populi omnes iustissimam ex his, Papatum aduersus suos Principes consilia & decreta prudenter examinandi causam habent, priusquam iis assentiantur, Galli certè inter ceteros omnes hoc libertatis ius retinuerunt, vt in Regum suorum rationibus Papatum consilia diligenter expenderēt, & excommunicationes præcipuè. Nam quanquam aliæ nationes Pontificiis fulminibus & tonitruis auditis percussæ & prostratæ iacerent: Galli tamen, si Papæ nostros Reges vel attingere auderēt, eos excommunicaturi, (vt id in nostros Philippos & alios etiam tentarunt) pro suo illo iure & antiqua consuetudine quam vbique terrarum ostenderunt, proq; singulari suo in Principes suos amore & obseruantia, non solum eiusmodi excommunicationes irridebāt & contemnebant, sed etiam validis machinis,

*Gallicana
libertas.*

arti-

Extrauag.
Meruit. de
Priuileg.

artibus, & viribus contrà appositis illorum arte
tes & molitiones oppugnabant. Sic enim in
ter eos Theologorum collegia & suprema Cu
ria contra Papas illos sententiam summa cum
libertate ferebant, vt effrenatam illorum in
solentiam atque superbiam reprimerent: cui
nec vellent, nec possent pati, vt tãtam in Prin
cipes & status huic regno subiectos excõmu
nicandi potestatem haberent. tandemq; eò re
perducta est, vt Papæ assenserint se nõ amplius
tantum in Galliam dominatum vsurpaturos
En antiqua immunitatis & libertatis aduersus
Papas possessio, quam Galli nostri diligentissi
mè retinere debent, nisi de maiorum suorum
virtute ac prudentia degenerare velint, & in
eisdem casus delabi, in quos alia imperia, qua
nimium illis de suo iure concesserunt, delapsi
sunt. hoc potissimum tempore, quo Papa
rum illa tanta dignitas & auctoritas in totius
Christianorum ditone labascit, & iam pericu
lum est, ne de omnibus Christianæ religio
nis nationibus eiiciantur. Si ingratis au
dent suam vim contra nostram Galliam, qua
ferè sola illis adminiculum est, conuertere
maximum esset dedecus & ignominia illam
veterum libertatem, quæ aduersus furiosam
& temeraria Paparum consilia huius regni
præsidium & propugnatio fuit, repente
proiicere. Hæ verò rationes religiosissimos
quosque tangere non mediocriter debent de
Regis per Sixtum Papam excommunicatio
ne. Etsi Papa ipse satis docuit quo loco ha
beri debeant suæ excommunicationes, ex
iis quæ Regi demortuo renunciata sunt, per
clarissimum quendam huius regni virum
qui

qui ad eum amandatus erat. Rex enim eum
 eo consilio miserat, vt afflictum sui regni sta-
 tum ex turbis & discensionibus nouis, quas
 coniurati & perduelles excitauerant, Papam
 edoceret: ab eoquē de rerum pacandarum
 ratione consilium caperet, vt ne Gallicum
 regnum, quod præcipuum Christianismi ad-
 uersus infideles propugnaculum, roburquē,
 nec non Pontificum ipsorum columen antea
 fuerat, funditus interiret. atque oblata è re
 nata occasione cum eo de excommunicatio-
 nis bulla à se aduersus Regem & Principem
 Condæum emissa egit, & quàm agrè inuito-
 quē tum Rex defunctus, tum ipsius confi-
 lum eam admisissent proposuit. Hic Papa fa-
 ctum nec acriùs vrsit, nec diutiùs in eo pro-
 bando perstitit: sed contrà, quòd res eò vsque
 prouecta esset non obscure dolere se ostendit:
 nec non & coniuratorum factionem, & Car-
 dinalem Pelleueum factionis Gallicæ in Cu-
 ria Romana procuratorem, quorum impor-
 tunitate & fraude à se extorta bulla ea fuisset,
 vehementer accusauit. Quòd si Papa de hac,
 quæ obtenditur, excommunicatione ita sen-
 sit: nihil profectò causæ esse iam videtur, cur
 ceteri pluris eam facere debeant.

*Sexti Papa
 de sua in
 Regem ex-
 communi-
 catione iu-
 dicium.*

*Papa excommunicationem aduersus Regem
 nullam esse.*

CAPVT. XV.

SI, quæ modò à me de Paparum fulmini-
 bus, &

bus & excommunicationibus generatim dicta sunt, non satis esse ad eorum, qui Regem verò excommunicatum esse putant, sustinenda iudicia videntur: proponam hinc argumēta quibus omni iure certum erit excommunicationem illam Sixti aduersus Regem, vanam profus & irritam esse. Cùm autem hoc argumentum à multis aliis pro varia & multiplici, quæ præditi sunt, & historiarum & Legum, & Patrum denique ipsorum cognitione, tractatè copiosè fuerit clarissimeq; tū ex historiis, tum ex Paparum decretis ab iisdem demonstratam istam excommunicationem nullam planè esse, eò breuior ero, nec vltra excommunicationis formā, vti à Deo in scriptura sacra præscripta fuit, progrediar. ex ea enim tantum hic infirmorum conscientias confirmare decreuimus. Ac primùm lectorem monitum velim mihi, quum de Papæ excommunicatione loquor, propositum nō esse aduersus veram excommunicationem, quum verus illus vultus habetur, quidquam dicere. Nam Deus eam ipse constituit. & quemadmodum illius vultus sub lege semper extiterat: ita Christus eum mandato nominatim cauto & sancito ad Ecclesiam Christianam transtulit. Ciuitates eundem & imperia suas leges habēt, instituta, mores & iura, quibus sceleratos vel supplicio, vel exilio multent: qui, si impunè tolerarentur, societati humanæ suæ cōsuetudine multum nocerēt. Ecclesia verò hanc vnā rationem, hoc vnū remedium habet, Excommunicationem, hoc hæc etiam multo magis. ille enim corpus tantum attingunt, hæc animas & conscientias spectat

*Excommu-
nicatio so-
lum Eccle-
siæ reme-
dium.*

spectat. Neq; hoc parui refert vt quis ob peccata sua ab Ecclesie communionē segregetur, si modò cōsideremus nostrum omne bonum in eo versari, vt in eius communionē simus. Excommunicatio igitur in sua illa summatq; auctoritate manet, si fiat vt Deus præcipit, qui hanc sententiam tanquam sigillum quoddam ad eam ipse apposuit: nempe, id quod homines in terra secundum & per eius verbum facient, in cœlo seratum habiturum. At si res est tantopere metuenda, eò prudentius & circumspectius in illius vsu nos gerere debemus. *Quam cir-
cunsp. et
adhibetur*

Primùm, vt ne ad extremam hanc poenam irrogandam temerè accedamus: deinde vt eum ordinem, formulasq; agendi omnes seruemus, quas & Deus in ea præscripsit, & Apostoli ipsi obseruarunt. Qui res humanas regunt, atque leges iudiciaq; administrant, in rebus ciuilibus nollent è vulgatis formulis vllam omninò prætermittere, ne quam facerent iniuriam, si præcipiti quadam iudicij celeritate in iudicando vterentur. In causis autem capitalibus, vbi vel dignitas, vel salus aguntur, omnes iudiciorum formulas longè accuratius obseruant, quia, si aliquid earum prætermitteretur, id, quamuis exiguum, ad labefactandum subuertendumq; omnino iudicium satis esse putaretur. At hæ formulæ, vbi de animarum salute agi videmus, multò diligentius obseruari debent. Quòd si in ea re quidquam aliter, quàm Deus constituerit, fiat, pro nihilo certè habendum, quicquid enim momenti excommunicatio habet, ex vna Dei vnitis auctoritate, quæ in ea intercedit, manat. Deus autem nihil sua auctoritate

comprobat, quod ipſius verbo non nitatur. Hinc fit, vt illud ſemper pro certo in Eccleſia habitum ſit, Excommunicationes aliter factas quàm Deus præſcripſerit, non eſſe pertinentes, quâ tumuis homines diris illis & horrendis excommunicandi formulis vtantur. Iniqua verò Iudicis iniqui ſententia metuenda ſemper eſt. Nam erit aliquando eius generis, vt ab ea prouocari non poſſit, & innocenti etiam vite periculum inferatur. At excommunicationis nõ eſt eadem ratio. Etenim ſententiæ effectus à Deo pendet, qui non eſt neque effectum peruerſorum, nec iudiciorum (in quibus homines vel ignorantia, vel præcipiti ſententia, vel alio quocunq; modo aberrarunt) adminiſter. Quum Deus in cælo ligat, id ipſum eſt quod ipſius verbo in terra iam ligatum fuerit. Itaque ſi verbum illius innocentes non ligat, (quod nunquam facit) ligent eos quantumlibet & excommunicent, illorum apud Deum conditio nihilo deterior futura eſt.

Iniqua excommunicationis nihil facienda.

Collegium ſacerdotum & ſeniorum eorum illum natum excommunicauit, ex ea quidem poteſtate, quam illi obtendebant, tanquam Eccleſiæ antiſtites. Chriſtus verò ſecuro eum eſſe animo iuſſit, & ab illis effectum ad ſe recepit. ea enim excommunicationis iniqua erat. Apoſtoli ita etiam ſynagoga per ſummam iniuriam & ignominiam mouebantur, ſed id ſibi maximæ laudi ducebant. Atque ab eo tempore nullius momenti putaricæperunt excommunicationes, quum aliter uſurpatæ ſunt, quàm Deus eas conſtituerit. Quinetiam Papatum Canones id nominatum

nam exprimunt, in quibus præclara illa D. Augustini verba inserta reperiuntur: *Temerarium iudicium nihil ei nocere contra quem factum fuerit, sed illi potius qui illud adeo temerè fecerit. Homines suis temerariis sententiis non posse eum de libro vitæ expungere, qui de eo malâ suâ conscientia non sit expunctus. Eum, qui anathemate fuerit iniquè multatus, nihil metuendum habere, cum Deus sit qui liget, quiq; neminem vnquam iniuste ligabit.* Hæc sunt grauissima pij illius viri verba, quæ in Paparum Canonibus videre licet, cum aliis eiusmodi quæ nobis totidem sunt aduersus iniquas ipsorum excommunicationes remedia.

Quamobrem sententia excommunicationis à Papa contra legem lata secundùm Canones ipsos nulla est, nisi Excommunicatio iuste facta fuerit. Non potest autem iuste facta dici, nisi ita omnino fiat, vt Deus rectum illius verbum præscripsit. Audiamus igitur quid Deus de ea constituerit, videamusq; an Sixti Papæ excommunicatio ad hunc modum iusta videari possit.

Verus rectusq; Excommunicationis, vt sacra scriptura nos docet, vsus in hoc extat. Primum, vt ij quibus hanc Deus potestatem dedit, excommunicent. Deinde vt excommunicationis causæ idoneæ sint. Tertio ne eò vsque veniatur, nisi aliis omnibus legitimis rationibus prius seruatis atq; adhibitis. Quarto vt excommunicatio fiat ex Dei ipsius auctoritate, vt i eam dedit, & suo quidem verbo. Postremo vt eius, qui peccauit, salutis, & Ecclesiæ vtilitati consulatur. Hæc sunt partes

*An Sixti
Papa Ex-
communicati-
o iusta
sit.*

Excommunicationis essentielles & legitime agendi viæ: sine quibus excommunicatio ne iusta nec rectè facta dici potest, etiam si harum vel una defuerit. Tollas enim aut iustas illas causas: aut eorum, qui eam tractant & adhibent, competentiam legitimamque munus aut admonitionum gradus, qui ultimam ab Ecclesia abdicationem antecedunt: aut partium aliarum aliquam, non iam ea est, quam Deus instituit habenda excommunicatio. si vero talis non est, inanis planè est: cum Deus eam tantum, quam ipse præcepit & sanxit, in cœlesti ratam se habiturum promiserit: Ergo Papat Sixti Excommunicationem ad ea omnia expendamus & examinemus.

NULLITAS.

1.

Excommunicandi potestas per nos Pastores esse.

1. Cor. 5.

2. Cor. 2.

Illi excommunicandi potestatem habent quibus Deus gregis curationem administrationemque commisit, quibusque diligenter est inspicendum ne quis corrumpatur, ne membris alicuius corrupti contagione ceteri aliquid detrimenti capiant: neve Ecclesia hoc dedecore & ignominia notetur, ut flagitiorum nutritrix, flagitiosorumque receptrix habeatur. eius rei cura Pastorum est, ac seniorum præcipue. Sed quoniam totius Ecclesie magnopere refert, si membrum aliquod ab ea euellatur: idque omnino ex Dei verbo, quod Deus toti Ecclesie committit, fieri debet: excommunicandi munus eatenus est eorum qui Ecclesie præfecti sunt, ut, nisi grege toto conscio, ac consentiente, nihil aggredi debeant. D. Paulus ita faciendum præcipit in incestuosi Corinthij excommunicatione, & postea in eiusdem absolutione. Ne minuatim enim hoc censet ac vult, ut tota Ecclesia ad eam rem conuocetur. Atque hæc potestas

testas seniorum est vnà cum reliqua Ecclesia,
 vbicunque populi cœtus per Euangelium in
 Christi nomine congregatus fuerit: seniorum,
 inquam, qui cœtus illius in sua quisque dice-
 resi curam habent. vult enim Deus ordinem
 vbique seruari, atque vnamquamq; Ecclesiam
 suos habere fines ac terminos, Pastoribusq;e
 certos assignari greges, in quos eorum quisq;
 animaduertat. Hæc igitur potestas non est nec
 infinita, nec confusa, nec inordinata, vt Pa-
 storibus liceat ex iis locis, vbi degunt, excom-
 municationis iure vti in eos, qui alterius &
 longè à se disliti gregis fuerint. In humanis
 imperiis Magistratum iurisdictionis suis est cir-
 cumscripta limitibus, quos transilire non li-
 ceat: alioqui summa rerum perturbatio &
 confusio inde nasceretur. In Ecclesia verò
 Christiana non minor est ordo constitutus.
 Quare quum Christus certam disciplinam (cu-
 ius pars vna est excommunicatio) in Ecclesia
 præscribit, eam in vnoquoque cœtu aut Eccle-
 sia vel quantulacunque obseruandam præscri-
 bit, addens promissum, & eius, quæcunque il-
 lic insit, auctoritatis fundamentum: nempe,
 Vbicunque duo aut tres in eius nomine coacti
 fuerint, illic se in medio illorum esse: innuens
 eum se cœtum pro Ecclesia habiturum, ad cõ-
 firmadum in cœlo, quod in eo fiet, quum quid
 ex ipsius verbo vel ligabitur vel soluetur. D.
 Paulus hoc ita vsurpat. Philippis enim tunc e-
 rat, quum primam ad Corinthios Epistolam
 scripsit. illic autem nuntium audiuerat de in-
 cestuoso illo Corinthio, qui ob criminis atro-
 citatem & indignitatem ab Ecclesia quampri-
 mum abdicari cõmeruerat. Nunquid hoc sibi

Matth. 18.

sumsit, vt cum Philippenſium Eccleſia eum
 excōmunicaret, qui ex Corinthiorū Eccleſiā
 erat? Minimè verdè, etiāſi Apoſtolus eſſet, &
 reliquos totius orbis Episcopos dignitate &
 auctoritate longè antecelleret. ordinem igitur
 ſeruat, remq; totā ad Corinthiorū Eccleſiam
 in qua ille, qui in ceſto ſlagitio & ſtupro ſe pol-
 luerat, verſabatur, cōficiendam remittit. Atq;
 eodem etiā modo in miſeri illius reſtitutione
 ſe geſſit, quū acerbo animi ſenſu ac dolore
 ſuum ſlagitiū Dei beneficio affectus, reſipui-
 ſet. Vbinam enim iuſtius agi aduerſus aliquem
 poteſt, quàm vbi crimē cōmiſſum eſt? vbi cri-
 minis auctor degit? vbi illius noti ac familiari-
 degunt? vbi ſunt qui eū ad officium adhorten-
 tur, & de eius cōtumacia iudicent? ſi hoc igitur
 vſuuenit, vt is, qui nō eſt loci cuiuſdā Paſtor, de
 eo, in quē nihil habeat iuris, quiq; ex ſuo grege
 nō ſit, ſententiā ferat: aut Eccleſia de eo qui ex
 ſuis mēbris nō ſit, iudicet, vt ab Eccleſiæ nume-
 ro ſecludatur, id ſit cōtra ordinē: nec id factum
 aliter nominari poteſt, quàm alieni iuris vſur-
 patio, & vt dicūt, incōpetentia. Equidē ea Ec-
 cleſiarū debet eſſe inter ſe coniunctio & ſocie-
 tas, vt ſiquid vna peccauerit, ab altera candidè
 admoneatur: & ſi vnus admonitio nihil pro-
 fuerit, ei rei in celebriori concilij conuentu
 prouideatur: nō eò tamen, vt altera in alteram
 vllum ius vſurpare debeat. Hic autē ordo in-
 uiolatè conſeruatus fuit in primis Eccleſiā ſin-
 culis, & tantisper etiā, dum ambitio Papas eò
 vſq; perpulit, vt auctoritatē iuſq; ſummam in
 omnes & omnia ſibi arrogarēt: vnde tantā cō-
 fuſionē in Eccleſiam inuexerūt. Videamus
 autē, an hic ordo in Regis excommunicatione
 obſeruatus fuerit. Qui ea vſus eſt, Papa eſt, Ec-

An Papa
 excommu-
 nicandi po-

eleſiæ Romanæ Episcopuſ: In ſuorum, vt ait *reſtatem*
 Cardinalium, hoc eſt per paucorū hominum *habeat, &*
 conſiſtorio. fabricata Romæ fuit, cū interim *cur.*
 Rex, de quo agebatur, in Gallia eſſet. Hic mul-
 ta in Papā animaduertēda ſunt, ex quibus ma-
 niſeſta omnib. fiat illegitima iuriſdictio, & ini-
 qua eiua auctoritatis, quā nullo iure obtinet,
 uſurpatione. Ac primū ſi docere velim, eū nec *Primaria*
 Episcopū nec Paſtorē eſſe, ideoq; nihil aucto- *110.*
 ritatiſ in Eccleſiā habere, nō erit hoc mihi dif-
 ficile. proponēda .n. mihi tantū modo erūt ex
 ſacra ſcriptura legitimę Paſtorū vocationiſ re-
 gula, & illud etiam, quod de ea ex Canonib. ſ
 ipſiſ decretū eſt. Poſtquā verō cū ea, quę hodie
 obſeruatur, eligēdi Papę forma collatū id fue-
 rit: non magis, dieſ & nox inter ſe pugnant,
 quā vocatione rectē cōſtituta, Sixti apertā Hi-
 ſpani Regiſ cōtentione & opib. ad Pontifica-
 tū euecti vocationiſ contraria erit. Rogabo de-
 inde quā obrē hac ſit dignitate ornatus: quæ
 ſit illiſ muneris functio: quid Apoſtorū &
 primorū Romanæ Eccleſiæ Episcoporū in ſuo
 grege per Euāgelij prædicationē inſtituēdo ac
 regēdo, fidei & diligētix ſimile habeat. Nā etſi
 vocatione illiſ centies legitima eſſet, ſi tamē iſ,
 quorū gratia Deus Episcopos & Paſtores in Ec-
 cleſia cōſtituit, ſinib. cōtrariſ ſineſ propoſi-
 toſ habeat: ſi propria & ex verbo diuino hauſta
 inſtitutione, quā ad paſcendū gregē, ad repre-
 hēdendū, erigendū, conſolandū, ſemper, cū
 opus eſt, in ore habere debet: ſi cū ſubmiſſio-
 niſ, modeſtiæ, rerum humanarū cōtentioniſ,
 caritatiſ, paciſ & Dei metuiſ exempla in populo
 ſuo proponere ſe ad imitandū debeat: cōtrā in
 ſuperbo ſolio eminet, in q; hominum humeriſ

sublatus, purpura indutus, gemmis, auro & argen-
 to fulgens, gladium & excommunicatio-
 num fulmina gestans, triplici diademate in-
 gnitus, in prouincias atq; ad eò in vniuersum
 terrarũ orbem dominationẽ vsurpans, impe-
 ria & principatus pro animi libidine modò re-
 tinẽs, modò transferẽs; Principibus ac Monar-
 chis summis formidabilis, totũ orbem suis pe-
 dibus subiiciẽs, & potentissimos quosq; ad sua
 genua prostratos habẽs, qui eũ velut quendam
 Deũ adorent, & abiectissimo quidẽ vilissimòq;
 adorationis genere, crepidam illius osculan-
 tes: si, in quã totum illius munus in his rebus
 quæ cum legitimorum Dei Ecclesiæ Pastorum
 institutis atq; officiis apertissimè pugnant, om-
 nino consistit; num debemus eum, Episcopi
 & Ecclesiæ Pastoris loco habere? Ex his ergo
 possem meritò contendere, Papam non esse E-
 piscopum, idq; de omni auctoritate Eccle-
 siastica decidisse. Possem de ipsius Cardina-
 libus, quorum cõsilijs & sententijs fretus, Prin-
 cipes rei scilicet capitalis reos facit, idem quo-
 que dicere: atq; eorum vocationes, munera,
 totamq; vitæ rationem memorare, & an Chri-
 stiana Ecclesia boni aliquid ex eo purpuratorũ
 grege expectare possit, cogitandũ diiudican-
 dumq; proponere, sed hæc pluribus tractare
 nõ est animus, vt nihil etiã disceptare híc opus
 est, an excõmunicatio in cõsistorio Pontificio
 à paucis hominibus sine totius Ecclesiæ & sen-
 su & consensu decreta legitima sit, superiori-
 busq; regulis cõsentanea. Vt rem igitur totam
 in pauca conferamus, hoc iam vnicum videam
 mus: Nunquid iudex qui recusatus sit, aut, vt
 non fuerit, si tamen præter suã iurisdictionem
 aliquid

aliquid suscipiat, sententiam, quæ sit alicuius ponderis, & quam infirmare non liceat, ferre possit. Papa, quod neminem fugit, multò *Alteratio.* maximam Christiani nominis gentium partem aduersariam habet, quæ cum grauissimis instructa argumentis reiicit, quæ illum in ius vocat, & ad reddendam suarum actionum rationem in concilium arcessit. Rex in eo numero est. Iam quæritur, An, dum adhuc sub iudice lis est, neq̄ dum vlla rerum obiectarum facta purgatio, legibus hoc sit ac iudiciis consentaneum, vt Papa iure possit condemnare, & sua sententia multare, non leui quidem pœna, vt pecunia, aut etiam capite, sed fortunis omnibus & Ecclesiæ communionem, ideoque vita æterna: nec plebeium quemlibet, sed Monarcham summū. Adhæc, An qui in iudicium ipse vocatus est, possit etiam in aduersarium sententiam ferre. Id certè & legibus, & institutis, & constitutionibus, & moribus, iudiciisq̄ omnibus, quæ vnquam antea fuerint, repugnat. ipsi etiam Paparum canones præcipiunt, vt is qui in aliorū delicta inquirat, prius quàm vllum condemnet & excommunicet, ab eo quod ipsi obiicitur purus sit & vacuus. Sed enim quanquam Papa à nemine accusaretur, & omnium ferè hominum querelis non tangeretur, nec esset reus: aduersus Regem tamen idoneus esse iudex non posset. Etenim ordinem in Ecclesia constitutum, & vnicuique Pastori suum gregem, in quem munere suo fungatur, assignatum esse docuimus. Papa gregem suum Romæ habet: ex eo autem grege Rex nō est. Eos igitur curet, erudiat & reprimat, quos sua hæc creditos habet: alios verò Pastorum

suorū fidei & curationi relinquat. si quos autem aliquam in re suam deserere munus, nec suas partes probè sustinere arbitratur, eos amice moneat. Sed quo nomine Romam relinquat, ubi satis est quod agat, si quod est sui officii agere velit: iurisdictionē in homines tam procul à suis limitibus disritos, quosq; nec hæcenus vidit, nec, vt credibile est, vnquam videbit, vsurpaturus? Vbinam est exemplum in Corinthiū illius facti? ubi hoc disciplinæ axioma in veteri Ecclesia tanta cura obseruatum, quofancitum erat, vt vnusquisque intra provincie fines, & ubi crimen admissum fuisset, iudicaretur?

Hic verò Papa bullæ suæ initio summam se potestatem & auctoritatem vbique terrarum habere profert. At Christiani populi tantæ huic auctoritati penè omnes intercedunt. Et quamquam hæc vna tot populorum intercessio solummodò accederet: satis tñ idonea causa est ad tantam illius potētiam frenandam, & illius auctoritatis, de qua iusta cōtrouersia est, vsu cohibendum, donec res tota in legitimo concilio disceptata decisatq; fuerit. Et ea sanè iuris ratio & forma, in rebus etiam minimis vbique seruatur: quum verò pro vnico, & vt putatur, firmissimo suæ in Regem excommunicacionis fundamento hanc vnā summam in omnes orbis regiones, in ipsos etiam Imperatores, & Monarchas potestatem profert: sponte quidem sua idoneam illegitimæ auctoritatis, & vt vulgò dicunt, nullitatis causam affert. Hoc enim est meræ tyrannidis vsurpationem proferre, quam scriptura sacra, quam ratio, quam tota etiam vetus Ecclesia nunquam illi

concedet. Rem paucis omnino complectar, quippe quam iam antea nonnihil attigerim. Quum in concione legitima ea dere disputabitur: ille profectò validis, & ad causam stabilendam necessariis firmamentis deficietur.

Quæretur enim ab eo, ut in medium proponat sacrae scripturae locos, quibus probari possit summam istam auctoritatem vlli mortalium vnquam attributam fuisse. quæretur item, annon tanta potetia & auctoritas ea ipsa sit, quam Pater cœlestis in Christum Filium suum, ceteris aliis omnibus ab ea exclusis, totam contulerit, quando in gloriam & sublimitatem eum euexit. Respondendū illi erit annon sit Episcopus, & Christi Ecclesiae Pastor: tum singulatim illi proponetur, quicquid de Episcoporum dignitate ac potestate vsquā extat, vnde sciri colligiq; possit, quo nomine hanc sibi vbiq; dominandi vim iusq; sumat. Si respondet se Episcopum quidem esse, sed loco & ordine ceteris superiorem: petetur ab eo ut è sacra scriptura locum aliquem depromat, per quē hæc tanta potestas vlli vnquam data fuerit: Et, vtrum sit aliquod constituendū discrimen inter eos, quos Deus tum nomine tum munere & officio sub vno summo Pastore Christo pares esse voluerit. Rogabitur præterea num primorum Romanæ Ecclesie Episcoporum potestas ac dignitas tanta fuerit: quod nunquā certè probabit, cum tota illius æui historia ei rei aduersetur. Atque memorabilis illa cuiusdam, de quæ iam

comeminimus, antecessorum suorum sententia, non sine ipsius dedecore & probro illi proponetur, qua ille nominatur Antichristus, quisquis Episcopi vniuersi nomen sibi arrogauerit. Gregor. I. lib. 7. epist. 194. ad Mauric.

Quòd

Quòd si D. Petrum proferat, contendatq; eum
 locum in Ecclesia tenuisse, quem postea suc-
 cessoribus suis Romanis Episcopis tradiderit:
 id omne in controuersiam disceptationemq;
 veniet. Et quidem contra hanc, quæ de Petri
 inter reliquos Apostolos principatu fertur, o-
 pinionem, definitio primùm nominis Apосто-
 li opponetur, quod illis duodecim commune
 est, quodq; omnes & eodem loco numeroque
 habet, & in pari munere atque potestate con-
 stituit. Hinc proponetur quid Diuus Petrus
 tota vita egerit: qualem se in suo munere fun-
 gendo præstiterit, quos sibi ipse titulos attri-
 buerit, quos etiam reliqui pii viri Deiquè ser-
 uii illi attribuerint: quomodo Diuus Paulus se
 cum illo, sua ad Galatas epistola contulerit, vt
 probaret se nihilo inferiore illo fuisse. Quan-
 uis autem D. Petrus summa illa, quam ipsi de-
 ferunt, auctoritate præditus fuisset, quod o-
 mnino falsum est: nondum tamen, quod vo-
 lunt, effecerint. Nam hinc necessariò non con-
 sequeretur, vt dignitas illa, successionis ratio-
 ne & iure ad posteros transferretur, nisi hoc in
 sacra scriptura nominatim expressum esse præ-
 baretur: quod probabitur nunquam. & vt
 hoc inter omnes conueniret: de successore ta-
 men noua esset controuersia. Apostolus enim
 non poterat successorem habere pari conditi-
 one & iure, nisi etiam Apostolus ipse esset. ac
 Apostoli certo numero comprehensi fuerunt:
 nec ea dignitas amplius est in Ecclesia. Quòd si
 Apostoli nomē ad aliquem etiam successorem
 vnà cum summo hoc imperio perueniret: sci-
 endum esset, ad quem potissimùm. Nam si
 Romano Episcopo id deberi contendant, eò
 quòd

quod D. Petrus Romæ fuisse, & illic per XXV annos sedem tenuisse dicatur: ei verò rei historia, Apostoli munus, & D. Pauli qui Romæ diu captiuus fuit scripta repugnabunt. Adhæc Episcopi Hierosolymitani & Antiocheni in ea re sibi tantundem esse iuris asserent, quod in iis locis D. Petrus sine vlla omnino dubitatione confederit. Denique dubia, controuersa, incerta erunt omnia præter hoc vnum: si Pape Romani, qualis hodie cernitur, statum cum D. Petri Apostoli statu comparemus, non maiorem futuram rerum similiū succedendi rationem, quam cum tenebræ luci succedunt. Quod autè pluribus aduersus Papam ab ipsius aduersariis agitatur, id ego paucis perstringo. quantulum tamen cunq; erit, satis esse potest ad ostendendum, quum Papa auctoritatem & imperium summum in omnes & omnia pro fundamento ad excommunicandum Regem hic sibi sumit: fundamentum illud non solum incertum infirmumq; esse, sed prorsus etiam nullum.

Hoc præterea considerandum: eam esse auctoritatem, de qua Papa olim in Ecclesia magnas turbas fecit, sed de qua fuit depulsus. Concilio Niceno Concilio circūscriptis
Papa suis limitibus à Niceno Concilio circūscriptis
 odoratum est, præuiditque quid istam iurisdictionem summam tanto studio affectatam consequuturum esset. Itaque ei malo diligentissime præscribens non singulis tantum Episcopis, sed Metropolitanis etiam ipsis & Patriarchis suos fines per dioceses, quas quidem dignitates tempora in Ecclesiam post Apostolorum ætatem certis de causis inuexerant, vt per multarum Ecclesiarum, quæ in diuersis Chri-

Christianæ ditionis locis erant, tranquillitati & commodis seruiretur. Tunc Episcopis Romanis certi limites præscripti fuere: sed eos postea longius latiusque proferre voluerunt, conatiq; sunt Africam etiam sibi adiungere, efficeretq; vt ab ea ad sese prouocaretur. verum Episcopi Africani (inter quos D. Augustinus erat) eiusmodi cupiditati se opposuerunt. Ac eò vsque progressa contentio fuit, vt Episcopi Romani in eo quod ex Concilio Niceno citabant, falsi damnati, palàm in Concilio ipso reiecti, petitione sua submoti, & intra suos fines conclusi fuerint. Græci in suis etiam miserimis, quibus afflictii iacebant, temporibus idem tamen hucusque præstiterunt: quantamcunq; operam Papæ ad hoc adhibuerint, vt eos suæ ditioni dominationiq; subiicerent. Ex quibus satis constat de eiusmodi auctoritate semper certatum cum Papa fuisse. in Europa maximè, & quidem sapissimè à Germanis Episcopis, quum de Imperatorum causa agebatur ita vt, quam hodie dominationem tenêt, aliorum facilitate, & ignaua dissimulatione tantum, nullo autem iure teneant: id quod sapè contra alios, vbi Ecclesiarum dignitas & salus Deiq; gloria aguntur, præscribere non potest. Gallia nostra constantius hîc atque generosius se gessit. Etsi enim Episcopis Romanis plurimum semper honoris & auctoritatis derulerit: noluit tamen vnquã pati, vt de regni nostri rationibus cognoscerêt, statuerêt, iudicaret: ac præcipuè vbi de Principum statu ageretur, (vt iam sæpius dictum est) ac ne de puinciis quidè huic regno subiectis, vt in Gandauenfium contra Maximilianum Comitem suum causa, an-

no Christi 1488 & semper solenne hoc fuit & vstratum, ac privilegium communi consensu in hoc regno receptum, vt à Paparum sententiis tãquam iniquè & illegitimè latis ad supremam curiam prouocaretur.

Concludamus igitur ex eo ordine quem Deus in Ecclesiarum moderatione constituit, Papæ nullum alium quàm suum vnum gregem inspiciendum curandumquè esse, ideoquè Regem damnare & excommunicare nullo iure licuisse. Et hæc prima illegitimæ iurisdictionis species seu nullitas esto. In historiis quidem Christianis celebratur illa Theodosii Imperatoris excommunicatio, at ab Episcopo Romano decreta non fuit, neque enim Imperator de illius grege erat, sed quum Mediolani, vbi D. Ambrosius Episcopatu fungebatur, ægeret, id factum à D. Ambrosio est, quemadmodum ipsius muneris ratio postulabat, ita vt Episcopi Romani auctoritas, nullo modo ad id intercesserit, quod exemplo esse debet, vnicuique Episcopo Ecclesiasticam disciplinam in suum tantum gregem, & maxime vbi de Principibus agitur, exercendam esse.

Alterum excommunicationis caput hoc est, vt ne ad tantam seueritatem veniamus, nisi causa aliqua subfit grauissima, & hoc excommunicationis iudicio digna. Sunt enim quædam delicta, quæ tantam acerbitatem non merentur, sed cum lenitate corrigenda sunt. Et in grauioribus èt peccatis diligenter videndum, ne hac pena temerè vtamur, veluti quum nihil quàm aliis remedijs, pmouetur, hac in re medicorù prudentiam imitati, q ad secanda mēbra nec ferrù nec ignem adhibere solent, nisi cum aliter

Papæ nullitatem fuisse potestatem excommunicandi Regem.

NULLITAS
2.
Excommunicationis causæ admodum esse,

1. Cor. 5.

aliter ea curari non possunt. Sed causæ inprimis certæ esse debent & clarissimæ, vt discedat illius incestuosi iudicio. Neq; enim prius eum excommunicandum censeret, quam de factis planissimè inter omnes constiterit. *Omnino* inquit, *auditur esse inter vos scortatio, &c.* significat enim crimen manifestè compertum, & reum extra omnem excusationem esse. Canones quoque illud confirmant, declarantq; nullam iure ipso excommunicationem esse cuius causa iusta non fuerit, & firmissimis argumentis comprobata. At in excommunicatione Papæ aduersus Regem facta neutrum horum est. Ille quidem in sua Bulla graues causas adducit, hæresim, arma contra Regem summi bellum cum Catholicis gestum. At hæ fuerunt illius aduersariorum & Pelleuæi Cardinalis eorum procuratoris accusationes, super quibus amplius deliberandum erat, & in earum probatione diligentius insistendum, antequam certi quid statueretur, & grauius quicquam ad Regem decerneretur. Hæreseos disquisitio & cognitio in ipso Concilio fieri debebat, quod tot Reges & populi cum nostro Rege spectant & appellant. nullaq; omnino ratio videbatur cur id pro explorato iudicatoque haberetur quod etiamnum, & quidem aduersus Papam ipsum, in cōtrouersiam & disceptationem vocatur. Cætera verò crimina, quæ Regi obiiciuntur, falsa etiam esse verissimis argumentis probatum fuisset, si modò Papa de iis accuratam quæstionem habere voluisset. Nihil necesse habeo contra eiusmodi cōtumelias, Regis defensionem repetere, cum de iis antea permulta iam

iam differuerim. Quæ nunc in animos & oculos incurrunt, contrarium abundè clarissime quæ probant, cum Rex vnà cum suis demortuo Regi præsentem opè subsidiumq; ferè omnium primus tulerit: cum etiam tot testimonijs & exemplis suū erga Catholicos rectumque sincerumque studium ac fidem comprobaret. Ea igitur excommunicatio meris tantam aduersariorum calumnijs, nec vlla omnino ratione nititur: aut si vlla causa, ea certè ad Concilium reicienda est, in quo verè disputari decidique debeat: quæ etiam non Regis vnus propria est, sed illi cum omnibus fere Christianis populis & imperijs communis, ideoq; omni iure, atq; adeo ipsi Papparum canonibus ac decretis nulla.

In Excommunicatione, vt apud Deum iusta sit & vim suam habeat, requiruntur tertio loco via rationesque legitimæ, quibus eum qui peccauit, ad rectam viam reducere, & omnem illi conquerendi occasionem adimere tentemus: breuiter, vt in rem seria & graui nihil temerè & inconsideratè fiat. Canones id etiam postulant, & nullam esse eam excommunicationem censent, quæ aliter facta fuerit. Quin & citant post complures Doctores antiquos, quod est tertio capite Genes. Deum videlicet non prius aduersus primos nostros parentes tulisse sententiam, quam eos primùm appellasset, & reos coarguisset. Hic iudiciorum ordo inter gentes etiam immanitate barbaras seruetur, vt reus in ius vocetur & audiatur. Si aliter vnquam factum fuit, factum id fuit à Paganis præcipiti aduersus Christianos in primis Ecclesiæ temporibus,

L

furorè

NULLITAS

30

In excommunicatione legitime procedunt.
Cano. Nemo 21 q. 11.

furore abreptis: cum eos armis funestis impeterent, & seditionibus popularibus, causam inimicè cognitam & exploratam, nec ullis iudiciorum formulis adhibitis saevissimè trucidarent. Sed crudelitas ea fuit immanissima, quam nos omnes condemnamus. Christus disciplinam Ecclesiasticam & ipsammet excommunicationem constituens, hos gradus nominatim præscribit ac præcipit. *Si frater tuus, inquit, in te peccaverit, ito & arguito eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si verò te non audierit, accipe tecum unum aut duos, ut in ore duorum aut trium testimonium stabile sit omni verbo. Quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesie. quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam Ethnicus atque publicanus.* Hic ille ordo est. At Papa in Rege excommunicando nihil horum fecit. Quando enim Rex in iudicium vocatus est? quando auditus a se ipso inquiet. Nimirum pro legitimis accusationibus & rationibus, eam esse iustam sententiam censuit, quam ipse, qui est accusatus, reus in sua propria causa contra tot intercessionem pronunciauit. Hoc ne iure ac legitime factum censeatur? Sed enim etiam hoc inter omnes conveniret, eos, qui Imperatorum imperiis non parent, rectè iudicari hæreticos: nonne sciri hoc nominatim debuit, quæ esset hinc Regis mens, quis animus? nonne admonitionibus in aliam sententiam ducti, & Romanæ Ecclesiæ reconciliari debuerunt, quod tandem exemplum proferet, ex quo constet, id unquam aduersus pertinacissimos quosque hæreticos factum fuisse? An

non Arrius auditus fuit? annon solennes pro
aliis synodi habitæ sunt? Papa igitur solis
aduersariorum accusationibus fretus sine vl-
lo iudicio legitimo Regem excommunicauit.
Hoc verò nihil est aliud, quàm leges
iuraquæ omnia transgredi: immò verò Ca-
nones ipsos ac decreta sua, à quibus in ea iudi-
ciforma damnatur,

NULLITAS

Quartum caput, & ex quo cætera quæ
ad excommunicationem pertinent, regen-
da sunt, hoc requirit, vt Excommunicatio
ex Dei verbo fiat, Ecclesiâ eodem loci con-
gregatâ, vt res rota cum potestate Domini
nostri Iesu Christi peragatur. Hæc sunt D.
Pauli verba, eaquæ grauissima & maximi o-
mnino ponderis. Ex his enim significatur,
vt in cæteris rebus omnibus, sic in excom-
municatione omnem Ecclesiæ auctoritatem
ad Christum vnum referendam. alios au-
tem illius tantum ministros esse: atque Ec-
clesiam capiti suo obsequentem id tantum
exequi, quod Christus verbo suo præcepe-
rit. Si de peccati genere & grauitate cogno-
scendum: Christus ipse consulendus & au-
diendus est. si peccator admonitionibus vr-
sus thronum adducatur, & illius verbum i-
psi proponatur. si ad excommunicationem
necessario veniendum: Christi verbum &
auctoritas intercedant oportet. Quum ho-
mines priuatam in eo causam agunt & cu-
rant: quum propriis affectibus mouentur,
aut purant aliquam ex sese potestatem ha-
bere, falluntur: eiusmodi excommunicatio-

Excommu-
nicatio ex
Dei verbo
fiat.
1. Cor. 5.

Papa exco-
municatio
ex Dei Ver-
bo facta
non est.

nes Deus sententia & auctoritate sua nunquam comprobabit. Atque hoc etiam excommunicationem Papæ nullam planè esse ostendit. Neque enim Dei verbum veluti normam ducemque hoc in facto adhibuit, cum aduersus ea, quæ à Dei verbo de legitima excommunicatione præscripta sunt, tam multa ad-miserit. falsum etiam est, quicquam in eare ex Christi Domini nostri auctoritate factum ab eo fuisse, sed ex sua tantùm illa potestate, qua vna fretus Deo minimè assentiente, auctet vniuerso terrarum orbi imperare, Reges vel deprimere, vel erigere, eosque & eorum scilicet posteros ad inferos, si libitum ita fuerit, detrudere. Non est ea Christi auctoritas, qualem Pastoribus & Ecclesiæ suæ dedit: sed manifesta potiùs summæ auctoritatis, qua Pater cælestis illum in cælo terraque cumulat, vsurpatio. Ad hæc certum est, Ecclesiæ am, vt D. Paulus disertè præcipit, minimè tunc congregatam fuisse. Ecclesiæ enim, cuius Rex membrum est, in Gallia erat. In quo verè perspicitur, & Papam & Cardinales in suo illo Consistorio in Christi nomine coactos fuisse, cum ex bullis suis, eas quas nobiscum gerunt, inimicitias, & animi sui aliundè contra Principes nostros exacerbati morbum tam apertè prodant: vt postea aduersus defunctum Regem furere visi sunt. Rei sunt, & ob plerunque Christiani nominis gentium secessionem à suis partibus factam, ad extremam penè rerum suarum desperationem adducti. Concilii iudicium refugientes, Regi infensi, infestique. & iis etiam omnibus, qui in Ecclesiæ reformationem expetunt. Denique in suis

suis actionibus præ se apertè ferentes sibi hoc
 propositum ac constitutum esse, in tota Eu-
 ropa miscere ac perdere omnia potius, quàm
 pati vt in legitimo hominum conuentu hæc
 controuersia dirimatur. Ii, quorum nomi-
 ne & auctoritate conuocantur, Rex Hispa-
 nus est: Lotharingi sunt, qui eos pacatam &
 quietam Galliam sperare iubent, qui deinde
 ex Gallia in Angliam, & ex Anglia in Germa-
 niam traiecturos se pollicentur, vt eos in aui-
 tam possessionem ac dignitatem iure postli-
 minii restituant: si modò velint se suis fulmi-
 nibus mutuo iuuare, vt in Gallia ipsi vicissim
 in legitimorum Principum locum sufficiantur.
 Hanc potissimum ob causam hæc in con-
 sistorio Pontificio consilia capiuntur: nemo
 non id videt: interceptæ literæ id produnt:
 Deus quoque coram delegatis à Rege demor-
 tuo Romam missis satis magnam eiusce rei
 probationem ex Papæ ipsius conscientia ex-
 tortit. Cùm igitur de Principe Christiano,
 cui alii tam multi tum Reges, tum tota etiam
 Regna subscribant, hic ageretur: non Papæ
 vnus, aut paucorum cum eo Cardinalium,
 sed Concilii causa erat. illic conuentus in Ie-
 su Christi Domini nostri nomine fieri debe-
 bat, in quo tota hæc controuersia eiusdè Chri-
 sti verbo & auctoritate dirimeretur. Id autem
 minimè fecerunt, sed contrà Principem op-
 primere omni ope atque opera contenderunt,
 pro suo in eum odio, & sua illa, summa qui-
 dem, sed à Christo minimè concessa auctori-
 tate: idquæ causa nullo modo nec excussa
 nec cognita. Vnde meritò colligi statuiquæ
 potest, quicquid moliti sunt, rem esse planè
 inanem:

inanem : brutumq; planè fulmen esse, quod quidem terrere tantùm, lædere autem neminem possit.

NULLITAS

5.
Excommu-
nicatio pec-
catis salu-
tem spe-
ctata.

Vt iusta sit & legitima excommunicatio postremum hoc requiritur, vt ad pium salutaremque finem referatur, quo nimirum peccator acerrimè vrgeatur, & per sanam resipiscentiam cum saluti eius consulatur, tum communi totius Ecclesiæ dignitati atque vtilitati seruiatur. Diuus Paulus in Corinthii illius excommunicatione id etiam nominatim commemorat. Deinde secundam ad Corinthios Epistolam scripsit, in qua videre licet peccatorem illum ex ea excommunicatione boni hoc percepisse, & Dei misericordia atque afflatu peccatum admissum agnouisse, ad sequè rediisse, vnde fuerit in integrum restitutus. Pii omnes Doctores de excommunicatione ad hunc modum locuti sunt : ad hunc etiam modum ipsi eam vsurparunt, & præcipuè Diuus Ambrosius erga Theodosium Imperatorem : testificans non aliud se quàm ad eius salutem spectare. Episcopos & Pastores decet patres se erga suos greges gerere, eos amore summo complecti : si qui verò aliquo animi morbo laborent, apud eos non carnicum aut ficariorum, sed medicorum (remedijs scilicet, quæ miseris & peccatum suum deplorantibus peccatoribus accommodata & salutaria esse norunt, adhibitis,) partes agere. Primi Canones hoc disertis verbis exprimunt. & quidem præclara Doctore cuiusdam Canonistæ, vbi de Papa loquitur, in eam rem sententia extat, his verbis

Quæ

Oves D. Petro traditæ sunt, non vt eas maclet, sed
 pascat. In hac autem Sixti Papæ excom-
 municatione res aliter omnino se habet. Bo-
 nifacius Papa VIII. excommunicans Phi-
 lippum Pulchrum Regem, vt supra iam di-
 ctum est, eum, totamquæ eius posterita-
 tem ad quartam vsque generationem est ex-
 ecratus, cruce & reliquiis adhibitis: quod
 nihil aliud erat; quàm eos omnes diabolis
 deuouere. In Sixti excommunicatione si
 eadem verba non sunt, res tamen eadem
 est. Non solùm, quod huic tam violen-
 to & acri excommunicationis pharmaco de-
 bet esse veluti præparatio quædam, vt sit sa-
 lutaris, omissum fuit, videlicet admonitio-
 nes, vt iam dictum est: sed etiam ex bullæ
 verbis nihil aliud elici potest, quàm crude-
 litas & nefaria opprimendi Principis, in de-
 sperationem conuiciendi, nec non eum &
 qui ab eo sunt omnes in imum inferorum
 barathrum sine vlla salutis spe præcipitandi
 consilia. Ecquid autem Lotharingi huiusbul-
 læ procuratores magis metuebant, quàm ne
 Rex hæreseos, de qua ab illis accusatur, eiura-
 tione, Papæ reconciliaretur? Petiuerunt igitur
 Regis non salutem & cõuersionem, sed facul-
 tatum, dignitatũ, vitæ atque salutis perniciem
 atq; exitium. In ea ipsa bulla sunt contumeliæ
 contra Regii sanguinis Principes, aded atroces
 & indignæ vt eę satis idoneę causę viderentur,
 ob quas centum Nogareti conspiratione facta
 Romam contenderent, iniuriam toti Gallia in
 ea re factam vindicaturi. Principes in ea suis
 omnibus facultatibus exuuntur, eorum regna
 & principatus primo occupanti conceduntur:

*Cruentæ
 Papa Sixti
 excommu-
 nicatio.*

ea nihil aliud spirat, & crepat, quàm bonorum proscriptiones, atque ad subditos contra suos Principes concitandos consilia & mandata. Atque hæc dira funestaquæ fulmina aduersus parentes vibrasse minimè contenti, eadem etiam contorquent contra omnem eorum posteritatem, vt eam vno temporis momento totam opprimant, omnibus & facultatibus & honoribus perpetuò priuent, detestabilem etiam & execrabilem omnibus reddant, omnes deniq; ad eam vniuersam funditus perdendam impellant. Hocine est peccatoris saluti consulere? vbi tandem Pastoris studium & cura in oues, vt eas errantes ac dissipatas in suum gregem reducat & congreget? vbi mansuetudo & lenitas in rebus etiam grauissimis & atrocissimis tantoperè commendata? vbi æquitas & misericordia erga liberos? vbi norma quam Apostolus in excommunicatis seruandam dedit, ne eos pro inimicis habeamus, sed tanquam fratres fraternè amemus, perquiramus, admoneamus? nihil planè rectum quæ æquumquæ piūmq; inter Christianos vquam extitit, quod per ista Pontificia fulmina non peruertatur, conuellatur, tollatur.

*Publica
Ecclesia &
vtilitas præ-
cipua in ex-
communicatione cu-
ra esset*

De publica verò Ecclesiæ vtilitate Papa non admodū laborauit: illius tamen in excōmuni- catione cura potissimū & ratio habenda est. Etenim si ex priuatorum quorundam homi- num excōmunicatione detrimenti aliquid ad Ecclesiam redundaturum videretur, relin- quenda ea esset, aut certè in aliud tempus rei- cienda, vt in ea fuit sententia D. Augustinus aduersus immodicam suorum temporum e- brietatem: quam etli maximo suo dolore vi- dere

deret, iudicaretque censura Ecclesiastica esse
 coercendam, quia tamen excommunicationem sine maxima Ecclesiæ tranquillitatis per-
 nicie adhiberi non posse existimabat, censuit
 seuerioribus duntaxat increpationibus, qui-
 bus homines ab eo vicio auocarentur, vt en-
 dum, & id quodammodo (quantum quidem
 ad excommunicationem attinet) tolerandum,
 quod tamen minimè omnium probaret. Hæc
 verò prudentia, & moderatio in causis maxi-
 mè Principum requiritur, perq; necessaria est:
 vt idem Augustinus monet, nam multò etiam
 grauiora ab iis metuenda sunt. Papæ igitur di-
 ligenter considerandum fuit atque providen-
 dum, quid inde mali consequuturum esset, si
 Regij sanguinis Principes genere & succeden-
 di iure coronæ Regiæ proximos, & eum maxi-
 mè qui hodie regnat, ab Ecclesiæ communio-
 ne segregaret: neque id solùm, sed eorum et-
 iam bona, honores & dignitates peteret. Non
 ignorabat grauissimas calamitates ac ruinas
 toties Ecclesiæ Christianæ illatas, quoties ipsius
 maiores ausi fuissent Germaniæ Imperatores
 & alios etiam Principes à Christianorum cœ-
 tu eiicere: cernebat animo Galliam vniuersam
 bellis exitialibus ardere: sciebat istud Excom-
 municationis fulmen ab ipsius regni Gallici
 hostibus requiri ac flagitari, quo veluti oleo &
 sulphure vehementiùs exardesceret. illud et-
 iam satis videbat sceptrum illi, cui debetur, e-
 ripere, bellorum ciuiliu, quibus nullus vn-
 quam nec modus nec finis statui posset, caus-
 sam & materiam fore: & cùm primum Gallia
 eiusmodi fulminibus incenderetur, totum si-
 mul Christianum orbem inflammatum iri, vt

hodie satis superq; id videmus. Papa, inquam, nihil horum omnium ignorare poterat: sed publicam Ecclesiæ Christianæ utilitatem (quæ procellis & tempestatibus obiecturus erat) nihil curat. Odium in Principes, eorumque dignitatem iam pridem susceptum, consilia & commercia, spes & mutæ promissiones, quas cum Hispanis & Lotharingis habebat, multo plus apud eum valent. Omnes autem veros Gallos non ita facturos spero, eiusmodi confessorum effecta iam sentimus. Gallia nostra nunc tota eversa est & concidit. Nunquam Papa nobis persuadere poterit excommunicationem, quæ miseriarum nostrarum sit causa & fomes, tot animarum interitus, & omnium Christianæ Monarchiæ incendiolorum fax, legitimum esse. Et de his quidem, quibus Sixtus excommunicationem vanam & irritam in omnibus suis partibus esse probatum est, habetenus.

Henrici III. excommunicatione à Papa Sixto facta exemplum extare quanti sunt Paparum in Principibus excommunicationis abusus.

CAPVT XVI.

CVM hæc ita, ut modò dictum est, se habeant, proximum hoc est ut excommunicationem qua ille ipse Papa in demortuum Regem Henricum III. postea usus est, nobis subiiciamus. Nã ex eo, cuius omnes testes sumus, rectius iudicare licebit cuius sint generis Paparum excommunicationes, & quo spiritu motus fuerit Sixtus vnà cum suis Cardinalibus

quum Regem, qui hodie regnat, excōmunicauit. Gallia nostra ex his discidiis in misero admodum statu iam erat: regni pars maxima hostium cōsiliis & prauis Ecclesiasticorū artibus cōcitata, à Regis sui fide & obsequio defecerat. Si Papæ hæ sunt partes, hoc propriū est munus, rebus vbique omnibus cōsulere ac providere, vt palàm id profiteretur & iactat: debebat certè pro suo illo munere & officio, regni huius, quod turbulentis istis factionibus ab interitu nō longe aberat, misereri, & Regem, qui tam multa illius nomine præstitisset, & cuius maioribus sacra illa sedes tot beneficiorū acceptorū vinculis obstricta esset, quacunq; poterat opere atq; opera iuuare. si voluisset apud populū suæ sanctitati addic̄tū, itē apud clerum qui ab illius imperiis omnino pendere videri cupit, in hæc pro regno, Regēq; ipso pacificationē, suū studium & auctoritatem interponere, & ad debitam Regi fidem atq; obedientiā præstandā adhortari: illud certè multos ad officiū reuocasset, præcipuè si excōmunicationis cōminationes accessissent eo potissimū tēpore, quū nullus erat in tota Europa Princeps, nisi esset regni & Regis hostis, quin tam inaudita defectionis horrore, & tātis quibus Rex paulo antè tēpore potēs & timēdus, à suo ipso populo affliciebatur, indignitatib. permoueretur. Hoc verò Pa-

*Regem,
quem eri-
gere pote-
rat, Papa
afflixit ac
perdidit.*

affli-

afflictum afflictione noua cumulare? Illum de se optimè meritum Principem miserum ac labascentem pessundare? subditorum defectio- nes auctoritate sua comprobare? amplio- rem & patientiorem ad cædes & vastitates fenestri in tota regione aperire? regni deniq; huius statum velle funditus subuertere?

*Quid Papa
agendum,
si Rex pec-
carat.*

Quòd si Rex demortuus admiserat quippiam, quo Papa offenderetur, peccatum hoc vnus tantùm erat: adhibenda prudentia erga ad eum erigendum, quantum quidem erga Principem fieri poterat, vt nihil inde grauius nasceretur. Verùm neque vlla lex in sacra scriptura, neq; vllum ætate vlla Patrum exemplum inuenietur, quo probari possit, ad emendandis Principis alicuius delicta oportere auctoritate sua furores & seditiones subditorum illius comprobare, factiones in illius imperio accendere, & illud ad exitium atque vastitatem vocare. Si Papa pro caritate Christiana (cuius cæteris omnibus exemplum esse debebat) nihil opis adferre volebat: si hac ipsa caritate ductus vulnera nostra sanare, & aquam, aliaq; ad restinguendum hoc incèdium apta remedia adferre volebat: certè res nostras nobis ipsis curandas & tractandas relinquere debebat. Populus ad se redisset: Rex subditorum animos à se alienatos ad obsequium flexisset: facto iterum trium ordinum conuentu de rebus in meliorem statum reducendis actum constitutumq; fuisset: nosq; sedatis & sublatis istis discidiis, pace iam & tranquillitate summa frueremur. At quod populus aut leuitate quadam & temerario animi impetu abreptus, aut hostium artibus deceptus, aut magna ex parte aliorum exemplis indu-

inductus, aut dubia anticipiq; conscientia nutas admiserat. Papa id sua iam bulla confirmat, & nobis persuadere conatur, à Rege suo sibi diuinitus dato ita defecisse, ciuitates ciuitatibus bellū infestū facere, ciues se murū cōtrucidare, omnia tum cædibus cōplere, tū vastare dirptionibus, hoc esse gratum Deo obsequium præstare, & verum Catholicum esse. En illa fuit per Papæ scilicet bullam peccatorum Regis expiatio.

Quænam verò tam atrocia, & grauia peccata patrata ab eo fuerant, quibus illius sanctitatis irritari debuerit? Diræ istius excommunicationis causam hanc vnã profert, quòd Rex demortuus hæreticis faueret. Hic verò manifestiùs produnt Papæ, qua religione, quæ conscientia adducti nōstros Principes excommunicent. Hæretici ij sunt, Papæ quidem iudicio, qui religionem Romanã nō profitentur. Hæreticorum ergo fautores habendi illi sunt, qui eos perferunt, iisq; fauent. Quo verò nomine dici Rex potest eiusmodi hominibus amicus & fautor extitisse? Illius antecessores flammas eos obiecerunt: ille verò cum fratribus armorum vi & violentia eisdem est persequutus: sæpe contra eos prælio dimicauit: suas omnes copias infestissimis illorum hostibus (qui vnum hoc expetebant) tradiderat, vt eos penitus de medio tollerent: quartum iam annum internecino eos bello vbiq; locorum prosequabatur. Hinc tamen Papæ eius excommunicationi occasionem arripit, quòd scilicet hæreticis faueret. Vbi tandem eorum, quæ toties per viros à se delegatos de summissa sua erga sacram sedem obedientia professus fuerat,

Cur rex de sanctus à Papa exco munitus fuerit.

I. Quod hæreticis fauerit: & quomodo id verum.

rat, recordatio? vbinam illius votorum, pœnitentiarum & deuotionum, quas nuper illorum sanctitates Romæ admirabantur & laudibus in cœlum ferebant, memoria? quid maius ab eo expectari & sperari poterat? si Lotharingorum, aduersariorum eius funestissimorum, conscientia ad iudicium appellarentur, cogèrentur profectò rei veritate conuicti Henricum III, fuisse Principem omnium maximè Catholicum, agnoscere & fateri. Huius rei testimonio sunt literæ quas Dux Lotharingis ad Lingonenses ab eius morte scripsit. Lutetia, Carnuti, vbiuis etiam locorum illius deuotionum monumenta spectantur. Quin Papa ipse Sixtus in excommunicationis contra hunc, quæ Regem nunc habemus, bulla, eum & filium suum Christianissimum, & fidei Catholicæ propugnatorè nominat: atque Principum nostrorum excōmunicandorum ex eo, quod bellum cum illo gererent, causam capit. Tertio tamen vix mense exacto, à Papa de hæresi postulat & excōmunicatur. Vbi tanta tamèq; subita huius mutationis causa? an quod Religiosos non potuerit Rex omnino profligare? At quid amplius illius sanctitas ab eo requirat, quàm quod præstitit? Illius sollicitatione & efflagitatione bellum sapius renouauit, in quo regnum suum & viris & opibus ferè omnibus exhaustit. si Religiosi nihilominus steterunt: immo verò si & numero multiplicati & viribus aucti sunt, quanquam armis eos frangere tentarit, cuiusnam est culpa adscribenda? illene aliquid contra Dei consilium potest? Hic unicuique constare potest Papam, quia communicatis cum Regis hostibus consiliis Regem opprimere in

arimo habebat, consuetum morem & viam, quam antecessores eius rei tritam sibi reliquerunt, repetuisse, dū Regem hæreseos eodē tempore & accusauit & dānauit, cū nihil grauius in eū statuere posset, nō secus ac in tyranni exitium ciues, quibus ille vitam & facultates eripere conatur, conspirasse dicuntur.

Quòd si in defuncto Rege, tràquillitatis regno suo cōciliandę, & cū Religionis reformatę hominib. pacificandi volūtas fuisse dicatur: id certē nō videtur tūc extitisse, quū Guisiadę Blefis interemti sunt: à quo tamē tēpore Papa suarū fulminationū argumentū capit. Aliā sibi esse mentē, & quidē omnino cōtrariā, in illo ordinū cōuentu declarauerat. præterea illius copia in agro Pictauino belligerabāt. Rem tamē, vt volūt ita esse ponamus. Rex .n. minimē distulabat se magno suo dolore tot miserias & vastitates ex his bellis profectas videre, valde expetere salubrius aliquod sibi cōsiliū dari, per quod ærumnosi sui subditi nō nihil leuarētur, atq; à tot malis respirarēt: cū omni illa violentia, quæ ad id vsq; tēpus adhibita fuerat, malū recruidisset potius, quàm cōsanuisset: magis quæ his ciuilibus armis metuendus esset totius regni interitus, quàm speranda Religiosorum profligatio. Scit Papa Dominum Lucemburgensem missum ad se fuisse cum hoc mādato, vt cōsiliū ea de re ab eo caperet, quippe cū Rex nihil quidquam, nisi eo volente & consentiente, aggredi vellet. Demus igitur Regem de alia quapiam ineunda via, non de bello persequēdo cogitasse. An iustum ad Regem & excommunicandum, & in inferos cōiiciendum, ad subditorū etiā discidia tū concitāda,

ii.
Quod paci cum Religiosis optaruit.

An pacis vias qua. sisse, iust. sit excommunicari Regis carum sa.

tum comprobanda crimen videbatur, quod
 populi sui tantopere calamitosi misericordia
 ductus, fideles suos amicos ad consilium, &
 auxilium sibi dandum imploraret, & omnes
 indagaret ac prosequeretur vias tanti restrin-
 guendi incendij, quod in toto suo regno exci-
 tatum fuisset? Cumq; religiosi concilio se sub-
 mitterent: demus hoc etiam, constitutum Re-
 gi fuisse (quod tamen nondum constitutum
 erat) concilium, cuius beneficio suos ciues o-
 mnes ad pacem & concordiam, & ad rectam
 etiam viuendi viam reduceret, cōuocare: quid
 quæso aliud fecisset, nisi quod alij pleriq; Prin-
 cipes non sine maximo publicæ rei commodo
 & salute semper fecerunt? quin etiam in animo
 habuerit vtramq; religionem liberam conce-
 dere: quidnam excommunicatione dignum
 admisisset? Alteramne bello continuo vexa-
 set, cum alterius, atque regni ad eò totius per-
 niciæ & exitio? Cogentur aliquando medici
 vlcus aliquod in corpore intactum relinque-
 re, si viderint non posse illud tractari sine cer-
 tissimo totius corporis interitu: Rex verò in
 regni sui conseruatione eandem prudentiam
 adhibere non potuit? immo etiam non de-
 buit? Quàm multi Principes id hactenus ipsi
 fecerunt sine vlla istius sanctitatis offensione?
 Ita autè ab Imperatore in patrimonij sui pro-
 uincijs vsurpari constat: ita etiam Imperium
 in pace retinetur: in Polonia sufferuntur omnia.
 Heluetij suas societates ac fœdera sic conser-
 uant. In Italia longè aliud videtur, & quidem
 multò quàm alibi grauius atque deterius; in
 qua videlicet Iudæorum Christi hostium syn-
 agogæ patent. Papæ id Romæ ante oculos ob-
 uersa-

uerfatur : atque aded atheismus, Dei quæ con-
tentio illic vigent, & cū libertate summa per-
feruntur. A multis sæculis piorum hominum
fcripta extāt, quibus de impia illa diffimulan-
tia conqueruntur. his tamēn Papā nihil mō-
uetur. Et soli Galliæ Reges ne cogitare qui-
dem audebunt de reformatæ religionis ho-
minibus, qui vnum tantummodo Christum
colunt & appellant, tolerandis, vt ita regnō la-
bascanti succurratur? Atquæ Papæ purpurati-
quæ gregis ita exacerbandi, & concitandorum
istorum fulminum ad Galliæ Reges opprimē-
dos, atq; in profundissimo inferorum gurgite,
tum eos ipsos, tum eorum dignitatēs obruen-
das, hæc vna caussa erit? Non est hoc verifimi-
le: longè alia caussa est.

Obiicient, post ea quæ Blesis acta sunt, de-
mortuum Regem cū religiosis pacificatum *Aduersa-
riorum ob-
lectioni
responde-
iura*
esse, & eos ad reliquas suas copias aggregasse.
Primum, defuncti Regis nomine responderi
potest, quod ab eo tūc factum est, in anni dū-
taxat inducias constitutum fuisse. Deinde il-
lum eō necessitatis fuisse redactum, vt aliter
facere saluā dignitate & salute nō posset. Vni-
uersum propè regnum hostium suorum, &
Ecclesiasticorum maxime artibus & coitioni-
bus nefariis ab illo descuerat. Sorbona sen-
tentiam contra illum tulerat, per quam de se-
de regia demoueretur. instruebantur vbique
funestæ copię, quibus in eum impetus fieret.
Tūc verò debuit Papa, vt antea dictū est, suam
illam auctoritatē depromere, & Regem ab hac
sui quoquo modo propugnandi vindicandiq;
necessitate liberare. ne id quidem curat. Cū
itaq; Rex videret se tanta rabie à suis subditis
M peti;

peti, se ab iis, qui presentem ipsi opem ferre debebant, ut à Papa, desereri: solosque si paucos omnino excipias reformatæ religionis viros, superesse, qui suam in Regem fidem & obsequium profiterentur, paratissimosque se ostenderent pro eius capite suum sanguinem, si ira res ferret, profunderent: quid rogo, consilij cepisset? nunquid in tantas angustias redactus, promissimum certissimumque illud subsidium recusasset? num eos, qui summam fidem & obsequium præ se apertissime ferebant, bello adhuc infesto persequutus fuisset, etiam cum suo & bonorum civium discrimine atque exitio? Lotharingi quidem illius hostes id maxime sibi proponebant ac sperabant: Papaque ipse illud iracundiæ & stomachi causam. Nempe, ut dicam quod res est, gravissimè hoc tulit, defuncto Regi remedij & opis aliquid superesse, quomoram & impedimentum hostibus suis adferrebat, ne statim ab initio illorum artibus & viribus planè opprimeretur.

III.

*Quod Guis-
siadas fra-
tres occide-
rit.*

*Cædis Gui-
sianæ ratio
& causæ.*

*de Guis-
sianis*

Sed enim Guisium ducem, Cardinalis illius fratrem causa indicta necari iussit. hinc illa lacrymæ, hæc illa Papæ iracundiæ, hinc tantæ illius querelæ. plerique etiam re tota non facta cõperta hoc unum maxime conqueruntur & vituperant. Et certè primus homicidij sic patratum nuntius horrore quendam animis hominum incutere solet: sed eius ratio & causa intelligenda est. Rex erat. Deus illi gladium tradiderat, quo suam auctoritatem retineret, & regnum suum defenderet. Nec verò tyrannus erat, qui cæde & occisione gauderet. An privatum & intestinum odium cum Guisibus gerebat?

nullum profus: neq; illi etiam meritò id que-
 ri possunt. Superiores Reges amplioribus fa-
 cultatibus & honoribus, quàm vlllos regni hu-
 iusce alios vnquam, eos cumulauerant: Rexq;
 ipse illorū exemplum sequutus, non modò de-
 is quidquam nò detraxerat, sed etiam nò pau-
 ca illis addiderat. nuperrimè maximis eos do-
 nis ornauerat. illi ab eius latere nunquam dis-
 cedebant: armatis illius copiis præfecti erant.
 Quid plura? Rex in primis id cauebat, ne quo
 modo in minimam eorum offensionem in-
 curreret, ne tantillum eorum animos irrita-
 ret. Verùm iam dudum eos animaduvertebat
 iniquissima consilia meditari, recordabatur il-
 lorum maiores bellorum omnium ciuiliū
 faces fuisse. sentiebat hos ipsos eadem etiam
 moliri, nec pati posse hoc regnū otio & quiete
 aliqua frui. sciebat quid cum Principibus ex-
 ternis consilij captassent. nouerat eorum artes,
 & coitiones in Normania, & alijs prouincijs,
 per quas discidiorū & defectionū initia face-
 rent. videbat quos caperent labores, quas ma-
 chinas adhiberent, vt suæ factionis fundamē-
 ta iacerent. Cumq; illorum consilia & actiones
 penitus cōpertasq; iam pridem ha-
 beret, poterat certè illis occurrere, anteq; præ-
 uidere quàm latiùs ad regni exitium serperēt:
 nec non læsæ maiestatis reos facere, cū testi-
 moniis, libellis & cōmētariis ad id perficiendū
 necessariis nò destitueretur. sed, qua erat facili-
 tate & æquitate animi dissimulabat hæc omnia:
 cōstitutūq; habebat (vt permulti viui etiā vidē-
 tesq; ex ipso audiuerūt) quibuscunq; hono-
 ribus & opibus posset, eorum animos sibi con-
 ciliare, & à prauis, quæ in animis suis versabāt-

*Regis de-
 sancti su-
 ccessor-
 conuincen-
 tiam*

consiliis auertere. Tandem furor tot antè animis conceptus in actum erupit. Illi enim cùm hominum à Regis, à quo spretos se putabant, caussa alienatorum, tum aliorum aut iudicis conuictorum, aut pro factis iudicia timentium, perditorum, & ab omni non modò fortuna, sed spe etiam derelictorum: adhuc Lotharingorum, & aliorum externorū hostium collecta vndiq; manu, arma contra Regem ipsum sumserant, compluresq; vrbes ad defectionem concitarant. Rex poterat ei quoque malo mederi, atque viribus & viris, qui vndique ad eum confluebant, abundè instructus, illos ipsos defectionum auctores opprimere. Sed in animo habebat benignitate & clementia eorū animos flectere, & ad suam sententiā causamq; pellicere: ita vt in eorū gratiam sua edicta rescindere, & regnum in nouas clades atque calamitates, bello contra Religiosos gesto, conicere maluerit. Ex quo istorum ferocia & insolentia plurimùm creuit, spes etiam duplo auctæ sunt, & ianua iis ad facinora longè audaciora contra Regiam maiestatem suscipienda, aperta fuit. Rex suis se viribus & copiis omnino exiit, easq; ipsis tradit, quas aduersus Huguenotos (quos dicunt) conuerterent. At has copias & suas facere, & ad suas partes allicere conantur, vt iis, vbi esset opus, vterentur. Quum verò ad perficienda quæ mouebantur, parata sibi esse omnia putant, etiam Lutetiæ, quò magnus coniuratorum numerus

*Rex à Lotharingis
Lutessā
pulsus.*

eorum opera vndecunque irrepserat, tunc vrbe occupata Regem adoriuntur. qui de improviso ita oppressus, & ad resistendum tantæ violentiæ inermis atque imparatus, vrbe regni sui sede

sede & domicilio excedit, vt ex eorum mani-
 bus euadat. Deinde certior factus quanto pe-
 re dolerent, quòd quam prædam laqueis suis
 irretitam tenerent, (Reginâ eorum nihil tale
 cogitantium animos & oculos aliò interim a-
 uertente) eam tam imprudèter elabi passi fuis-
 sent. Nihilominus Regi scriptis editis superbè
 insultant, atque palam lætitia exultât, & trium-
 phant. Indignitates istæ iam tum profectò
 mille suppliciis dignissimæ erant. Hæc tamen
 omnia Rex obliuioni mandat, eorumq; amici-
 tiam quantois precio redimere cupit. Postu-
 lant, vt suam conspirationè chirographo com-
 prober, iureq; iurando confirmet se cum hæ-
 reticis pacem nunquã facturũ, annuit. Volunt
 per edictum suis omnibus subditis imperet, vt
 factionem suam, hoc est apertam contra suam
 ipsius, & regni salutem coniurationem obsi-
 gnent, assentitur. Petunt vt trium ordinum
 conuocatio fiat: hoc & concedit: etsi satis odo-
 raretur id ab eis flagitari, vt illius auctoritate
 freti possèt facilius factionis suæ socios ex pro-
 uinciis arcescere, & eodè loci omnes colloca-
 re, ad cõsultandũ inter se & perficiendũ quod
 iam dudũ expetiuerât ac sperauerât: vt scilicet
 dominationè ac principatũ in ipsius regno in-
 uaderent, rerumq; omnium ex animi sententia
 potirentur. Rex Blesas hoc animo & consilio
 venit vt ad eorum arbitrium nutumq; de mo-
 re se compararèt, & bellum funestum aduer-
 sus Huguenotos capesceret, atque suas omnes
 vires & opes ipsis committeret. illic videt sa-
 crum coniurationis consilium palam & ante
 oculos Guisij ducis haberi: nihil in ordinum
 conuentu deliberandum proponi, quin prius
 illic

*Conuentus
 Blesensis
 ad quosdã
 uocatus.*

illic agitatam excussamq; fuisset: suffragia pe-
 simis artibus captata & cōparata esse: & si quis
 vel hiscere contra illorū mentem, libidinemq;
 auderet, continuò minas iactari. Exploratum
 etiam habet & planè compertum eos commu-
 ni omnium consensu decreuisse vt Dux Guisus
 designaretur, nō palatij Parisiensis tantum præ-
 fectus, sed nomine longè augustiori ^{MAGNVS DVX}
^{GALLORVM}, qui armorum, ærarij, & administra-
 tionis prouinciarum summam potestatem ha-
 beret: Rex contrā omni potestate & regni ad-
 ministracione indignus cēferetur. Vt Parisien-
 ses etiā, armatos magno numero milites mit-
 terent, qui ad eiusmodi cōsilia promouēda ac
 perficienda præstō essent. Rumores vndiq; ad
 Regem perferuntur: fratrum alter, quædā vnus
 ex cōsobrinis coniunx, complures itē alij ho-
 rum consiliorū participes eū admonēt, coniu-
 rationē aduersus illū initam esse, quæ intra Do-
 mini natalem perficienda esset. Atq; hæc vera
 est & simplex rerū gestarum narratio, vt nulli
 esse ignotū arbitror: & spes est accuratissima &
 certissima disquisitione ac probatione, omnia
 notiora illustrioraq; fore. Repentina verò vt-
 bium defectio, quæ statim consequuta est, fa-
 tis probauit eos parata & expromta habuisse
 omnia, quæ ad magnā in toto regno mutatio-
 nem efficiendam requirebantur. Quid Regi
 faciendum hic fuit? eosne iniecta manu in cu-
 stodiam dedisset, in quos postea ex legibus ac-
 nimaduerneret? Non potuit id fieri sine maxi-
 mis viribus, quibus Rex destitutus erat: Blesis
 inermis consultō profectus, ne armatus ordi-
 num libertati impedimento esse velle videretur.
 Remne in aliud tempus reieccisset? at cōm-
 omni

*Guisus con-
 spiratio in
 Regem de-
 lecta.*

omni mox auctoritate spoliandus, tum vita etiam ipsa tridui fortasse spatio priuandus erar. Cum igitur in extremo & salutis & dignitatis discrimine versaretur, coactus est remedium quoque extremum adhibere, atque iniusta hostium consilia, iusta ratione praeuertere. Quid hic excommunicatione dignum *Num Regis factum excommunicatione mereatur.* Papæ videtur? An quod Rex auctoritatem sibi à Deo tributam retinere voluerit? an etiam quod mactare se non fuerit passus, nec iugulum coniuratis dederit? an denique quod religio illi fuerit subditos suos externorum, qui soli tot miseriarum causæ erant, libidini & ambitioni obicere? Iudiciorum certè formulæ non semper sunt necessariò seruandæ, quum salus & dignitas Principis aguntur, & quum ea vrget necessitas, vt minimè seruari debeant. Quid verò accuratori inquisitione aduersus istos opus erat, qui repetitis tam diu tamq; sæpe coitionibus tam indignis modis Regis vitæ periculū moliti esset, pacem publicam violassent, regnū vniuersum perturbare & occupare aggressi fuissent? Hem quàm multi hodie vituperant quod Rex in Guisadas admisit, qui anno vix dum exacto eum accusabunt, quod serius id admisit, optabūtq; istas regni pestes de medio hominū ante annos 30 sublatas fuisse? Solomon commonefactus fuit Adoniam regni inuadendi cōsilia inire: prima hæc illius cōsilia ipsi cōdonauit. Sed cum idē sæpius tentaret Adonias, veritus Solomon ne malū longius serperet, cuidam ex Principibus eum occidendū mādaui, quàm sæpè autē in Rep. Romana si quis mediocriter statū Reip. labefacta *Solomon Adoniam noua manu librem occidi iussit.* ret, sine vlla iudiciorū forma, & indēnatus mox

*Scipio Na-
sica Gra-
chum pri-
uatus op-
presit.*

trucidatus fuit? Annon priuati etiam homines (vt quidam præcipuè Scipio in Gracchorum alterum) laudantur, qui Reip. hostes propriis manibus, nulla maiori auctoritate expectata interemerint? Liceret igitur infimis quibusque tyrannum, qui Remp. occuparet, non data tantum impunitate, sed maximis etiam beneficis & honoribus collatis interficere: Rex verò videbit tyrannidem, quæ multis antè an- nis concepta fuerat, iam tandem natam, populum suum, externis venditum, omnia ad mutationem, quam totius regni euersio consequutura sit, parata esse: & tyrannos inultos ac superstites relinquet? Omnes aduersus latronem, qui vitæ nostræ insidiatur, iure armamur, & si eum interfecerimus, ex legibus omnibus humanis, pœnâ ea, quæ est de ui, minimè tenemur: Rex autem hoc iustissimo defensionis iure carebit aduersus eos, qui uim sibi & arma intentant, qui gladium in suo iugulo penè defixum habent, qui sanguinem & uitam suam petunt, qui suo exitio iam iam imminet? Alia igitur Papæ quærenda fuere excommu- nicationis argumenta.

*An Rex cõ-
tra fidem
datam quid
fecerit.*

Verum dicet aliquis factum id à Rege fuisse contra fidem datam ac publica comitorum iura, & libertatem: quasi ad crudelitatem perfracta etiam accessisset. Crimen quidem certè Rege indignissimum, si hoc ita esset, quid enim in hominũ societate, & inter Principem ac subditos præcipuè tutum unquam sanctumque esse poterit, si fides non seruetur? sed facile est Regem ab eo crimine liberare. Prudens erat & suæ dignitatis amans. si iudicasset in ea re facturum se aliquid præter officium, id aliis qui-

quibusdam mandasset, qui captata opportunitate Ducem Guisum ex improviso oppressissent, & totam eadē illius inuidiam in sese deriuassent, vt multis Principibus accidit. Rex verò neque id factum sua auctoritate in medio ordinum conuentu probasset, neque eos istius eadē spectatores, totiq; Galliarū testes adhibuisset. sed hoc penitus persuasum habebat, nihil se contra Principis officium & dignitatem facere: adeo vt vnumquemque monitum voluerit, id suo ipsi^o iussu factū, & eā ipsā dextrā, quam à Deo contra sceleratos armatam haberet. Quòd si Regis demortui dignitati aliqua publicæ fidei violatæ labes aspergenda esset, ea ignominia ad Guisadas iustius redūderet, qui Regem sic illius iugulo admota ad sua edicta cum Religiosis facta, iurequē iurando confirmata infringenda, suis factionibus & concitationibus perpulerunt. Pater horum ipsorum fuit, qui ex Lotharingia in Galliam & edictorum fœderisq; publici contemtionem intulit, & perfidiam introduxit: quum cōtra edicti Ianuarii fidem, & publicam ordinum, qui illud vno ordine flagitauerant, auctoritatē in miseris illos Valsiacenos eodem loci congregatos irruit, atque inermes incautosquē opprimens, quam plurimos trucidauit, quo maximè tempore fidei publicæ beneficio sartosq; tectosq; se putabant: indeq; in Galliam armatus irrupit, eam direptionibus, incendiis, & eadē vastaturus, fenestramq; ad odia, ad strages, ad coniurationes, ad perfidias, quæ illic perpetuò ab eo tempore regnarunt, patefacturus.

*Guisada
quam reli-
giose pacta*

Si Papæ aliq; defuncti Regis accusatores audiri velint, quum Regem perfidię accusant:

ostendant prius oportet Guisidas præstitisse sedulo bonaq; fide omnia, quæ Regi præstatorum se iure iurando promiserant. Nec verò loquor iam de primæ reconciliationis conventionibus, contra quas non facile negari potest, quin Guisidæ aduersus Principem suum Lutetiæ Parisiorum perfidè se gesserint, quum eam occuparunt, quum munitiones infestas in eum extruxerunt, quum eum ipsum ignominiosè de sede sua per vim eiecerunt. Adhæc discidia tumultusq; & in Normannia & in aliis huius regni prouinciis ab iisdem cõcitatos: tum Abbatissuillæ & Bononiæ obsidiones, Dorlauri & aliarum vrbiũ occupationes, factionum cõspiraciones præter fidei erga Principem suum religionem & officium, atque repetitum sanctumq; toties iusiurandum subsignatas & sollicitatas lubens prætermitto. Quando n. Rex in postremis fœderibus hæc omnia obliuione deleri voluit, nos quoque idem velimus. Hic verò de postremis omnium fœderibus tantum modò agamus. etsi quispiam fortassè dixerit parum hoc decere, Principis causam aduersus subditos agere. Sed tñ quoniam accusatur, dignitatè eius pro officio nostro tueamur. Ergo Rex in postremis suis fœderib. fuit pollicitus se perpetuis bellis Religiosos persecuturum: copias in agrum Pictonicum, in Delphinatũ, & aliò quocunq; missurum, nec non & ipsorum, & eorum omnium, qui cum ipsis in ista conuentione fecerant, ope atq; opera vsurum. Rex id præstitit: imperia Duci Mayennensi, & aliis, qui aperte illorum partes tenerant, demanatata sunt. ea Duci Guisio Rex obtulit: ea ipsa Dux ille recusauit. iisdem voluerunt vt comitia

*Rexne an
Guisidæ
pactis con-
uentis re-
ligiosus ste-
terit.*

coge-

cogerentur: coacta sunt, vt cum omni libertate celebrarentur: at ipsi à viribus partibusque suis instructiores eò venerant. ita Rex fide data solutus est ac liber. Illi autem quid promiserat? omnem ex Rege vsurpatam auctoritatem illi vni restituere: Lutetiam ab omni consiliorum & coitionum clandestinarum suspicione solutam ac liberam efficere: omnibus factionibus & conspirationibus renuntiare: nullum omnino delectum nisi ex ipsius mandato habere. Id ne verò ita factum fuit? eorum, qui etiamnum sunt superstites, conscientia respondeant. Lutetia arces & propugnacula omnia penes ipsos remanserunt: quidam ex eorum familia ibi relictus fuit, qui suarum partium studia foueret. consilia frequentia & penè quotidiana illic aduocabantur, vt tempore omnia in præcipuis vrbis partibus præstò essent: Dux Aumalius in Picardiam abiit, factiones suas repetiturus: coniurationes & subsignationes, vehementius quàm antea redintegrantur, & ii, quibus maximè confidebant claculum ac priuatim admonentur vt videant diligenter, ne quis ex iureiurando semel dato discedat, etsi promissum publicè id fuerit: suffragia vbiq; & palàm in futura comitia comparantur: libelli earum rerum, quas ex suffragiis decerni volebant, subsignandi mittuntur. Res tandem Blesis eo vsque perducuntur, vt à proximo coniurationis exequendæ articulo minimùm abessent, vnde Regi sua omnis auctoritas adimeretur, & ad Ducem Guisium transferretur. Iam verò teste eorum omnium, qui viuunt, conscientia, quis & de fide violata, & communi libertate impedita accusabitur?

Ille

Ille profectò perfidus dici non potest, qui pace iureiurando publico & solenni sancita, & à se etiam seruata in eam necessitatem venit, vt cogatur aduersus hostis impetum se defendere, & vim vi repellere. Si per obstinatam dominandi, & summam in hoc regno auctoritatem vsurpandi libidinem Duci Guisio libuisset in summissi subditi finibus & officio se continere, Principemq; suum qua debebat obseruantia colere, saluus adhuc & amplissimus viueret. Sed sententia illa hìc verissima est, RARIS-
SIME fidem seruari ab iis qui Regnum appetant: id quod tandem Deus inultum non sinit. Ex his igitur Papa nullam, iustam quidem, vel crudelitatis vel perfidię Regē accusandi causam habet. Sed præcipua Deos istos irritandi, & Romana fulmina concitandi causã hæc

Ob Cardinalis Guisio cadem potissimū de baccharur Papa.

est, quòd Rex Cardinalem alterum interficere, alterum cum aliis aliquot ex Clero in carcere coniici iusserit. In promptu responsio est. Ecclesiasticos maximo semper apud Regem honore fuisse nemo est qui negare possit: vsq; adeò fanè, vt, dum metuit ne quid contra eorum, & aliorum à quibus incitabantur, libidinem admittat, bella tandiu nulla ferè interruptione gesserit, & continuis perturbationibus miserisq; agitatus regnarit: illos vidit semper tanta humanitate, immò ipsos etiam abiectissimos monachulos tanta comitate excepit, vt hæc non debita obseruãtia exitio ipsi tandem fuerit. Quum igitur Cardinali Guisio necem inferri, alios verò carcere concludi iussit: nullo in Ecclesiasticum ordinem odio, nullo etiam religionis defectu id fecisse dici potest. Si dicatur, sacerdotum & monachorum vi-
tam

tam sacrosanctam esse minimeq; violandam, & quicquid illi fecerint, probandum: docendum prius esset, postquam in sacrum illum ordinem adsciti sunt, omnis se delicti puros & expertes esse. Illius quidem ordinis munus & dignitas illud postulat, vt, apud homines saltem, ab omni crimine & probro vacui sint: id enim de iis D. Paulus requirit. Sed ea, quam inter nos degunt, vitæ ratio contrarium satis superq; probat. Quod si peccata, & ea quidem grauisima sepius patrant: docendum ipsis esset se nulli nec reprehensionis nec castigationis obnoxios esse: & hoc esse suis immunitatibus ac priuilegiis annumerandū, Licere quicquid libeat, & quidem citra culpam & noxam. Hæc certè Papatum cogitatio fuit & voluntas. Nam conati sunt è iudicium, quos vocant, secularium iurisdictione eos eximere. quumq; passi sunt eos, & Episcopos maximè in iudiciū vocari: eiusmodi conditionibus id passi sunt, vt ad damnationem vsque vix vnquam perueniri possit. At hoc cum lege diuina omnino pugnat, quæ præcipit vt de sceleratis citra omnem exceptionem supplicium sumatur. pugnat & cum Rerum publicarum & Imperiorum omnium bene quidem cōstitutorum legibus: vnde, nisi summa rerum confusio, & multa magnaq; mala in societatem humanam inuehantur necesse est. Quod si Ecclesiastici, quum aliquid admittunt, iudicia & pœnas subire debent: vbinam iustius equiusue quàm in Regū & Principum, in quorum potestate sunt, & sub quibus subditorum omnium causæ equa lance ponderantur, iurisdictione? Neque enim vllò vel diuino vel gentium iure inueniemus, quan-

1. Tim. 3.

*Liceatne
Ecclesiasti-
cis de secu-
lari pote-
state se sub-
ducere.*

*Principibus sicut
suis gladiis
à Deo datum.
Rom. 13.*

*Abiathar
sacerdos à
Salomone
occisus.
1. Reg. 2.*

quantum quidem ad improbos pœnis capitibus coercendos attinet, aliam esse iurisdictionem, quàm Principum. Id enim fit gladio, cuius usum Deus fancit. nullis autem aliis gestandum eum dedit præterquam Principibus, ut D. Paulus loquitur. nulli alii præter eos Dei ministri appellantur, ultores ad iram iis, qui quod malum est fecerint. Principibus bonorum virorum tutela & propugnatio commissa est: iisdem etiam arma ad ceteros terrendos, societatemque hominum tuendam & conservandam tradita sunt. Papa verò id sui esse iuris & muneris ex scriptura sacra nunquàm probaverit. nec Episcoporum, nec Apostolorum munus, ut quidem à Deo constitutum est, id requirit: nullum nec Apostolorum, nec cuiusquam alius, qui in veteri Ecclesia munere aliquo functus fuerit, exemplum, quo id probari possit, usquam extat. Contrà Deus illis limites præstituit, voluitque eorum munia à Principum & Iudicum forensium muniis prorsus distincta esse: nominatim vetans eos negotiis, quæ hanc vitam spectant, implicari. Arma, quæ habent, spiritualia sunt. illi quidem emendare debent, sed disciplinâ Ecclesiasticâ quæ pœnas externas minimè attingit. pœnæ igitur irrogatio, Principum est. Divina lex à iurisdictione civili ac legitima Leuitas non liberat, si fortè aut falsi Prophetæ essent, aut aliud quippiam animadversione dignum admitterent: Deus legem omnibus communem ac iurisdictionis ordinem ex æquo constituit. Abiathar summus sacerdos coniurationis cum Adonia conscius esse comprehensus fuit. Rex autem Salomon eum condemnavit.

mnauit. Ipse etiam Christus (quod omni- *Christum à*
 um argumentorum loco esse debet) se Pila- *Pilato da-*
 ti Cæsaris Legati iurisdictioni obnoxium, e- *muatno.*
 amque potestatem cœlitus illi datam agno-
 uit. Itaque Pilatum hodie minimè conde-
 mnamus, tanquam si præter iurisdictionem
 suam aliquid in Christum vsurpasset ac sta-
 tuisset: sed quòd ea fuisset abusus, eum con-
 demnans, cuius innocentiam coram omni *D. Paulus*
 populo testatus esset. Diuus quoque Pau- *ad Cæsare*
 lus petiit vt ad Cæsarem legitimum suum iu- *appellat.*
 dicem remitteretur. Hæc est sententia D. Io-
 annis Chrysoptomi in decimum tertium ca-
 put Epistolæ ad Romanos: *Omnis anima po-*
testatibus supereminentibus subiecta esto, &c. In
 hunc Apostoli locum Diuus Chrysopto- *D. Chryso.*
 mus ita loquitur: *Præceptum hoc, inquit, o-*
mnès spectat & sacerdotes & monachos, nec eos
tantum, qui in rebus humanis versantur: vt capi-
tu statim initio Apostolus docet, quum ait. Omnis a-
nima potestatibus supereminentibus subiecta esto: etsi
u fuerit vel Euangelista, vel Propheta, aut alioquo-
cunque munere ornatus. Hæc enim subiectio nec
pietatem nec religionem subuertit. Ipsiùs ver-
ba hæc sunt: de subiectione agit, & ea no-
minatim quæ Imperatoribus, Regibus, aliis-
que politicis Magistratibus debetur: & agit,
non de eo solùm, quod ex Dei constitutione
esse debet, sed de eo etiam quod sua ætate in
vsu erat. Nam si tunc aliqua alia iurisdictione
Ecclesiasticis solis propria fuisset, eam silen-
tio minimè præteriisset: hancque omnibus
communem legem præscribit, neminem
prorsus hominem excipient.

Equi-

Equidem nec Papas, nec Cardinales nominatim exprimit, nam tunc temporis ea nomina ignorabantur. At si Apostoli, Euangelista, Prophetæ Principibus & Magistratibus subiecti esse debent, quis iam immunitatem sibi arrogare audebit? Omnes igitur subiecti sunt Regibus & Principibus. si verò illorum iurisdictioni: pœnis quoque & capitali etiam supplicio, si illud commeruerint. Loquitur enim de Principibus gladium gestantibus, quo vtantur aduersus omnes subditos, nullo cuiusquam delictum crimine habito, vt res ipsa postulare videbitur. Si Papæ suis artibus consequuti sunt, vt coegerint Principes multum de iure à Deo sibi dato decedere, patiq; in suis regnis & principatibus aliam præter suam inesse iurisdictionem: id saltem fraudi Principibus esse non debet. Quis sacerdos aut quispiam alius ex clero latro erit huius regni lege sancitum est, vt iudices Regis ordinarii, nulla fori translatione admissa, iniecta manu, eum capite plectendum carnifici tradant. Quod si aliquis ex clero vitæ periculum Regi creauerit, Regi non licebit pœnas iustas ab eo reperere? in læsæ maiestatis crimine nullus est exceptioni locus relictus. Quid? Papa quoque ipsi si vel minimùm suspicentur auitam aut dignitatem suam à Cardinalibus aut, num id tacitum inultumq; ferunt? Legantur eorum historia. Papa Vrbanus VII. Cardinales permultos saccis inclusos in mare cœcici iussit, quod eos suis partibus aduersarios putaret. Nostra ætate Pius III. strangulari mandauit Cardinalem Caraffam, non publicè & obseruata iudiciorum forma, sed nocte, & in arce sua, quæ sancti Angeli vocatur: idè capite mul-

*Paparum
in plecten-
dis Cardi-
nalibus aut
Corruas.*

multari iussit in custodia Comitem Pallianum, & Cardinales aliquot: dieque proximo eorum cadauera in medium efferenda curauit, vt ab omnibus spectarentur. Infinita sunt exempla, quibus multa eiusmodi Papparum facta probari possint.

Cur verò tantumdem Regibus non licebit, vt saluti suæ consulant? Indignitas esset profectò maxima & certè indignissima, si Reges cum tantum dignitatis & potestatis Pötificibus in suo regno dederint, dum verentur ne in eorum offensionem incurrant, eos saluos & incolumes tolerarent, qui & regnum & vitam sibi eripere conarentur, quò tantum ea impunitas euaderet? quæ amplius esset Principum securitas? Dicent, Cardinales & alios eius ordinis vnctos & sacros esse. At quos sacra scriptura Vnctos Domini nuncupat, Principes sunt, qua igitur ratione sacerdotum vitæ carior erit, quàm Principum? maiores nostri non modò non Cardinalibus, sed ne Papis quidem ipsis id nunquam concessissent. Nam *Priscorum* *Francorù* *in Reges* *suos amor* *& obser-* *uantias* *facius VIII.* (de quo iam sapiùs loquuti sumus) vt Regem contumeliis afficeret, nec non excommunicaret: is fuit Francorum in suos Reges amor & obseruantia, vt nulla Papæ & eius Cardinalium ratione habita, summo consensu in Italiam vsque armata manu transeundi, Papamque captum interficiendi consilium caperent. Quod vnum est ex multis aliis factis maioribus maximè memorabile, quo magnitudo animi Gallorum atque amor in suos Principes singularis extat & probatur. Hoc igitur de Cardinalis Guisii & aliorum custodia

statuamus cùm & Regis subditi, & tanti criminis conscii essent: nihil à Rege præter potestatem auctoritatemque sibi à Deo datam factum fuisse. Quod cùm ita esse constet, quid causæ tandem habet Papa, quamobrem tot tantachy in hoc regno tragœdias de ea de illa excitavit, & in Regem defunctum dira sua anathemata contorserit? Hæc vna videlicet causa est rumpitur dolore, quòd conspiratio aduersus Regem confiaminùs successerit. Illud èt ipsum est, quod alius quidam Papa Sixtus III. fecit, cuius & nomini & pietati hic noster Sixtus successit. Nam cùm in Rep. Florentina de Principibus Mediceæ familiæ viris interimendis cogitasset, idque in ipsa Missæ celebratione, eotemporis momento, quo hostia erigeretur Iulianus à Pontificiis interfectus fuit. frater eius Laurentius vulneratus euasit. Pisarum Episcopus, Saluiatus dictus, huius nefariæ coniurationis Pontificis nomine princeps deprehensus, & è palatii fenestris suspensus fuit. Papa grauiissimè ferens, quòd suum consilium non satis, ex animi quidem sui sententia processisset, arreptis suis fulminibus Laurentium, qui manum violentam sacerdoti iniecisset, excomunicauit, & bellum Florentinis indixit. eadè planè excommunicationis in Regem factæ

*Sixti IV.
Papæ exsecrandum
factum.
Volaterr.
Geogra.
lib. 5.*

Quæ Papæ causa est.

*ad excomunicandum
defuncti
Regem & e-
re impulerunt.*

Quoniam igitur Papa ex iis omnibus quæ profert, nullam omnino cum defuncto Rege ita indignè agendirationè iustam habuit: estimandum est eius rei causam aliò referendam esse. Certum est autem illum Hispano (quippe cui sua omnia accepta ferat) prorsus addictum & consecratum esse. Præterea pa-

tefe-

fecit omnibus necessitudinem arctissimam,
 rerum omnium consensionem & consilia, quæ
 eum Lotharingis huius regni hostibus habe-
 ret. quinetiam factionem toti regno exitia-
 lem ac perniciosam futuram vrget etiamnum
 & persequitur: ita vt suam in Venetos & alios,
 qui in scedere, quod cum hoc regno fecerunt,
 persistere volunt, iracundiam dissimulare non
 possit. Contra regnum hoc & pecuniam
 suppeditat, & consilia adhibet, & infestos mi-
 lites immittit. Arbitratus est igitur bullas
 suas aliquid etiam ad eam rem momenti ha-
 bituras, nec frustra hoc se facturum, si ad
 sua se fulmina aduersus Reges nostros eiacu-
 landa conuerteret. Ille ipse huiusce factio-
 nis & consilii est particeps & conscius, quo
 mutatio in hoc regno fiat, & sceptrum ad
 externos transferatur: hoc est, vt totius re-
 gni dissipatio per eum, quantum quidem in
 ipso erit, subsequatur. Recordatus est quid
 ponderis maiorum suorum excommunica-
 tiones & fulmina superioribus sæculis ha-
 buissent, tum ad Reges opprimendos, tum
 ad incendium, ruinam, & vastitatem iis re-
 gnis, quibus infensi essent, inferendam.
 Sua illa ira, & odio Hispanico quo Galliam
 nostram prosequitur, accensus, fulmi-
 na in nos Pontificia vibrauit, iis nos om-
 nes opprimere cogitans. Nulla profectò
 defuncti Regis, nec verò huius qui iam re-
 gnat, Principisque Condæi ab Ecclesiæ com-
 muniõne segregandi causa alia fuit. De- *Car demor*
 mortuo Regi diem dicebat, vt se illi intra *tuo Regis*
 quoddam tempus sisteret, aut suos saltem *diis à Papæ*
 delegatos ad ipsum mitteret, rationem *dicta.*

*Quam con-
tumeliose
Principi-
bus insul-
tarint
Papa.*

*Marc Hi-
stor.*

actionum suarum pereos redditurus. nempe
vt, quod ipsius decessores in Imperatores &
Principes, quos suis fulminibus cogebant ad
diem locumque præscriptum adesse, fecerunt
idem in demortuum Regem faceret. Fri-
dericus Barbarossa Imperator cum videret Im-
perium aduersus se concitatum esse, coactus
fuit ad Papam se conferre, seque illi commit-
tere. Papa illi imperauit, vt se ad suos pedes
proiiceret, eiusque ceruices calcavit: & verbum
cuiusdam Psalmi pronunciatum insolenter ex-
ultans, & gaudio triumphans dixit se Draco-
nem & Basiliscum conculcare. Henricus
III. illius decessor fulmine Pontificio percul-
sus, vt ille alter, coactus item est in Papæ Gre-
gorii VII. conspectum prodire. Papa iste tantum
parui eum duxit, vt in media hieme & quidem
acerrima, eum pro foribus suis cum vxore &
liberis per aliquot dies ad stare iusserit, ne allo-
quio quidem dignatus: idque fecit in ore ante
oculis totius Italiae, quæ tanta contumelia
vehementissimè indignata est. Alius item
Papa Clemens VII. multos Principum lega-
tos, quos Romæ habebat, præ stomacho, & vt
de iis, à quibus missi erant, triumpharet, car-
ceribus, & tormentis excruciatos, necari iussit,
vt literarum monumenta testantur. Danda
Iulius Venetiarum Dux ad Clementem V. pro-
fectus, vt ab excommunicatione contra Venet-
os facta absolutionem veniamque obtineret,
repulsam ab eo tulit, donec illius mādato cor-
quem collo indueret, & canis instar numelli
alligatus, moreque quadrupedum manibus
ac pedibus insistens, in Papæ cubiculo aliquot
spatia fecisset. Henrico III. Regi defuncto
die

dies etiam à Papa dictus erat, vt ipse Sixto se fieret, aut eius nomine legati, nempe ita omnino, vt cæteri fuerant, per triumphum recipiendi, & summa cum indignitate tractâdi. Quæ verò isthæc est temeritas & arrogantia: Galliarum Regè adeò potentem, in tot nobilissimos & magnanimos viros dominantem, suamquæ dignitatem omnem & amplitudinem vni Deo debentem in ius ita vocari, vt consiliorum & actionum suarum rationem ei reddat, qui non ita pridem caprarius erat, deinde Monachus, hodie verò infestus tranquillitatis huius regni hostis?

Admonitio ad Gallos de incommodis quæ consequentur, si tanta Papa, quantum sibi in Galliam arrogat, potestas concedatur.

CAPVT XVII.

HIC ego omnes genere atque animo Gallos appello, vt mecum futuras calamitates aduersosquæ casus considereret, si patiamur Papam eam in hoc regno potestatem atque auctoritatem vsurpare, quam sibi deberi contendit, quamquæ hostes illi dare conâtur, vt per eam ciues ad seditionem concitet, Principes mutet, & de regno pro animi libidine constituat. Horrendum est certè, & omnino lectu atque auditu nefandum, quod historiæ referunt de dissensionibus, bellis & perturbationibus, quas Papæ à sexcentis aut septingentis annis in ea loca inuexerunt, vbi auctoritate & potestate aliqua valuerint. voluit Deus, vt eius rei memoria

ria ad nostram vsque ætatem perueniret, quò ex aliorum euentibus, rationibus nostris prouideremus.

Postquam Papæ dominatum in omnes Ecclesias obtinuerunt, eundem quoque in imperia, regna, aliosque principatus obtinere uoluerunt. ut iam dictum est: summa illa, qua populi & Principes omnes Diui Petri sedem colebant, obseruantia ad suam tyrannidem stabiliendam abutentes: nec magno quidem negotio propter eam, quæ à multis sæculis in hominum animis de sedis illius dignitate insculpta erat, opinionem. Ne Imperatoribus quidem ipsis pepercerunt: quanquam Papæ à *Paparum in impera* Caroli Magni temporibus quicquid dignitatis & amplitudinis haberent, iis præcipuè uenirent. Sed cùm Imperatores inconfideratè, & præter id, quod Episcoporum officium deceret, ad tantum eos fastigium euexissent: iusto Dei iudicio euenit, ut in ipsos primum Imperatores immodicæ istius potentiamna perniciosique effectus reciderint: et arbitrarentur ei se malo diligenter prouidisse, Papasque sibi deuinctos & subiectos habere, quòd sanxissent Paparum electionem & constitutionem à sua ipsorum auctoritate pendere. Sed Imperatores, qui eos ita extulerant, hoc quoque addiderunt, penes Episcopos Romanos tanquam primos & honorarios hanc dignitatem auctoritatemque fore, ut Imperatoris nomen ab iis acciperent, quum Romam uenissent. Id uerò non erat postulare, ut ab iis Imperatores designarentur: nam Imperium aut successione aut alia ratione erant consequuti: sed hoc spectabant, ut

res ipsos
arrogatis.

Papæ

Papæ essent velut præcones quidam, quorum voce tales proclamarentur: non aliter quàm in antiqua Roma Consules anni superioris, quum è suo munere excederent, renuntiabant eos anno proximè sequenti Consules futuros, qui re vera populi suffragiis iam tales erant. Ad hæc religionis quædam species illic cernebatur, quæ hoc in Imperatoribus desiderium excitabat, vt in Ecclesia ita celebri, quasi in omnium oculis, in hanc dignitatem solenni ritu consecrarentur. Carolus autem Magnus eiusquæ successores Reges nostri, primi ad eam rationem viam hanc aperuerunt. Papæ verò hac occasione in rem suam vsi sunt, atque in animis hominum (qui hæc cum admiratione spectabant & audiebant) hanc spargere opinionem cœperunt, Imperii consequendi & administrandi ius à se pendere. Quemadmodum si in Gallia nostra quispiam disputaret regnandi ius à Remensi Archiepiscopo tribui, quod is ab aliquanto tempore in sacrâdis nostris Regibus, cærimoniis celebrandis præsit. Ille verò gladius fuit, quo Papæ armati bella contra Imperatores gesserunt, quod autem sibi aduersus Imperatores arrogabant, illud quoque ipsum in alios Reges ac Principes, quos Imperatoribus inferiores putabant, obtinere voluerunt. ea sunt, quibus decreta sua referferunt. Tantæ verò Paparum qua Principibus imperant, & totius orbis imperia ad suum nutum commouent, potestatis hæc origo est.

Papæ tantam, vti quidem existimabant, potestatem nacti, vt eam integram conseruarent, seqûe formidabiliores redderent, Ex-

*Excõnant
catia quor
sum à Pa-
pæ aucta.
com-
uenta.*

communicationum terrorem ad eam addiderunt, vt supra commonefactum fuit. Videbatur quidē hoc Imperatoribus admodum graue in ordinem cogi, & Paparum legibus ſubijci: eiſque rei diutiſſimē reſtitere. Sed religio & in Papas ſtudium ac reuerentia hominum animoſita occupauerat, vt coacti ſint Imperatores illis ſe ſubmittere. ſubditi ab omni fidei & obſequii iure ſoluebantur, & ad arma contra Principes ſuos capienda cōcitabantur: noui Imperatores à Papis eligebantur: liberi & patres inter ſe committebantur. hic ab vno Papa Romæ inauguratus, per alterum illius ſucceſſorem ab Imperio ſummouebatur, vix poſſet oratione exprimi quot quantaſque mala & calamitates hinc in Germaniam & Italiam inuectæ ſint. Quòd ſi Imperium non nihil à motibus & bellis recrearetur, Principesſque auctoritatem ſuam ſtabilire, & ſubditorum ſuorum in ſe amorem fidemque confirmare aggredentur: id cōtinuò ſuſpectum & inuiſum erat, Papisque formidini, ne Imperatores hac ratione viam ſibi ad priſtinam poteſtatē libertatemque recuperandam munirent. Idcirco Papparum conſilium hoc & axioma erat, ſibi quocumque modo eam Imperii conſtituendi, confirmandorumque in ſua dignitate Imperatorum rationem interrumpendam eſſe: idque conſequi ſi alia via non poterant, vnum hoc perſugium, vna hæc ſpes reliqua erat, Imperatoribus ipſis imperare vt mare traicerent, & in longinquis regionibus bellum cum Saracenis gererent, ſub pœna excommunicationis niſi obtemperaffent. Atque Imperatores perpetuò vexabantur, & in rebus ſuis gerendis impe-

*Excommu-
nicationis
terrore
quò neceſſi-
tatis Impe-
ratores ad
egreſſus
Papas*

impediebantur, cogebaturque Imperij prouincias Paparum cupiditati relinquere, in quibus suas negotiationes & commercia liberè conficerent, nulloque impedimento suas rationes aduersus Principum potentiam confirmaret. In his autem Principum terroribus & diuturna illorum absentia, addebant D. Petri patrimonio (sic enim loquebantur, & vbique religionis nomen obtendebant, vt omnium animos praestingerent, prorsusque obstupefacerent) addebant, inquam, ditioni dominationique suae modò hanc urbem, modò illam, atque adedò totos regionum tractus: quibus Imperatores istis excommunicationum fulminibus ita percussos, vt ne verbum quidem contra facere auderent, iniquissimè spoliabant. Alias prouincias sacrae sedis clientelares & beneficiarias efficiebant, quas postea in quemcunque vellent, transferrent. Caducaria sacerdotiorum (quorum dispensationem sibi attribuebant) commoda, seu vt vocant, beneficiorum Annatas vbique locorum imperabant. Ex quibus immensos thesauros in suum ararium congregabant, ad bellum iis, qui suam auctoritatem vel minimùm imminuere auderent, inferendum. Quòd si ne id quidem ad insatiabilem illorum auaritiam explendam satis esset: belli aduersus Saracenos suscipiendi praetextu, omnibus Christiani nominis gentibus, ne Gallia quidem nostra excepta, immanem & planè incredibilem pecuniarum exactionem imponebāt, armis & fulminibus suis semper instructi Principibus, qui subditorum intolerandis istis tributis vexatorum & penè exhaustorum miseratione adducti impedimentum iis ad-

ferre conarentur, excommunicatis. Sic Christianæ gentes suis opibus à Papis exuebantur: Imperij nerui continuis bellis intestinis elidebantur penitusq; incidebantur, regna diuebantur, & Principes mutuis bellis implicabantur: interim dum infideles Mahumetistæ in omnes orbis partes, fugatis inde Christianis Imperij sui fines proferebant. En Papparum facta. Tantus eorum irritandorum metus omnes inuaserat, vt nemo vel oculos tollere auderet. Nonnulli vt gratiam ab illis inirent, sua regna iis clientelaria seu feudataria & tributaria efficiebant, vt Tarraconensis, & Anglus: tantamq; formidinem istæ excommunicationes animis hominum iniiciebant, vt vix credibile sit quanta pecuniæ summa Fridericus II. Imperator ab excommunicatione absolutionem redemerit: & iam antea de alio Imperatore egimus, qui vt à bruto illo fulmine liberaretur, ad Papæ cuiusdam pedes se abiicit, ceruicemq; calcandam obtulit: idq; tantum cum indignitate, vt maiori nullus vnquã Princeps inter barbarissimas & immanissimas quæque gêtes affectus fuisse dicatur: alioqui actum de Imperio erat.

*Papparum
ambitio
quos mala
Gallis in-
uexerit.*

Hic ceteræ omnes nationes cedant nostræ oportet, atque ingenuè agnoscant eam vnã Pontificiæ tyrannidi se opposuisse, & effrenatæ istius ambitionis cursum abrupsisse, quantumuis & minæ & fulmina aduersus aliquot Reges nostros adhibita sint, et si maiores nostri non fuere ab iis calamitatibus, quas Papæ toti Christianorum ditioni inferebant, vique quaque immunes. Illi enim suis artibus & consilijs Reges nostros bellis suæ dignitatis augen-

augendæ ergo susceptis, sæpissimè inuoluebant, atque alia regna in eos concitabant, si quid de Principum nostrorum religione vel consiliis suspicarentur, aut si feliciorum in rebus eorum gerendis successum metuerent. Quoties in excommunicandis nostris Regibus, & regno primo occupanti obiiciendo, enixi sunt vniuersa plerorumque aliorum Principum conspiratione à se conflata, & eos & eorum subditos funditus perdere? quid ex maioribus nostris reliqui iam haberemus, nisi Deus huius regni custos & vindex fulminum eiusmodi effectus remoratus esset? quo studio & animo Anglis affuerunt ad comparandum sibi hoc regnum? Annon ipsis ludus fuit Reges nostros amplissima spe proposita in Italiam allicere, & eos partis victoriis, locisque multis in suam ditionem redactis, ubi huius regni ærarium viresque totas consumfissent, non deserere solum sed contrariæ factionis duces se profiteri, ut per eam expellerentur? Quàm multo sanguine, quàm multis etiam opibus Sicilia, Regnum Neapolitanum, & Ducatus Mediolanensis Gallix nostræ confiterentur? Quis fuit vesperarum Sicularum caput, auctor ac procurator, in quibus nostra natio cum tanta strage & ignominia trucidaretur? Historiæ præcipuam harum iacturarum & cladum causam solis Papis attribuunt. Ac, ne rerum præteritarum ultra centum annos exemplarepetamus, Papparum Alexandri VI. & Iulij II. in excommunicandis Regibus nostris cum aliis, tum studiosissimo sui populi patre Ludouico XII. furores, & recetioria huc memoria Iulij III. insanix quot ruinas huic regno attule-

attulerūt? quis Christianos ætatis nostræ Principes in bellis tam diuturnis tamq̃ cruentis a-
luit & exercuit? quis ea, quum penè sopita vi-
derentur, de integro accendebat? Vllumne
bellum extitit, cui Papæ non interfuerint, nec
pacis quidem internuntij & deprecatores, sed
in primis armati, nunc harum nunc illarum
partium fautores, cūm fidem operamq̃ suam
Principibus venalem proponerent? His etiam
temporibus quis in omnibus Christiani nomi-
nis populis discidia & bella ciuilia spargit, &
alit?

Dei autem beneficio ex historiis cognita
hec habemus, satisq̃ multa hisce oculis nostris
videmus, ex quibus sapientiores fiamus, do-
ceamurq̃ quid de Papis sperare possimus, si
eos curare nostra tractareq̃ patiamur. Qui
Respubl. & imperia conseruare cupierunt, ea
multò antè prouiderunt quæ rerum mutatio-
nem afferre solent, vt ab iis sibi cauerent: non
aliter quàm ij qui de valetudine sua conser-
uanda laborant. illi verò nihil tam pernicio-
sum inuenerunt, quàm id quod ad Principum
à subditis, & subditorum à Principibus ani-
mos ab alienandos faceret: quo factionum &
dissensionum semina inter eos spargerentur,
turbarumq̃ & commotionum occasio quo-
cunque modo daretur. At quæ regno securi-
tas esse potest, si eum admittat, qui his venenis
nempe Principis auctoritatem euertendi, vo-
luntates subditorum ad defectiones conci-
tandi, & finitimos quocumq̃ libitum fue-
rit ad coniurationem conuocandi potestate
facultateq̃ instructum se esse ostendit? qui ho-
die amici animum vultumq̃ simulabit, cras
verò

*Rerums
publ. & im-
periorum
p. ftes.*

verò & se & regnum totum hosti venale exponet? Dicitur quidem id religione fieri, atque Ecclesiam sacramque sedem semper in ore habebit. At eò diligentius nobis cauendum. Si Papalis re vera ex Dei decreto esset, qualis haberi vult: omnia ad Dei voluntatem facta illius beneficio prosperè semper cederent, ideoque imperiis salutaria essent, eiusmodi est sacri Evangelij ministerij per Christum institutio, itemque Episcopi & Pastoris, si sua munera probe obeant. At si aliter sit, & in regna ac ciuitates admittantur ea, quæ Deus minimè probat: nihil inde boni sperandum. neque enim prosperè quicquam procedere potest, quod Deus auersatur & damnat: siquæ id & Dei & religionis nomine veletur, eò vehementius inde irritatur. Si igitur Papæ ex sacra scriptura probarent, hanc esse Dei voluntatem vt pro suo eoque summo iure possint omnibus totius orbis regnis & principatibus imperare, & in iis quidlibet pro animi libidine constituere, Reges à regni gubernaculis submouere, populos ad defectionem cõcitare, à fide & obsequio eos vindicare, idque eò potissimum nomine, quòd Romani sint Episcopi: rectissimè quidem & merittissimò ad illius nutum arbitriumque omnia cõferrentur. Sed vbinam tanta hæc potestas illis in sacra scriptura data est? quando Apostoli regnorum rerumque publicarum aut curam aut administrationem susceperunt? vnde constat eos in animo vnquam habuisse res humanas tractare, quod vnum Papæ hodie agunt? An non multis in locis nominatim hoc vetitum extat, vbi Christus & præceptis & admonitionibus interdicat ne id fiat? Papam igitur, qui

Matthi 17.
& 18. & 20.
&c.

tantam sibi contra Dei voluntatem & præcepta res humanas tractandi, omniaque sub religionis nomine mouendi mutandiq; potestatem sibi arrogat, in regnum aut imperium aliud quod admittite: eum profectò qui dira & infausa omnia, certissimamq; regni pestem secum adfert, admiseritis. Et hæc quidem miseriarum & calamitatum in locis omnibus ubi tanta hæc potestas concessa est, caussa vna fuit: Deo nimirum, vt ostèderet quantopere eo abusu offenderetur, iusta sua iudicia in Principes & populos, qui eam vltro recepissent, exercente. Nunc igitur post tot, quæ inde acciderunt, mala, ecquid scaperemus si Papæ locum, vti quidè & optat, & captat, aliquè in hoc regno daremus? Nimis ià multa est ausus, quū, vt suas tragædias in hoc Gallia nostræ aliunde sic vexatæ theatro ageret, à Regum nostrorū excommunicatione & exauctoratione fuit auspicatus.

*Primam
in Gallia
auctoritatem
quomodo sibi
Papa arrogat*

Quum Papa Sixtus ad nos suas primùm bulas, deinde suos legatos mittit, ad id à coniuratis sollicitatus: primam sibi in hoc regno auctoritatem innuit, vt ne quis alius præter eos quos ipse voluerit, in eo dominatum obtineat: vt possit euehere, mutare, summouere vel eum, quem paucis antè mensibus nobis ipse maximè Catholici & Christianissimi nomine decorauerat, veluti defunctū Regem. Hoc etiã sibi sumit, vt ad minimū eius verbum, ad nuntum etiam omnes ad arma concurrant, vt omnne iusiurandum, omnisq; fidelitas cessent, vt bello infesto nos mutuo prosequamur. En quò nos perducere iam pridem cepit, hodieque ad hoc etiam toto pectore studioque incumbit, vt impediatur ne de redeundo in gratiam

tiam cum Rege quem Deus nobis præfecit, nobisque illi subiiciendis vel tantillum cogitemus. Huc nempe res spectat & proculdubio recidet, ut si diutiùs illi morem gesserimus, perpetuis inter nos dissensionibus & discordiis agitemur, atque intestinis odiis, dirptionibus & cædibus nos nostraque omnia dilacerare non desinamus, donec funditus interierimus. Quum verò hanc Reges nobis adimendi vel dandi pro arbitrio potestatem habebit, non eos iam nec ex lege regia, nec ex stirpe regia habebimus, quales Deus antea huic regno semper dedit. subvertere autem hoc erit fundamenta quibus hoc regnum sustentum contra omnes omnium ætatum iniurias, totque casus & impetus tandiu stetit & floruit. præclarum etiam ordinem perturbare hoc erit, propter quem aliæ nationes regnum hoc sapientissimè constitutum, & aliorum omnium longè felicissimum esse iudicant. Hac verò sublata columna, cetera non valde firmæ diuturnaque futura sunt, peregrina in hoc regno potestate & auctoritate constituta, ex qua eadem omnino mutatio regno impendet, quandocumque illi visum fuerit. Maiores nostri præclare secum agi, quòd sibi Reges ex ea successione contingerent, senserunt: & se re ipsa experiri eum ordinem Deo gratum, sibi faustum fortunatumque esse, semper prædicarunt: quum interim Germanorum, Polonorum, & aliarum gentium imperia, aut interreguorum, nouarumque electionum incommoda, aut potentiorum tyrannidem sentirent. quare nunquam eò vlla omnino ratione adduci potuerunt, ut eum tam sapienter institutum tamque

*Quid tandem consequatur?
Papa mos geratur.*

Legum fundamentum regni subuersio.

*Peregrino
rum domi-
natus.*

tamquæ utiliter obseruatum ordinem mutare voluerint. Eo autem mutato, pristina felicitas non ampliùs erit. Peregrinos quoties Papæ ita libitum fuerit, in throno sedere videbimus, cogemurq; vel inuiti Regum nostrorum legitimorum interfectores esse, aut saltem arma capere, quibus eos eiiciamus, iisq; alios, & quidem, quod omnium grauissimum & indignissimum est, inueteratos huius nationis hostes, quando nobis à Pontificibus imperatum fuerit, substituamus. Sub hac verò tanta, quæ de re omnium summa & præcipua ita constituet, potestate, quam tandem cæteris in rebus ordinum auctoritatem fore putamus? vbinam illa huius Monarchiæ maiestas olim tam præclarè constituta, & florens iam extabit?

Principum ac nobilitatis depressio

Viâ autem ad Regiæ familiæ mutationes & vicissitudines hoc modo per istam Paparum potentiam apertâ, non melior futura est aliorum inferiorum Principum, illustrissimorum virorum, & reliquæ nobilitatis familiarum conditio. gens enim Regia est velut punctû ad quod se aliæ omnes referunt, itemq; vinculum, quod deuinctæ & constrictæ tenentur: denique fundamentum & adminiculum quo se sustentant & nituntur. Ea igitur, per mutationem, quam Papæ coronam in alios transferendo inuenerint, sublata: necesse erit, vt suâ ruinâ cæteras omnes in eandem secum calamitatem trahat, atque maximas rerum mutationes & conuersiones in minimis etiam familiis efficiat. Huius autem rei exempla nobis historiæ satis superq; suppeditant. Nam qui modò fuerint ad honores euecti ij primùm in suo se statu confirmare, dein alios etiam, qui de sua dignitate pen-

pendeant, erigere studebunt. illi verò non poterunt erigi, nisi illis, qui antea honores illos obtinebant, depressis. nouis autem illis, & qui momento emerferint hominibus, quicquid antiqui status restabit, suspectum iniustumque erit. Sic grauissimas & prorsus horrendas Principibus nostris, totique nobilitati mutationes imminere certum est.

Papa sceptro Regio aliquem ornans, id sibi Galearum
regnum Pa-
pis clientelae ac
feudataria-
ritate uni acceptum ab eo ferri uolet, cumque sibi eo nomine obnoxium esse. Quod si ille sceptro se instructum uidens putet se auctoritatem suam habere, neque ex Papa in rebus & locis omnibus pendeat: statim excommunicabitur, ipsique sede sua moto alter succedet. Ut & in Italia id euenit, & aliis in regionibus in quibus Papae sibi hanc auctoritatem conciliauerant. At regnum quod his quotidianis mutationibus expositum est, certa ac diuturna quiete nunquam fruetur. Tandem Reges habebimus Paparum clientes, ac proinde regnum iisdem clientelae ac feudatarium. Hoc autem illis concedere est, quod iam dudum contendunt, quodque ut obtinerent, omnia olim aduersus maiores nostros experti & aggressi sunt: sed frustra id, fulminibus suis licet adhibitis. Quod si Regnum illis est clientelae & beneficiarium aut titulum, aut re ipsa: id iuris omnino consequuti fuerint, quod se dudum in Sicilia, Neapolitano regno & aliis consequutos esse putant: & ea quidem lege atque conditione ut sibi quiduis inteo licere, susque deque uoluerit ac reuoluerit omnia posse arbitrentur, illud modò in Germanos, aliquando in Hispanos, nunc ad quamlibet aliam nationem transferentes: quemad-

O

modum

modū de iis de quibus modò diximus, nō sine indignis & luctuosis calamitatibus, quas nobis historię cōmemorāt, idem omnino fecēre. Atque etiā eō confidentiūs ea tanquā sibi clientelaria constituere, & Principum quoque ipsorum, tanquam clientum caput petere audebunt: quo sanè modo illud ipsum sibi in Anglia vendicant, nescio quo iure, quod iis aliquando nimis inconsultò concessum est, fecerunt. *VI* breuiter dicam, pro inexplebili illa, quę in Papis cernitur, auaritia, cū etiam necesse sit, iis, quorum mercenariis & venalibus suffragiis Papę designati sunt, satisfacere: cumquē in animo habeant genere propinquo opibus & honoribus cumulare, Principum ad eō nomine dignitatequē ornare: cū etiam illis hoc propositum sit, quantum ad explendas voluptates, & sumtum magnificentiamquē plus quā regiam fouendam & ostentandam satis sit, tantū habere: pro sua illa, inquam, auaritia, non iam contenti erunt simplicibus Annatis, & vsitatis sacerdotiorum fructibus, sed iis ad suum arbitrium vti abuti volent, vt alibi fecerunt: ita vt Regibus nostris ad priuilegia nostra conseruāda ne hiscere quidem per eos liceat. Quinetiam periculum est, ne eō auaritię & audacię veniant, vt velint de singulis ædibus tributa exigere, vt quondam in Anglia, nec tanta quidem occasione idem ausi sunt. Nempe erga hospites suos, hoc est regna Resquē publicas & imperia, quę illis dignitatis & potestatis aliquid in se dederunt, sic se planè gesserunt. sic nos etiam ad eundem modum in seruitutem miserē afferemur.

Tyrannica tributo- rum exactione.

Hæ mutationes conuersionesque rerum ab hoc aliquando, ab illo interdum Papa pendunt: vt etiam sacra hæc sedes Dominum sæpe mutare solet. Atque vt varia sunt hominum ingenia & studia, regnum hoc illis subiectum, huic quoque omni animorum & consiliorum varietati subiectum erit. Vnus Regem, quem nobis dederit, amabit: Papa alter proximus illum odio habebit, reiectisque omnibus decessoris sui actionibus, alium nobis ex sinu suo constituet. Rei perficiendæ facultatem promptam & paratam habebit, nempe Excommunicationem: nullusque erit, qui in Papalem illam sedem euectus non putet tantum se iuris in hoc regnum habere, quatum antecessor habuerit, illudque hisce mutationibus experiri volet. Quando in suis illis affectuum motibus componendis inter se consenserunt? quot bellis sese mutuo aggressi & persequuti sunt? quoties recens electus in mortuum insaniit, acta illius omnia rescidit, capitale odium in eos qui ab illo steterunt suscepit, decessoris sui cadauer feris deuorandum proiecit, nec, vt ossa ipsius in sepulchro placidè quiesceret, ferre potuit? id verò in iis quæ de ipsorum vita confecta sunt, historiis scriptum extat. Quum igitur nos Papis subiicerimus, iis quoque omnibus perturbationum æstibus, volutatibusque dissimilitudinibus subiiciemur. Annon Germanorum imperio aliquando: Sicilia verò & aliis Italiae prouinciis semper euenisse hoc constat? quoties maiores nostri certam sibi sedem in Italia, statumque Patris beneficio esse putabant, quo mortuo successoris consiliis & artibus illinc expellebantur?

*Paparum
in Rege e-
ligendo di-
sciduum*

*Non in-
dies exa-
ctones.*

Quòd si Paparum mutationes non semper
hasce Regibus nostris mutationes afferent, ca-
tera tamen onera nihilominus vitari minimè
poterūt. neq; enim quisquā vel mutire, Deosq;
istos offendere audebit. Papa igitur moriens
hoc regno omni auro & argento suis exactio-
nibus & artibus sub religionis nomine exhau-
sto, successorem sibi relinquet tenuissimum &
inopem ex caula, & hircorum caprarumque
stabulis profectum (qualis est hic Sixtus) qui
tempore & occasione oblata vti volet, nouaq;
nobis onera imponet, quibus reliquas nostras
facultates exinaniat. illud profectò eueniet.
Ne verò putemus quādo Papæ cū huius regni
coniuratis tam bellè cōuenit, quin, vt hi finem
sibi aliquem, quò sua consilia referunt, propo-
situm habent: sic ille spe etiam aliqua nitatur
& confidat. Quum Reges nostri summam in
suos auctoritatem & imperium tenuerunt, vis
potuerunt subditos suos ab ipsa Paparum aua-
ritia vindicare, sæpius ad arma eam ob rem il-
lis veniendum fuit. quòd si de rebus nostris
pro arbitrio in posterum constituendi pote-
statem illis dederimus, quid inde nobis spe-
randum putamus?

*Gallorum
misera ser-
uitas.*

Non solùm autem omnibus miseriarum
generibus per has mutationes circumuenti &
irretiti, sed turpissimè etiam mancipati eri-
mus, idquè cum dedecore ac probro, quod
maximè omnium fugere debemus. Nos Fran-
ci sumus, maiores nostri multo sudore & san-
guine integræ libertatis nomen iuraquè, per-
petua temporum serie ad nos vsque transmi-
serunt. Sunt quædam gentes ad hoc nate, vt
primis quibusque qui ferulam ostentant, fer-

seruiant, Franci, ingenui & genere & natura sumus, non vt alij nobis imperent, sed vt nos alijs imperemus nati. Prisci parentes nostri seruile iugum sibi à Romanis, nec tam armis quam artibus & fraudibus impositum primi à ceruicibus excusserunt, alijsque populis, fracta imperij Romani potentiâ, viam ad sese in libertatem vindicandum aperuerunt, ac postea in illis nationum septentrionalium eruptionibus & effusionibus illi penè soli subriterunt, statumque suum integrum ac liberum conseruarunt, cum interim Africani, Hispani, Itali, & alij iugum subirent, & à Barbaris illis legesque suas, Regesque suos acciperent.

Iam itaque videndum nobis est, utrum nos tanta gloria à maioribus nostris decorati pati debeamus, vt frenum nobis iniiciatur, & externi summam se in nos potestatem obtineant, nobis imperitent, & de regno nostro, rebusque ad regnum pertinentibus suo arbitratu constituent. Quòd si bellica necessitate id fieret, (vt bellicosissimis & victricibus nationibus aliquando accidit, nescio quo vicio vinci, & ad obsequium redigi) minori certe dedecore id fieret. Maiores quidem nostri Imperio Romano se submittere coacti sunt: sed hoc idèd eueniebat, quòd Deus in nationum etiam ipsarum vtilitatè, imperium illud rationibus sapissimè extraordinarijs confirmaret: nec prius tamen Romanis cesserunt, quam prostratis & focus nouem aut decem totos annos forsime pugnassent, illudque fateri necesse est, vt artes & doli ad ciuitates nostras à se ipsis, à Romanis Alpes maximo cū suo dedecore

Admonitio ad Francos & Imperatorum gloria memoriam libertatem moribus retineant.

*Quis ille
hostis qui
Gallorum
libertati
insidietur.*

remetiendos fuisse. Verum nihil iam eiusmodi est. Non est amplius imperium illud in toto terrarum orbe reip̄sa, vt olim, dominans, quod nos sibi subiicere ac mancipare cogitat & audet. non amplius est ingens illa terrarum populos calcans & obterens Bestia, quæ nobis hunc timorem iniicit. Qui hoc consilij aduersus nos ceperunt: in totum terrarum orbem imperij, nominatenus, summam habet, & iuris inanem omnino speciem. Maxima Christianarum gentium pars seruitutis iugum à noua Roma sibi denuo impositum exiit. illius bestia, quæ reuiuiscere cupit, & vulnera sua libertatis nostræ detrimento sanare conatur, vana tantum imago est. Arma quibus nos perterrefacere voluit, bullæ sunt, sunt apine tricæq; & siquid vilius istis: meræ nugæ, inanis fumi vmbra: membrana duntaxat, fulmina & excommunicationes: bruta in quâ fulmina, & panicum timorē adferetia tonitrua. quia enim non sunt Dei verbo decretæ excommunicationes, idcirco nihil est in iis quod Deus comprobet, ratumque habeat, vt iam dictum est. Ed tamen tendunt, vt Reges nostros à regni administratione sum moueamus, immo & cum ita imperatum nobis erit, occidamus vt vrbes nostras, ad primum membranarum suarum crepitum, ciuium nostrorum sanguine & trucidatione compleamus: vnde viribus & viris per hæc intestina bella exhausti, hostium dominationi ac libidini pateamus, & in probrosissima turpissimaq; omnium seruitute iaceamus.

Roma parumque

Nempe Roma est, quæ merum hoc imperium

rium in nos vsurpare contendit : que toties à Barbarorum dominatu per maiores nostros erepta, libertatem suam nobis acceptam ferre debet: quæ olim, dum in nostra fide & clientela erat, nostris legibus mandatisque obtemperat, beatissima sibi esse videbatur. Roma est, quam nostri Reges non semel in libertatem asseruerunt, & ab imminenti ruina liberarunt. Papæ ipsi sunt, qui nostris & Carolis & Ludouicis, & aliis Regibus Gallicis debent, quicquid splendoris & dignitatis habent: qui contra Lombardos & Germanos, à quibus alioqui centies oppressi fuissent, vnicum ad nos perfugium habebant. Illi ergo, qui opera beneficioque nostro habent, quæ habent omnia, hoc maxime agunt vt sibi clientes ac subditi simus. illi, quos ad tantum dignitatis gradum extulimus, nos conculcare & pessundare volunt. illi, quibus per nos sua est restituta seruataque libertas, nostra nos libertate omnino exuere conantur. Nempe eos qui semper imperarunt, aliosque in suam fidem clientelamque receperunt, seruire necesse erit. at id longe omnium indignissimum est, & omnium longe turpissimum.

Si verò ita molles & ignaui (quod Deus pro sua bonitate minimè patietur) atque libertatis eius, quæ nobis à maioribus tradita est, satietate ac fastidio affecti ita essemus, vt seruiendi, nosque aliis subiiciendi desiderio teneremur: certè satis esse videretur vni nos tantum subiicere. At quum nos nostraque omnia ex Paparum arbitrio & libidine pendeamus: perpetua erit regni, rerumque illius mutatio: hæcque modò,

Rom. in Gallos ingratisudo.

Quæ mala non à Papa tantum, sed ab Hispano etiam impendant.

Illa deinde natio imperium in nos obtinebit.
 Ea est enim hodie Papatum conditio & status,
 vt & Italia & Hispania in nulla alia re maiorem
 curam operamq; ponant, quam in noui Papatum
 cuius auctoritate ad suum nutum vtantur
 fruuntur, designatione, in id autem incum-
 bunt maximè, nequis ex Gallia eligatur, illud-
 que omnibus notum & manifestum est, quibus
 artibus & rationibus ad Papatum contenda-
 tur, & quanta pecunia illuc ad comparanda ho-
 minum suffragia conferatur, ob id profectò
 vnum, quod Papatum sibi deuinctos, suorumq; co-
 filiorum administratos habeant: ita vt Papa qui-
 dem agat, sed alius eius actionum sit auctor &
 moderator, nepe is Princeps qui eum ad am-
 plitudinis tantæ culmen euexerit. Itaque Papatum
 subiecti erimus, sed re vera nunc huius, nunc
 illius Principis clientes & mancipia. Sixtus V.
 hodie Papa, Hispaniæ Regis, apud quem edu-
 ctus & altus fuit, totus manifestò est: totus est
 ab illo fictus & compositus. Quum has turbas
 facit, & suam auctoritatem summam in medio
 hoc regno constituere conatur, Hispanus ve-
 re id facit & conatur. quum sua fulmina in no-
 stros Principes vibrat, quum eos regio scepro
 abdicat, quum legatum in Galliam mittit, qui
 alium sufficiat, qui sacri consilij sit Princeps:
 quum bella intestina, quæ nos propè totos ab-
 sumere, inter nos fouet: Hispanus hæc omnia
 verè agit, qui hoc regno suæ monarchiæ ad-
 iuncto, suam potentiam constituere & con-
 firmare studet. Consilia quidem Romæ ar-
 gitantur, sed decreta & mandata ex Hispania
 primùm, deinde ex hac infesta conu-
 fatorum, (qui nostras iam vrbes tradunt,
 noste

nosque ipsos Hispano pro virili quidem parte produnt) lue & colluie manarunt. En miserrima illa conditio, ad quam nos, nisi mature prouideamus, pertrahere cogitant. Hispania infensa est & capitalis regni nostri hostis. quicquid bellorum à centum annis gessit, eo maxime consilio gessit, ut nos inuaderet, & eò loci redigeret, quò ceteros, qui illius imperio parent, populos redactos videmus, nempe ad miserrimam & immanissimam omnium seruitutem, siue oculos in Indos coniciamus, siue, quod propius à nobis abest, in Italiæ & Belgii prouincias intueamur. Maiores nostri id acutè viderunt, & vnà cum Regibus nostris, nec fortunis, nec vitæ ipsi pepercerunt, ut superbissimum & acerbissimum istud Hispanicum iugum à se depellerent, & aduersus gentis illius arrogantiam barbariemque, libertatem auitam sartam tectamque retinerent. Quinetiam gentem ipsam iam dudum domuissent, nisi coniurati hostes in nostro sinu alti, dum in hæc ciuilia & calamitosissima bella nos ab annis triginta coniciunt, præclaras eius rei perficiendæ opportunitates nobis eripuissent. Si verò Papæ libidini subiecti simus, certè miserissimi, in Hispanorum (nullo ipsorum sudore & sanguine) ditionem veniemus. Hæc autem sunt grauissima & certissima, quæ Galli hic perpendere metueretque debent, pericula.

Nec religione, nec vlla alia re ad Paparum excommunicationes recipiendas, & ad eam, quam in hoc regno appetunt, potestatem admittendam nos cogi.

CAPVT XIIX.

QUum ita de Pōtificibus Romanis loquor,
 illud omnes scire velim, nullo id nec pri-
 uato odio, nec Religionis contemptu à me fieri,
 seu quòd ego minùs quàm reliqui, aliquid cō-
 tra ea quæ Deus nobis præcepit dicere, aut fa-
 cere metuam. Si Papa Romanus veri Episcopi
 officium faceret: si intra muneris sui terminos
 consistens, gregem suum Euangelii annuntia-
 tione regeret & pasceret: si modestiæ, rerum-
 quæ omnium humanarum contemptus, pie-
 tatis & Dei timoris exemplum nobis esset: de
 eo certè nihil nisi perhonorificè dicerem, ac
 censerem vt Gallicana Ecclesia arctissimo ne-
 cessitudinis & communionis vinculo cum
 Romana præclarè ad hunc modum instituta
 coniungeretur, indequæ optima disciplina, &
 recta, quæ in ea inuenirentur, consilia sume-
 rentur: sicut Ecclesiæ Romanæ initio, quum
 illius fides vbique gentium spectata & nobili-
 tata erat, vt D. Paulus hoc eam testimonio or-
 nat, id factum fuisse constat. Quòd si Roma-
 nus Episcopus his præditus moribus de Regi-
 bus nostris tam bellè mereretur, vt Reges no-
 stros suorum erratorum per literas commo-
 nefaceret, atque ad eò, quum opus esset, Dei iu-
 dicia illis annuntiaret: Regum nostrorum par-
 tes essent illi ea de re gratias agere, & pias salu-
 taresq; illius admonitiones amicè libenterq;
 accipere, illiquæ dicto audientes esse. Verùm si
 Papa aliter omnino se gerit, eoquæ cæcitas &
 temeritatis venit, vt summam in omnes & o-
 mnia auctoritatem atque potestatem, quæ vni
 Christo à Patre cœlesti tributa est, sibi arroget.
 si pro spiritali verbi diuini gladio, gladium
 huma-

humanum armaque gestat: si populos & Principes, quos ad concordiam exhortari debuit, in bellum conicit: si Reges nostros exauctore & ab imperio summouere, nos omnibus fidelitatis & obsequii officii exsoluere, ad arma in eos capienda concitare audet: si in hoc regno summum imperium obtinere, nostramque nobis libertatem eripere, & nos in altissimum miseriarum barathrum detrudere manifestè cupit ac tentat: ego sum Gallus: maiorum meorum recordatio, patriæ amor, libertatis pretium, mea in Principem meum obseruantia cogunt me tanta voce contendere, atque omnes verè Gallos ciuesque meos appellare & implorare, vt & probro, & exitio, & seruituri, quam coniurati nobis machinantur, diligentissimè fortissimeque se opponant.

Quumque dixerò pietatem religionemque id de omnibus requirere, alioqui nos in graui noxa apud Deum futuros, vera certè dixerò. *Quantum honoris & reuerentia*
 Scio equidem quantum honoris, reuerentiæ & obedientiæ iis, qui animarum nostrarum *reuerentia*
 curam atque procuracionem etiam habent, *seruis Episcopis de-*
 ex Dei ipsius mandato debeamus. scio & *beatatur.*
 Christum de Apostolis suis & eorum succes- *Matth. 10.*
 soribus verba facientem dixisse, *Qui vos reci-*
pi, me recipit, qui vos reicit, me reicit. Sed qui *loh. 13.*
 honorem in eiusmodi homines præcipit, idem quoque vt Regi honorem obsequiumque tribuamus, præcipit: pacem & concordiam nobis præcipit: vult item vt libertatem, quum eam nobis largitur, caram habeamus, quippe donum ex multis aliis non minimum,
 vel

vel potiùs, in rebus quidem ad hanc vitam degendam necessariis, summum. Naturales affectus illi grati sunt, ab eo etiam præcipiuntur, vt inter ceteros patriæ amor: hæc autem omnia rectè fieri vnà possunt, (si modò in suo quisque loco manere, & munere suo fungi velit) nempe & Principes, & Episcopos, & Pastores, quos Deus nobis præficit, honorare simul atque amare. Sed quoniam de religione iam agitur, & quod Deus præcipit, præstandum nobis est: quum Episcopus Romanus sub religionis & honoris, qui veris Episcopis debetur nomine, ea nobis quæ cum Dei mandatis pugnant, contra Reges nostros, contra patriam, & nos etiam ipsos imperat: in quo tandem & nostra religio, & nostra in Deum obseruantia, & recta nostra conscientia tunc extabunt? Nunquid in vllius omnino hominis potestate est Dei mandatis parendi necessitate nos liberare? nonne cautum nominatim sancitumq; est, Deo esse potiùs quàm hominibus parendum?

Act. 4.

Nec verò nunc primùm ii, quos Deus in Ecclesia cum auctoritate præfecerat, madata Dei mandatis contraria dederunt. Deus tempore Ieremię Iudęis præcipiebat, vt Nabuchodonozori Chaldęorum Regi se submitteret. at summi sacerdotes qui præcipuo in Ecclesia muneriti tunc præfecti erant, cõtrarium omnino præcipiebant, & Ieremiam acriùs persequebantur, quòd diceret Deo obtemperandum esse, & Chaldęis se subiiciendum. Apostolorum temporibus iidem sacerdotes summa illa quam obtendebant auctoritate confisi, planè contraria Christi præceptis tradebant. Honoris igitur

igitur, qui Ecclesiæ ministris debetur, ratio id. *Ecclesia*
 ne obtinebat, vt obediendum ipsis esset, ac nō *ministris*
 potiùs Deo? Nullum autem hîc & sacerdotum *quatenus*
 & Paparum discrimen statuendum est. Papæ *parvulus*.
 homines sunt & Deo inferiores, vt & summi
 sacerdotes erant. hi se Ecclesiæ ministros & in
 suprema dignitate constitutos esse dicunt: illi
 idem quoque dicebant, & quidem iustiùs. Si
 verò in suis muneribus illi grauitèr peccabant:
 Papæ etiam iis nec sanctiores, nec puriores re-
 perientur. Nonne caussa idonea est id ad-
 uersus Papas vsurpandi, quod aduersus illo-
 rum præcepta vsurpabatur, nimirum, si Dei
 mandatis repugnant, vt Deo potiùs quàm Pa-
 pis mos geratur? Papæ nobis primùm ex sacra
 scriptura ostendant hanc Dei mentem volun-
 tatemque esse vt subditi à suis Principibus de-
 sciscant, & arma seditiosè alii in alios capiant
 & cum primùm Papæ ea solo verbo impera-
 uerint, nulla omnino cuiuscunque ratio, nulla
 commiseratio, nulla mutua caritas, nullum
 humanæ societatis vinculum eos coerceat: tū
 demum probi & religiosi viri Paparum aucto-
 ritatem defugere meritò verebuntur. Verum-
 enim uero quando nos omnes coram Dei tri-
 bunali sistendi sumus, si manibus ciuium, atq;
 adeò Principum nostrorum sanguine cruen-
 tis eò accedamus: quomodo nos culpa pœnaq;
 liberabunt, ac iudicii euentum præstabunt,
 quum Deus quod verbo suo cauerat & sanxe-
 rat, nobis proponet, tranquillè nobis in Prin-
 cipum nostrorum fide & obsequio manèdum
 fuisse?

Quòd si Papis hanc in nos auctoritatem v-
 surpare, obedientiæ officiis nos liberare, & ad-
 uersus

uersus Principes nostros concitare, nulla religio est: nec nobis religio, Papis parere. Sed contra, si nihil Christianorum religioni re-
 ctæque conscientiæ magis repugnat: non magis religio erit, excommunicationes quas Papæ ad nos eò compellendos adhibebunt, metuere. Paparum quidem hic scopus est, dextram suam hisce fulminibus armatam ad omnes terrendos è sua cathedra populis ostentare. & postremis Paschæ feriis ex Cleri mandato, rudis plebecula Sacramenti Eucharistiæ communionem priuabatur, nisi se bellum cum defuncto Rege gesturam subsignaret. Sed iam docuimus, ista omnia excommunicationum fulmina nullo modo metuenda: Deumque furorum & insaniarum hominum, qui vanis hisce terroribus timidæ conscientias ad ea faciendâ quæ cum officio pugnant, impellere vellent, minimè ad ministrum esse. Quædiu Dei voluntati obtemperabimus, recta nostra conscientia aduersus eiusmodi fulmina scutum nobis firmissimum erit: siquæ nobis homines maledixerint, eorum maledicta nobis apud Deum honorificè feliciterque vertent. Atque illud ad eos, qui & Paparum & sacre sedis nomine permoueri possent, confirmandos satis erit.

Quod si iis, quæ hæcenus ea de re usurpata semper fuerunt, tanquam fundamento niti oporteat: id profectò fundamentum hæc firmissimum comperietur. neque hæc commemorabo Germaniam, Angliam, Scotiam, Daniæ, Heluetios, & alios, qui Paparum excommunicationes, quas singulis annis contra eos repetunt, ludibrio & contemptui habent,

*Paparum
 excommu-
 nicationes
 quàm par-
 ui sint fa-
 cienda.*

bent: quorum conditio non modò deterior
 idèd fuit, sed etiam contrà profitentur nun-
 quam meliùs quibuscunque in rebus secum
 actum esse, ex quo de Paparum dominatu
 & potestate exierunt. Eos ergo prætermi-
 tam, eaque tantummodò persequar, quæ
 multò ante Lutheranorum tempora conti-
 gerunt. De Imperatoribus etiam & permul-
 tis aliis præter nostrum regnis & prouinciis,
 quæ Paparum excommunicationes respue-
 runt & irriserunt, nihil iam dicam. his ex-
 emplis refertæ omnes sunt historiæ. de no-
 stris duntaxat maioribus agam. Etenim Pa-
 pæ Reges nostros sæpenumero petiuerunt,
 & suis illis fulminibus opprimere conati sunt.
 credimus autem patres illos, viros probos
 ac religiosos extitisse, nec fuisse quicquam
 nisi piè & religiosè facturos. videamus igitur
 quomodo bullas, quibus nostri Princi-
 pes excommunicarentur, ad se Româ mis-
 sas acceperint. Causæ diuersæ erant. Pa-
 pæ quendam Regum nostrorum excommu-
 nicauerant, quòd pati nollet vt illi de sacer-
 dotis suo arbitratu & voluntate constitue-
 rent. Alterum, quòd obstaret, ne Papæ tributa
 de suis subditis exigent, vt alibi factita-
 bant. Alium verò, quòd nollet regnū suū An-
 glorum libidini prædeq; obiiicere. Alios item
 nonnullos, quòd Papæ sibi adèd vicinos metu-
 ebant, eorū victoriis perterrefacti: cupiebantq;
 eos ex Italia expellere. Alios aut priuata quadā
 similitate. Nostros ergo has ob causas Reges Pa-
 pæ hæreticos & schismaticos, subditos omni-
 obsequio & fide solutos, regnum etiam ip-
 sum primo occupanti expositum declarabāt.

nihil

*Paparum
 bullas quæ
 papam sus-
 ceperunt Fra-
 corum Re-
 ges.*

*Philip. Pul-
 cher.*

*Philip. Au-
 gustus.*

Carol VII.

Ludo. XI.

Ludo. XII.

nihil ex eo stylo, qualem hodie in ipsorum bullis videmus, omittebatur, idq; cum tanta animi acerbitate aliquando, vt Bonifacius quidam (quod alibi iam attigi) Philippum Pulchrum omnesq; illius posteros ad quartam vsque generationem exsecraretur: vt quidam Iulius II. pium illum Regem Ludouicum XII. excommunicans, Gallos etiam omnes, qui tunc temporis in Italia deprehenderentur, interficiendos auctoritate Pontificia imperaret: ex quo horribilis nostræ nationis strages & laniens consequuta est.

*Prisorum
Francia
in Reges
suis fidelitas
& ob-
seruantia.*

Quæcunque autem causa, quæcunque hereseos sententia, quæcunque iniuræ adhibitæ fuerint, nunquid nostri illi patres iis vnquam moti fuere? minimè. Existimant ne vnquam religionem Catholicam hoc velle, vt & Papis obedirent, & fidelitatis sacramento soluti sibi viderentur, & suos Reges à Papis ita proscriptos & excommunicatos aut necarent, aut eiicerent? at contra nunquam magis antea quam tunc se in Reges suos & morigeros & bene animatos gesserunt, nihil aliud æquè flagitantes, atque se suaq; omnia ad iniuriam illis factam vindicandam conferre, vt antea iam diximus. Quumquæ nostri Reges multo certè religiosiores quam furiosi isti Pape, interminabantur edictoq; vetabāt, ne quis omnino vel Papis ob vllam quamlibet aut religionis aut Ecclesiæ causam adiret & confuleret, vel pecuniam Romam ferret, ferendamue curaret: (vt nostra memoria Henrici II. tempore factum fuit) nemo erat qui non id exquisitum esse arbitraretur, & lubens ei mandato pareret. et si Pape minimè omnium hoc in suis bullis prætermittebāt se Diui Petri successores;

efflores, se in illius sede collocatos, sibi à Deo summâ in omnia totius mundi regna potestatem tributam esse, itemq; cetera omnia quæ surpant, suaq; esse contendunt. Sed ampulle illę & sesquipedalia verba expuebantur, deludebantur, repudiabantur. Circa annũ Christi 1300. Romę Papa erat famosus ille Bonifacius VIII. in Gallia nostra Philippus Pulcher Rexerat. Papa iste magnas illi turbas fecit, magna illi negotia exhibuit: & inter cetera eò temeritatis & superbię venit, vt ad eum epistolam hoc argumento styloq; conscriptam mittere ausus fuerit: vti quidem in Chronicis nostris vnâ cum responsione Regis ad eam extat: Hoc te, inquit, scire volumus, te nobis in rebus spiritualibus, tum temporalibus subiectum esse: sacerdotiorum & præbendarum conferendarum ius ad te non modò nõ pertinere, sed ne illorum quidem fructus: quos si forte percepisti, eos volo restituas in quos sacra collata per nos fuerint. Et si quem alicui Ecclesie præfeciisti, eiusmodi præfecturas per te designatas rescindimus, irritasq; facimus. Eos qui aliter credent, bardos & stolidos eaucimus. En præclara præclari Papę verba. Quid autem hinc Rex egit? nunquid præ furiosi illius fulminis metu, fracto animo aut humili fuit? Pręstititne minis illis perterritus, quod sibi ab illo imperatum fuerat? num illi est assensus eos, qui de Papis eorumq; potestate aliter sentirent, aut hereticos esse aut ineptos, aut vences? Immò Rex Sapientis, qui monet vt stulto secundum stultitiam suam respondeatur, consilium sequutus, vt ostenderet qualis ipse esset, ad hunc modum illi respondit:

φύβουρα
quibus ter
rorem in-
cutiunt
Papa.

Philippus 1300
Pulcher.
Bonifacius 87

Bonifacii.
Papa ad
Regem Phi-
lippum epi-
stola.
Annal. Ni-
colai Gillii

*Philippi
Fulchri
Regis ad
Papam re-
spon-
sio.*

PHILIPPVS PVLCHER, Dei gratia, Gallie
Rex, Bonifacio Episcopum se summum mentienti aut
exiguam aut nullam omnino salutem. Maxima
tua fatuitas sciat, nos in rebus tēporalibus nulli planē
subiectos esse, ad nosq; vt Regē, sacerdotiorum & prae-
bendarum collationem pertinere, & earum caduca-
rum ac vacuarum fructus nobis deberi: que sacerdotia
vel antē contulimus vel postea conferemus, ea iure &
meritō collata valere, vataq; fore: nos etiam eorū pos-
sessiones magno viriliq; animo aduersus vnumquem-
que propugnaturus: eos verò qui aliter sentient, à
nobis fatuos atque insanos declarari. Hæc sunt
literarum Regis verba. His & aliud longē
maius accessit. nam Rex copias in Italiam vs-
que misit, furiosumq; illum deprehensum in
vincula coniici iussit, vbi & postea turpissimè
obiit, veluti canis: vt ad papatum euectus fue-
rat: tanquam vulpes: & in eo sese gesserat veluti
leo. Id tunc temporis in prouerbum abiit,
quod etiamnum à nobis vsurpatur. Ille ergo,
qui Regem suis excommunicationibus per-
cellere, & regno suo spoliare voluerat, exitia-
lem hunc exitum habuit. Carolus VI. ex
Comitiorum sentētia, tributū quod Papa huic
regno imponere volebat exactionem impe-
diit. Papa Benedictus XIII. eam rem indi-
gnè passus Regem excommunicauit: nonnul-
lic tūc ita temerarii extiterunt, vt ausi fuerint
cius rei bullam in Galliam adferre. Illa ex-
communicatio risu excepta est: Bulla lacerata
fuit: & Bullarii ipsi deprehensi, honora-
ria pœna multati, & cum summa exempla-
rique ignominia per totam urbem traducti
sunt.

*Carolus
VI. quolo
co excom-
municatio-
nem Papa
habuerit.*

sunt, vestibus per ludibrium pictis amicti. idque ex Theologica facultatis censura, & supremæ Curia decreto constitutum factumque fuit. & ita in eiusdem Curia tabulis scriptum extat. Vnde specimen minimè obscurum est facilisque coniectura, quo loco maiores nostri & Papas & totam eorum potestatem haberent. Neque enim hoc singulare est vnus Philippi factum: facta etiam hæc sunt aliorum, qui eum sequuti sunt, Regum, quotiescunque Papæ iniuriis eos laceffere cogitarunt. Interim verò tantùm abest, ut quispiam in hoc regno, insulsa aliqua in Papas reuerentia ductus sese vel tantillum commoueret: (quod hodie Ecclesiastici plerique nec genere nec animo verè Franci faciunt, atrocibus seditiosisque aduersus Regem contumeliis suggesta sua complentes) ut contra huius Regni Episcopi & Antistites Concilia ad Regum auctoritatem aduersus Papas confirmandam, conuocarent: scholæ Theologica in Paparum facta diligentissimè inquirerent: Curia iudiciales suam ad eas auctoritatem adhiberent: Nobiles ad iniuriam tantam vindicandam armatos se offerrent. atque hoc ita esse in nostris omnibus historiis memoria proditum est.

Valet autem ad eos confirmandos, qui in religionis causa Patrum exemplis nituntur, Nullam esse religionem, qua Galli teneantur auctoritatem, quam Papæ sibi sumunt, magnifacere, & eorum excommunicationibus moueri, quum res nostras curare, & Principes nostros excōmunicare audent. Si qui sunt, quæ ex Papæ bullis aliter se gerendi occasionē habere

Nulla religione teneantur Gallos Papa auctoritate moueri.

putent, arbitrenturque se obedientia & fidelitate, quam suo Regi debent, esse solutos, & ut Paparum libidini obsequantur bellum illi nefarium inferre audeant: illi, dum suam religionem proferunt, maiorum suorum memoriam impietatis damnant: nec Francianimo & patrum suorum virtute censendi sunt, sed ad-

*Nec, si non
rueantur,
ob id excō-
municari.*

Illud quoque nos ipsos ab hac parte securos reddet, quum auctoritati Paparum plus auctoritatis & iuris in hoc regnum nō dabimus quàm maiores dederint, nos scilicet ob id non magis ab Ecclesię communionem quàm illos segregatum iri. Si boni illi patres vel minimum suspicati fuissent, se schismaticos & hæcætu Ecclesiastico exclusos fore, Paparum potestatem quandoque eam in hoc regno stabilire conati sunt subvertentes: eorum excommunicationem reiicientes, atque ad eam eos bello infesto, quum id Reges imperarent, persequentes, eò quidem certè nulla omnino ratione pertrahi potuissent. Verùm hoc animum penitus suum induxerant (& facultas Theologica id quoque arctè tenebat accurateque defendebat) se à Papa qui suo munere abutatur, segregare, illud esse ab homine duntaxat, non à Deo & illius Ecclesiæ segregari. quumque ita faciemus, patrum nostrorum & prudentiam & rectam conscientiam sequemur. Ecclesiæ enim in vno homine sira non est: alioqui pessimè plerunque habuisset, cum Papæ tam multa peccarint, ut iam antea docuimus, necesseque fuerit concilia ei malo providere, atque non paucos tanquam corrupta Ecclesiæ membra damnare, &

re; & à reliquo corpore refecare. At Ecclesia *Ecclesia*
 est in cœtu eorum qui Euangelio credunt, *ubi sit.*
 qui Deum ex ipsius verbo colunt, qui Patrum,
 Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum,
 Apostolorum, Martyrum, Christi confesso-
 rum, & aliorum bonorum virorum fidei &
 pietati successerunt. Quum Deo per fidem
 adhærescimus, ille est nobis Pater, Ecclesia
 Catholica nobis est mater, omnes sancti &
 beati Dei serui fratres nobis sunt, & vt loquitur *Eph. 2.*
 Diuus Paulus, conciuēs. quum autem Roma
 Papa aliquis improbus erit, aut hæreticus,
 aut magus, aut homicida, aut alia sceleris nota
 insignis, (quales multi fuere) aut qui subdi-
 tos ad defectionem à suo Principe incitet, at-
 que seditiones factionesque probet, vt hodie
 Sixtus V. nos tali Papæ nuntium remittentes,
 non modò non Ecclesiæ caput deserimus aut
 prodimus, sed contrà relinquimus eum, qui
 Ecclesiæ ne membrum quidem est, sed potius
 pestis, & pacis Christianæ gentis perturbator,
 prouincias sanguine & cædibus horribilique
 omnino confusione replens. Dei verò man-
 datum ad eam rem nominatim datum extat,
 vt quum sceleratus aliquis in Ecclesia est, qui-
 eunque tandem ille sit, ab eo nos segregemus.
 neque est vlla præscripta exceptio. Sancti Pro-
 phetæ Dei que serui ita se à summis sacerdoti-
 bus, si idololatræ essent, seiungebant, vt etiam
 Apostoli & Christiani ab iis, qui suis tempo-
 ribus Antistites erant: neque tamen propter
 eà schismatici habebantur. Eadem omnino
 hic ratio est. Papa ipse est, qui se à Deo & ab
 Ecclesia separat, dum se aduersus Deum suūque
 munus & officium ita sceleratè gerit. cumque
 ille

ille schismatis vnus sit auctor, certè vnà cum suis mandatis & actionibus reiiciendus est, vt nos in Ecclesia maneamus. Illo enim sceleris reo, velimusne ipsi quoq; sceleris cum illo rei esse, & consiliorum ab illo contra Dei verbum, contra regni Ecclesiae tranquillitatem susceptorum ministros nos præbere? Maiorum potius nostrorum pietatem, prudentiam, & animi magnitudinem imitemur.

*Anacephala
lasis hu-
ius de ex-
communi-
catione
Pontif. dis-
sertatio
vna.*

Ex his igitur constat quonam modo Regum nostrorum excommunicationes & bullas ad nos Romã missas, quarum opera in eos concitemur, accipere debeamus. Hæc quidem oratio valde longa fuit, præcipuè in re facili, & cuius continuus in hoc regno vsus nobis publicæ legis loco citra vllam omnino controuersiam esse debet. sed propositum mihi & constitutum est scrupulum omnem eximere, & infirmissimorum etiam hominum conscientias satisfacere. Ergo nulla tandem omnino proferri potest ratio, quam obrem Regis excõmunicationem à Papa Sixto factam vel pili facere debeamus, quòd legitimo excõmunicationis vsui, qualem Deus verbo suo instituit, omnino repugnet: quòd malo, vel potius nullo & omni iure damnado summæ in omnia mundi regna potestatis fundamento nitatur: quòd subditorum animos à sua in Regem fide, contra Dei mandatũ abalienare, incendioq; & confusione perdere subuertereq; omnia, ppositum habeat: quòd regnũ hoc Paparũ dominationi subiicere cogitet, nihilq; inde ad illius statum possit, nisi omnne miseriarũ genus prouenire. Si de rerũ natura ex earum effectis iudicare oportet, annon hinc existimandũ est Papæ Sixti excõmunicationem

tionem rem esse laudabilem, vtiliterq; factam & eum qui Episcoporum Episcopum in Dei Ecclesia se esse profiteretur, rem seruorum Dei officio conuenientem fecisse, atq; disciplinam & institutionem mundo valde salutare tradidisse: cum hodie istarum excommunicationum vi pars subditorum maxima ad arma cum effrenato & antea inaudito furore concurrat? cum propinquos, vicinos, ciues suos bonis omnibus spoliare & interimere religio, Deiq; cultus habeatur? cum sacerdotes & monachi qui cum reliquo mundo nihil se commercii habere, nec vllos vnquam enses tractare velle vovisse videbantur, aut in medias acies, aut in arces munitionesque armati prodeant? cum monachalis cucullus (sanctitatis velum) tanti fiat, vt cum alia omnia tum Regum etiam ipsorum adyta, vbi à monachis nefarie trucidentur, illi obuia & peruia sint? cum ii qui in istis furoribus moriuntur, & maximè qui Principum suorum vitam petiuerint, in Martyrum numerum referantur? En sacrum Euangelium, quod Papa in hoc regno sua illa excommunicationis bulla nobis annunciauit. Iam ergo statuamus, an, qui sit eiusmodi, aliquid illi iuris & auctoritatis in nos ipsos dare posthac debeamus.

Regem Concilii iudicio se permittere: ordinum conuocationem polliceri: & quàm vtrumq; nobis hodie necessarium sit.

CAPVT XIX.

ETiam Regem à fide Christiana, vt ad iersa-

rii obiciunt, aberrare constaret, quod illo minimè arbitratur, essentq; eius generis excommunicationes, vt aliqua earum habenda esset ratio: aut alioq; huius Regis dominatio aliqua ex parte metueretur: horum omnium remedia, & conuenientissimæ vnicuique satisfaciendi rationes hæ sunt: quòd Rex iureiurando adhibito pollicitus sit sanctum se Conciliū legitimè conuocaturum, eiusq; auctoritati se subiecturum: simul & comitia breui habiturum, per quæ regni rationibus, omniumq; rerum in pristinum statū restitutioni ex subditorum suorum sententia cōsulatur. Hoc verò non est tyrannicè dominari: non est hoc etiam pertinacem esse, & Ecclesiam perturbare velle. Si igitur Papa eum excommunicauit, satis hinc causæ est ad huius Cōciliū effecta differenda ac prorsus reprimenda. Principibus n atq; ad eò Regibus nostris sibi à Paparum tyrannide ad hunc modum cauere semper licuit: immò ad Conciliū à Papa prouocationis beneficium nimis èt quibusq; citra manifestam iniustitiam recusari non posset. Cùm ergo Rex hoc sit animo affectus, nihil aliud restare videtur, nisi vt subditi suas oēs voluntates & studia cum illius voluntate & studio pia conspiratione coniungat, vt via sic & ad comitia & ad Conciliū munitur. De vtriusq; aut, & Cōciliū primū necessitate differā. Ac primū Ecclesiæ statum male omnino habere vnusquisq; fatetur: vnusquisq; etiam, vt quidem credo, ei rei vt prospiciatur, optat. in rei efficiendæ ratione & modo difficultas inest, quanquam tñ nō magna ea futura est, cùm mod⁹ sit certissimus, & ad manum, si quidē animū & curam ad hancrē adhibere velimus

*Qua sit in
Concilio
conuocan-
do difficultas*
166.

lim^o. Morū in Clero deprauatio, errores, schismata & assidua contentiones, Ecclesiæ morbi sunt. vt ij sanētur ac tollātur, eorū, quorū sunt partes morbos curare & corpus sanitati restituere, prudentia & consilio est opus. Medici apta ea esse remedia iudicant, quę morborū naturę conuenientia & accommodata sunt, & quorum vim longa experientia exploratam habent. quōd si aliquando allucinati sunt, aliquo pharmaco quod malum potius auxerit quā leuarit, vsi, eo relicto aliud postea eligūt. Idem quoque nobis faciendum. Pij viri à multis ad nostrum vsque sæculis (vt in multis monumentis à trecentesimo aut quadringentesimo anno editis extat) magnam esse in vniuerso Clero & morum corruptionem & rerum confusionem questi sunt. multum temporis re neglecta & infecta effluxit, aut, si de remediis adhibendis cogitari cœptum est, eius rei procuratio illis, qui à reformatione penitus abhorrebant demandata fuit: ita vt tum temporis diuturnitate, tum Ecclesiæ præfectorum incuria confusiones illę corroborata, deterioresque factę fuerint. hinc altercationes & disputationes acerrimę, quas iam videmus, consequutę sunt. De salutis adipiscendę rationibus, de vero Dei cultu, de Ecclesię disciplina & moderatione disputatur. Pro remedio autem ad eas quæstiones enucleandas & illustrandas necessario, animorum acerbitas, ferrum, flamma, belli vis & violentia adhibita est. Sed tantum abest, vt malum inde consanuerit, vt magis etiam ac magis confirmatum fuerit, nõ sine magno Ecclesię & omnium Christianę gentis imperiorum, & nostri maximè regni

interitus & exitii periculo. In tanta igitur hominum culpa, quid tandem faciendum? existimabimulne huiusce regni, quantumuis laborantis, sanitatem salutemque deploratam? Minimè verò: sed qui in remediorum delectu antea peccauimus, meliori posthac consilio utamur: malorum, quibus adèd exercuamur, naturam perpendamus. Quam viam pii nostri patres in iisdem rebus sequuti sunt, videamus, & iis, quæ salutaria fuisse compertum est, utamur.

*Quare me-
dia agro-
ranti Cle-
ro salubri-
ter adhi-
beri queant.*

*Concilii
conuocatio
presentis
simi Ec-
clesiæ labo-
ranti re-
medium.*

Nostra hæc studia & desideria præcipua sunt, vt Ecclesia in optimam quandam formam statumque reducatur: vt disciplina ex Dei constitutione & mandato in ea vigeat: vt Ecclesiasticorum mores reformatur: vt dirimantur controuersia, & factiones tollantur: vt teneatur certumque & fixum inter nos maneat, quæ recta sit & cõpendiaria ad salutem consequendam via, & quæ vera colèdi Dei ratio. Hæc autem omnia humana non sunt, in quibus excutiendis atque explicandis diuersæ sapientum opiniones, temporum personarumque mutationes variæque consuetudines suspensam incertamque sententiã, & in iisdem statuendis ac discernendis moram adferre solent. Deus ipse id curæ habuit, atque omnia quæ credenda faciendaque sint, singillatim præscripsit. In sacris scripturis illius doctrinam, illius leges, illiusque constitutiones comprehensas habemus. Si quæ ex iis oriuntur controuersia, eæ verò ad Concilium referendæ & deferendæ sunt. Principes modò omni cogitatione curaque in hanc rem incumbant, vt viri pietate & morum integritate insignes ibi adsint: (nisi ipsi potius pro suo

suo officio illic inesse malint) vt vtraq; pars accessatur, & cum summa libertate audiatur, omnis animorum perturbatio atque acerbitas absit: Dei nomen inuocetur: sacrum Dei verbum ex Prophetarum & Apostolorum scriptis petitum Iudicis partes illic obtineat, vt quicquid ex eo statuetur, eo vno fletur. Hoc profectò præsentissimum est & certissimum omnibus Ecclesiæ controuersis dirimendis, confusionibusq; tollendis remedium.

Id autem Deus in eiusmodi casibus omnino faciendum præcepit, ac voluit doctrinam mandataq; sua in hos sacrarum scripturarum commentarios referri: vt, si tempus, negligentia, Sathanæ eiusq; clietum malitia, & fraus detrimenti aliquid adferrent: eò nos conferremus ac conuerteremus ad errata emendanda, & in rectam viam redeundum. Ita sese gesserunt boni Principes, itemq; Pastores qui sincero Dei gloriæ, & Ecclesiæ salutis studio ducti fuerunt. Quòd si nos eodem animo affecti, istis furoribus, effrenatisq; violentiis, quæ tanta nobis damna intulerunt, relictis, idem quoque ipsi vsurpabimus: eam esse veram salutaremq; viam re ipsa comperiemus.

Ex eo autem bene sperandum de Concilio videtur, quòd Principibus, Magistratibus coronæ regiæ administris, illustrissimis viris, & nobilibus summopere optantibus Rex id ab Hærici III. morte promiserit. Quod ad vtramque partem attinet: altera id expetit, & in primis efflagitat: altera recusare non potest. Quod si tamen recusat, dedecus erit, & grauissima, quam ipsa sibi faciet iniuria: atque hinc Principibus Christianis eò diligentius imperiorum

Quam bene de Concilio sperandum sit.

riorum suorum dignitati & rationibus confu-
 lendi, atque vlteriùs ad res maturè compo-
 nēdas progrediendi occasionem dabit. Quam
 enim quæso rationem Ecclesiastici afferāt, cur
 rem tantam latiùs proferant? Cur moram tan-
 ti mali longiorem producant? cur diutiùs ter-
 giuersentur? Si quis Dei amor & metus eos af-
 ficiunt, si qua tangit pietas, nonne gregis sui sa-
 luti consulere, seq̃ primos ad rerum morumq̃
 emendationem ac reformationem offerre de-
 bent, vt sint cæteris ad eandem rem experen-
 dam exemplo? Nondum ne satis est eos conti-
 nua bella ab annis xxx. in hoc regno aluisse,
 propterea quòd ad veram hanc & solam paci-
 ficando rationem nec animum nec curam ad-
 hibere vnquam voluerint? si quo euellendæ
 hæresis studio ac desiderio tenerētur, certum
 ne & vsitatum hoc remedium remorarentur
 atque impedirent? Nonne pij Episcopi olim
 semper iudicarunt, nullam aliam esse eius ma-
 li tollendi rationem? quumq̃ noua quædam
 hæresis, aut aliqua perturbationis futuræ ma-
 teria nascebatur, an non ad eam, priusquam la-
 tiùs serperet, statim opprimendam vno sum-
 moq̃ consensu concurrebant? Ex quo autem
 Magistratus Christiani fuere, annon hoc vnice
 curabant atq̃ agebant, vt illi eorum nomine &
 auctoritate cōgregati rationibus Ecclesiæ pro-
 viderent? Quanquam autem nullæ in Ecclesia
 turbæ essent, nullę omnino contentiones: offi-
 cij tamen ratio postularet, vt sæpius Concilia
 conuocarentur, sæpius pastores ipsi eodem lo-
 ci conuenirent. Is ordo in veteri Ecclesia insti-
 tutus erat. constitutiones ea de re in suis cano-
 nibus editas habent. satis enim multę causæ
 sem-

semper existunt, satis multa se negotia agitantia offerunt. adde quòd Pastoribus via hæc est & ratio ad sese dignoscèdos, & veram firmitate inter se concordiam, mutuamq; consensionem fouendam opportunissima. At hodie quanta fiteius rei necessitas, vident. Schisma iam dudum conceptum & natum est: diuturna funestaq; bella præcipuas Christiane ditionis prouincias propemodum totas confecerunt: miserè & infirmè cõscientiè magnis clamoribus confirmari flagitant: qui à fide & pietate aberrare putantur, pacem rogant, instituique expetunt. si cunctatores illi rei perficiendè necessitatem expectât, quæ, rogo, maior vnquam vlla est?

Causa quidem Pontificis & Cleri agetur: sed impediendi, quominus de ea disputetur, consiliũ quanam ratione niti potest? An quòd ab omni peccato vacui sint & integri? an quòd, etiamsi quid peccent, animaduersioni tamen non sint obnoxii? an verò quòd Cõcilium Ecclesiasticis non videatur locus ad sua peccata exquirèda & patefacienda idoneus? At causa, ratio & experientia contrarium probant. Quæ enim sunt totius Mundi querimoniè? quis non videt tam graues Ecclesiæ morbos non aliunde, quàm ex Cleri corrupta & deprauata vitæ officiiq; ratione natos esse? quæ tranquillioris rerũ status spes futura est, nisi sanatio & emendatio inde incipiant, vnde ceteræ partes sanari & emendari possint? Etsi verò nihil perperam ab us admissum fuerit, idne docere & probare recusant, vt se ab omni culpa & probro liberent? Si vnquam Dei verbum auditoribus suis annuntiarũt, hæc sunt peruulgata & quotidiana pu-

*Quantum
Clerici int. r
sunt & Con
cilium con
suetur.*

na puritatis Christianæ præcepta, quæ docero illos debuerunt, in eam rem studiosè operam darent, vt non ab omni solùm crimine, sed criminis etiam specie vacui essent. adhæc vt ad respondendū omnibus de sua fide & spe parati semper essent. Debuerunt igitur alios docere, curandū ipsis diligenter vt ab omni male suspicionis occasione se vindicarent, paratum semper haberent quid minimis quibusque responderent, quo ex proximorum animis omnem scrupulum, offensionisque causam tollerent. At quam aliis legem proponunt & præcipiunt, eandem sibi ipsis præscribunt.

Act. 11.

eadem ipsi tenentur. D. Petrus quia videret permultos ob id fuisse offensos, quòd ad Gentiles profectus fuisset, Euangelium iis prædicaturus: facturum se operæpretium putauit si in Christianorum cœtu se sisteret, facti sui rationem redditurus, & eam, quæ malè ipsos habebat, dubitationem sublaturus. In ea, quæ Antiochiæ intercessit, controuersia, visum hoc Ecclesiæ fuit, vt D. Paulus & Barnabas, itemque alii se Ierosolymam conferrent, eadere audiendi: id quod præstiterunt, & in concione steterunt, ad ea quæ proponerentur responsuri. D. Paulus Ierosolymam postremum cum venisset, certior factus multos de se falsos rumores sparsos fuisse: vt Ecclesia conuocaretur facilè libenterque eussensus, sui muneris & vitæ rationem probaturus, & satis etiam cuique facturus. Atque hic ordo fuit semper in veteri Ecclesia obseruatus, vt Episcopi qui in criminis alicuius suspicionem inciderant, Concilia adirent, in cœtuque fratrum suorum intere-

teressent, ad ea quæ obiiicerentur causam al-
laturi, qua suspicionem sibi iniectam expur-
garent. Nunc verò, quum tam multi, & cun-
cti penè omnes vno ore tam grauitè de Ec-
clesiasticis & corrupta in iis disciplina, do-
ctrinæquæ & morum peruersitate conque-
runtur: nunquid Ecclesiæ vt à tot tantisque,
quibus premitur ferequæ oppressa iacet, mi-
seriis liberetur, de his rebus respondere, &
tam multis conscienciis satisfacere recusa-
rent?

Episcopi nomen, muneris nomen est non
otiosæ cuiusdam dignitatis. Christus enim
quicquid in vniuerso mundo preciosissimum
habet, Episcoporum fidei commisit, nempe
Ecclesiam suam, quam suo ipsius sanguine re-
demit: vigilandum ipsis est pro animarum sa-
lute: graue onus est. omni ope & opera niti
debent, in docendis, erigendis, sanandis, con-
solandis omnibus, etiam infimis, id ipsis sum-
ma contentione præstandum est, & tempesti-
uè & intempestiuè, vt D. Paulus loquitur, hoc
est qualibet data occasione, nulli labori par-
cendo. Et Christus in Euangelio proponit
nobis bonum Pastorem de gregis sui salute &
generatim & speciatim iuta laborâtem, vt si vna
etiam ouis à reliquis aberrauerit, non priùs
cõquiescat quàm eam indagaturus mōtes lu-
strauerit & vbi inuenit humeris impositam in
gregem reduxerit. Id verò declarat, Pastorem
ob vnus etiam suorum salutem nunquã quie-
tum futurũ, nulliq; operæ parsurum. Episcopi
putant, atq; adeò contendunt maximam mūdi
partem, ac tempestate à vera Religione aberra-
re: plerasque omnes suas oues à se abductas &
inter-

*Quantope-
re entens
dum Epi-
scopis &
Concilium
habeatur.*

2. Tim. 2.

Matth. 18.

interuertas esse queruntur. Vna, per quam ei rei prouideri possit, ratio, Cōcilium est. quam igitur ob causam illud refugient & rem in tot animarum gratiam salutemq; detrectabunt, quod vni, licet minimæ, prestare debent? Cui tandem eorum, qui pereunt, sanguis adscribetur?

Quam cupide Cōcilium à Rege expetatur.

Quinetiam in eorum, quos à pietate alienos asserunt numero, Rex ipse est: Ille, quem Deus nobis regendis præfecit: & ex cuius, si probe instituitur, persona felix tum regni tum Ecclesiæ status dependet. Iam autem illum bene animatum & affectum vident, nec aliud quidquam magis flagitantem quàm erudiri, quàm controuersias tantas componi, & ad summam cōcordiam vsitata veri & legitimi Concilii via omnium animos adduci. Si hætenus aliæ omnes multæq; magnæq; necessitates Ecclesiasticas minimè cōmouerūt: quo animo, quæve fronte Regi denegabūt, quod & meritò & cupide petit? Poterat alius quispiam Rex nobis obtingere, vt alibi contigit, qui vi rem tentasset, non Episcopos quidem & Pastores consulēs, sed vnicuique, vt suam religionem amplecteretur, summo iure imperaturus. Ille hoc nõ modò non facit, sed se etiam summissè offerre ad id, quod ex verbo diuino in sancto Cōcilio piū rectumq; esse probabitur, sequendum paratus: Quid causæ est Ecclesiasticis, cur id amplius detrectent? annon sunt illius subditis quid non illi debent? annon iustam illi de se querendi occasionem dabunt? Poteruntne cum D. Paulo dicere se pro officij sui ratione teneri vt minimorum etiam curam habeant, cum sui Principis salutem negligant? Quot

Rom. 12

negligit

Cōcilia olim habita sunt, vt vnum aliquem ad rectam viam reducerent: nulla autem Regis habebitur ratio? Quum verò neglecto Concilio bella in hoc regno nunquam geri desinent, (vt fieri quidem aliter nō potest) euenietq; necessariò, vt altera pars victa succumbat: ad quem eius rei periculum manifestò recidet? qui totius populi clamores, quæ odia, quæ execrationes aduersus eos futurae sunt, qui remedium ad tot mala finienda præsentissimum impedierint?

Verùm præter hæc omnia considerēt, quantum sibi, eiq; ad quam se omnino adiunxerunt, causæ & dedecoris & damni allaturi sint. Disputatur an doctrina quam docent, sincera sit & pura Euangelij doctrina: an Dei cultum apud se rectè constitutum habeant, vt in sacra scriptura docetur: an Ecclesiastica, quam instituerunt & sequuntur politia, sit ille ordo & disciplina quæ nascentis Ecclesiæ initiatio fuit. Si certum habent & firmum se firmo iure solidoq; in his rebus omnibus niti, id verbo diuino è sacra scriptura sumto probetur necesse est. ea enim est verum, solum, stabile- que fidei nostræ fundamentum, nec vllum vsquam aliud extat. Hoc autem si ita esse credunt, quid tandem metuunt? quando Regis hæc mens est & sententia, vt doctrinæ omnes hac norma dirigantur & æstimentur: si hanc penes se esse putant, quid magis expetere debent, quàm illi se suasq; opiniones submittere? Nunquid Euangelij doctrina in lucem proferri metuet? in cœtu hominum legitimo recteq; instituto (qualem Rex tum optat, tum coacturum se pollicetur) Deine veritas mendacium

*Quam pro-
brosam
damno-
sumque
Clero fu-
turum sit,
si Concilia
recuserit*

Q. homi-

hominum reformidabit? At si pars altera tanto cum studio & cōtentione colloquium Cōciliumq; flagitat, si Rex in eo illi assentitur, & vnâ cum Rege veri omnes Franci qui has dissensiones penitus extinctas, omniâq; in pristinam concordiam reducta esse vehementer cupiunt: id si alij recusent, quid inde accidet? Annon opinionem omnium animis iniicient suæ se causæ diffidere? quemadmodum malæ fidei litigatores videntur semper tergiuersari, iudiciorumquæ euentum refugere, metuentes ne iuris veritas in apertum proferatur. Quâta hinc aduersariis religionem suam constantissimè retinendi causâ dabitur, quum nemo in medium prodire audebit, à quo de errore coarguantur? Aliis verò quæ fidei habendæ occasio erit, vidētibus causam suam, quâdo congregiendum erit, ab iis prodi ac deserui, qui ei moderandæ præferti sunt? Ecclesiastici hæc si lubet, diligenter considerabunt, & quid scilicet Deus in religionis controuersis de amicis piisquæ hisce colloquiis faciendum præceperit, & quid semper in Ecclesia obseruatum vsurpatumquæ fuerit, & quàm necessariè regnum id requirat, & quæ sit aduersariæ partis efflagitatio, & quæ Regis, eorumquæ qui in regno primas tenent, studia: & quæ sui muneris sit officiiquæ ratio, & cætera quæ inde consequuntur, incommoda, si rem oblatam recusarint: vt his sedulo reputatis omnibus non libenter solùm assentiantur,

sed vltro etiam id, vnde omnes tantum boni sperant, insistent ipsi & vrgeant.

*Ad ea quæ opponuntur, quo minus Concilium
habeatur, Responsum.*

CAPVT. XX.

Concilium, vt modò dictū est, nulla gra-
ui quidem & legitima ratione recusari
potest. Sunt tamen qui subterfugia quæ-
dam & prætextus querant ne id fiat. ac pri-
mū dicunt non esse cum hereticis disputan-
um. Illud ego æquum esse illis concederem, *An cum hereticis non sit di-
spuādum*
si illi quos hereticos nominant, legitimè au-
diti & conuicti fuissent: essetq; in iis obstinatio *et qui de-
cantur ha-
retici.*
& malitia planè desperata: vt pluribus iam an-
tea disputatum est. D. enim Paulus censet reii-
ciendum hæreticum esse: sed hoc ita demum
censet, si admonitiones & quidem frequentes
prius intercesserint: constetq; eiusmodi homi-
nem hæreticum esse. Qui autem reformatam
religionem profitetur, id nondum apud se fa-
ctum fuisse cõtendunt, nam si aliqua condem-
natio fuit, ea ab Ecclesiasticis decreta fuit, nul-
la familiari & placida disputatione adhibita.
Cum vsitata iudiciorum forma pugnat, vt
quispiam causa indicta cõdēnetur: idq; multò
magis, si aduersarius iudicis partes agat. Aiunt
igitur rem adhuc in integro esse: atque hoc in
cõtroversiam vocari, An sint heretici: & quan-
quam tales essent, arcessendos tamè esse in lo-
cum & cœtum ad eos erudiendos accommo-
datum: eamq; esse viam & rationem, quam
D. Paulus in eoloco obseruari præcipit. Ha-
beat aliquis causam quamlibet iniquam: iu-
dicio tamen illi contendere licet. At hi mul-
tis magnisq; rationibus non sunt destituti. hoc

Q. sal.

saltem boni existit, quòd profiteantur se credere, quod in sacris scripturis continetur. Si sacras scripturas respuerent: Christianorum principia respuerent: tunc verò nihil disputandum cum ipsis esse videretur. At non sunt neque Athei, neque Iudæi, neque Pagani: Scripturas sacras, quippe solam fidei Dei quæ cultus regulam, reuerentur. Si Ecclesiastici eos errare putant, ex Dei mandato, vt modò dicebamus, ouem errantem indagare & sectari debent, atque in remediis quærendis & adhibendis operam ponere, vt eius salutem consulant. at fieri hoc minimè potest, nisi humaniter ac amabiliter conueniantur & audiantur. D. Paulus de iis in quos legitima excommunicationis sententia lata fuerit, ait non esse familiariter cum iis versandum, vt pudeant: non censet tamen eos pro canibus habendos esse, sed inuisendos & admonendos vt fratres. Religionis reformatæ homines non adhuc eò infelicitatis venerunt, vt verè legitimeq; condemnati fuerint. id saltem contendunt, atque firmissimè asseuerant. Cur igitur ita fugerentur & reiicerentur, vt deplorati & desperandi homines?

*Quanta
commoda
ex Con-
ciliis placidissime col-
loquis pro-
ueniant:
& contra.*

Consideremus quot controuersiarum diremptæ fuerint, quum obtineri potuit vt eodem loci pars vtraque conueniret & colloqueretur: contra, quàm multa mala enata, quàm multum sanguinis effusum, quàm multæ famulæ dissensionibus euersæ fuerint, cum neutri eò adduci possent, vt in mutuum conspectum & colloquium venirent. Galli omnes sumus, dicimur omnes Christiani, omnesque hoc animo sumus, vt & Deum metue-

metuere, & cœlum vitamque æternam expetere videri velimus. Hoc addo, quod non parui momenti est, nos hac in re consentire, vt Prophetarum & Apostolorum scripta ad hanc componendam controuersiam Iudices adhibeantur. Spes non parua est cum primùm conueniemus (hoc quidem animo, vt parati simus & credere & facere quod Deus ex sacra scriptura docebit) fore, vt omni animorum acerbitate posita, inueterataque dissensione oblitterata, nos mutud complectamur, & ad summam piamque concordiam adducamur. In Ecclesia Israelitica postquam populus in terræ Chananzorum possessionem venit, maxima contentio inter duodecim tribus in Religionis causa ob aram à Rubenitis, & aliis qui vltra Iordanem habitabant extructam orta est. Ara enim à Deo constituta in tabernaculo erat, videbaturque altare aduersus altare erigi, vt hodie loquimur id quod alias tribus ad eò offendit, vt omnes ad arma statim concurrerint, & grauis aliquis casus inde impendere videretur. Sed Deus salutare hoc eis consilium dedit, ne contra suos fratres suumque genus ita præcipientes ferrentur, sed ad eos mitterent, ipsorum ea de re consilium sententiamque percunctari. Illud ita factum est: cumq; primùm eorum delegati Rubenitas conuenissent, iis auditis abundè sibi satisfactum putarunt, atque ita ab armis discessum fuit, & suam quisque domum reconciliatis vtrinque animis repetit. Hoc autem exemplo nobis diuinitus ad imitandum proposito monemur, quum in Religione controuersia nascentur, ne nos ad

*Dissensio
inter Israe-
litas quo
pacto com-
posita.
Iosue 22.*

*Hæretici
olim vel
perinacis-
simi, au-
diti.*

iracundiam atque acerbitatem abripi sinamus, sed vtramque partem benignè & placidè audiamus, Deoque dante pacem & concordiam inde sequuturam speremus. Fuerunt aliàs sæpe hæretici in suo errore pertinacissimi, & qui infinitis partibus deteriores, quàm qui religionem reformatam profitentur, haberi possint, vt quidam Arrius, & alij qui sanctam Trinitatem negabant. illi tamen audiebantur, & Concilia, quorum beneficio reducerentur in viam, nominatim habebantur. Religiosi Dei gratia tales non sunt.

*Prima sy-
nodus iero-
solymis ad
quid eoa-
sta.*

Iustificationis gratuita per fidem in Christo sine legis operibus doctrina, atque caeremoniarum abrogatio & antiquatio à D. Paulo & aliis Apostolis quotidie prædicabantur, omnique miraculorum genere confirmabantur, vt qui contrà dicere auderent, nullo prorsus modo audiendi viderentur. Attamen auditi illi sunt, ob eamque rem primùm Concilium Ierosolymis conuocatum fuit, ex quo summa Ecclesiarum tranquillitas cõsequuta est. Hæc igitur colloquiorum placidè factorum exempla, boni, quod inde manabit, spes, & nostrum erga eos qui in errore aliquo versantur, officium docere nos debent, hoc axioma minimè necessarium, Non esse omnino cura hæreticis disputandum. Quin potius caritate Christiana ducti dicamus, si fratres nostri Christiani à pietate aberrant, in eorum congressum colloquiumque veniendum, eos audiendos, nec remedium vllum repudiandum, per quod Ecclesiæ concordia conciliari possit.

At enim excipiunt Concilium Tridentinum habitum fuisse, in quo Religionis reformatæ homines condemnati fuerint, nec ea de re amplius disputandum. Ego verò subiicio huic Concilio ab omnibus ferè Christianis, & nominatim à Gallis nostris reclamari, & quanquam probandum omnibus esset, non consequi tamen nullum præterea aliud tum Ecclesiæ tranquillitatis, tum tot animarum salutis ergò habendum esse. Causæ autem istius Concilij minimè recipiendam multæ magnæque repertæ sunt, vt libro etiam ad eas omnes persequendas sit opus. ex multis scriptis in lucem editis in hoc regno promulgatæ fuerunt. argumentum etiam eiusmodi in sanctiori interiorique superiorum Regum Consilio, & in supremo Senatu sapissimè disceptatum examinatumque fuit, nec consensum concessumque vnquam, vt vel probaretur vel admitteretur. Illegitimæ illius actionis seu nullitatis, quam dicunt, modi & in principio, & in progressionem & in forma, & in decisionibus, & in conclusione passim occurrunt. Papæ ab initio satis ostenderunt se in ea re nec rectè nec sincerè gerere, nec quidquam quod ad Ecclesiæ dignitatem & vtilitatem conferret, vti quidem sperabatur, expectandum inde esse. Quum enim Lutherus exortus esset, nascereturque contentio, tunc Papæ sua sponte Principes ad cõuocandum Concilium sollicitare, ad se pugnandos offerre primosque reformationi submittere se debebant. Sed id prorsus neglexerunt, in animo habentes bellis tantùm istis bullis agere, hæreticos pronuntiare, & pro imperio

*Concilium
Tridentinum
minimè
recipiendum,
& cur.*

*Nullitas
Conclisii
Trid. in
principio.*

legibus ipsis superiori excommunicare: atque
 ita suorum fulminum terrore omnibus ho-
 minibus os obturare. Illud autem contentio-
 nem nascentem nō modò non extinxit & op-
 pressit, sed accedit etiam, odiumq; in eos ipsos
 non mediocre conflavit: eoq; res processit, ut
 Imperator suam necessariò auctoritatem in ea
 re interposuerit, minasq; adhibuerit, ut ad Cō-
 cilium celebrandum eos adigeret. Quinet-
 iam tantæ moræ & cunctationes, tantæ etiam
 dilationes, tot tamq; variæ tum locorum mu-
 tationes, tum dierum denunciations inter-
 cesserunt, ut quivis facilè perspicere posset il-
 los id nullo modo probare, à reformatione
 planè abhorrere, nec velle quidquam Eccle-
 siæ tranquillitati condonare. Quis inde roga
 felicem & optatum exitum consequuturum
 sperasset?

*Nullitas
 Concilii
 Trid. in
 progressio-
 ne & ser-
 mone*

Tandem & dies condictus, & locus dele-
 ctus fuit: sed curarunt diligentissimè ac pro-
 uiderunt, ut in eo summam auctoritatem ha-
 berent, pro iure summi imperii iudices sum-
 mos demto omni prouocationis auxilio age-
 rent, sessiones indicerent, modum illis achi-
 nem pro animi libidine statuerent: Romæ
 quidem præsentis: sed illinc omnem aucto-
 ritatem per legatos suos retinentes, à quibus
 de rebus omnibus admonerentur, & conclu-
 siones ac decreta ex suo ipsorum sensu iussu-
 que facta acciperent. Atque id à prima sta-
 tum denuntiatione patefactum est: eaque
 causa fuit, cur in eo cœtu confunderentur
 ac perturbarentur omnia, & spes, quas
 Ecclesia Christiana ex eo conceperat, debi-
 litarentur & conciderent. Germani enim
 pro-

proponebant, Papas, alteram disceptantium partem esse: eorū rationi minimè consentaneum, vt in eadem caussa iudices essent, quæ quidem oppositio ad iudicium irritum omnino faciendum satis idonea videbatur. nullum n. ius nec diuinum nec humanum statuit aut patitur, vt qui actor fuerit vel reus, idem quoque sit iudex. Religionis reformatæ homines de eo nominatim contendunt, Papas ipsos esse qui sua ambitione & auaricia totam Ecclesiã corruerint ac turbarint, vsurpata, quæ ad ipsos minimè attinebat, auctoritate & potestate summa: & ab iis primùm ipsis reformationis initium ducendum. Itaque vt illud Concilium verè legitimum redderetur, oportuisse vt Christiani Principes viros quosdam probos omnique exceptione maiores, qui totam illam actionem moderarentur, illi præficerent: Papæ verò eorumq; Cardinales, Ecclesiasticq; omnes, partis nomine tantùm illic adessent, vt & aduersarii quoque, vtriq; ex Dei verbo æquè iudicandi.

Præterea vt legitimum verumq; Concilium habeatur & sit, libertas in dicēdis sententiis ex æquo seruari omnibus debet, vt sine vlllo metu audiantur, & ad disceptandum admittantur. Id verò factum non fuit, nam quæ libertas alteri parti esse poterat, cū partem contrariam in solio sedere videret, à qua esset mox cōdemnanda? Quum Principum quorundam protestantium legati, eorumq; ministri & Doctores eò amandati essent hac spe, vt ibi audirentur: ipsi autem animaduertentes diem de die duci, scq; indignis & iniquis modis haberi, nec quicquam promoueri: coacti tandem fuerunt

*Dicendi
libertas in
Concilio
Trid. bonè
viris sub-
lata,*

runt re infecta discedere. Quòd si libertas protestantibus illis seruata minimè fuit, ea etiam ne aliis quidem, qui pio illuc studio venerant, adeò vt Episcopus quidam crimen læsæ maiestatis admisisse diceretur, q̄ aduersus Papæ auctoritatē, & summā illā, quā illic obtinere volebat, potestatē, verbum aliquod fecisset. Multæ alię rationes scriptæ extāt, quib. nullam omnino fuisse in eo Concilio libertatē docetur.

*Nullitas
Concilii
Trid. in
Decisionibus.*

Quod ad decisiones, quę illic cōstitutę sunt, attinet: Protestantes contendunt rem totam nulla via formaq̄ legitima agitatam fuisse: nobisq̄ confirmant se probaturos quę ab illis decreta sunt, maxima ex parte cum sacris scripturis pugnare. Illud verò hīc attingere mihi non est animus. sed hoc vnum obiter dicam: In disciplina Ecclesiastica, in gregis institutione & gubernatione, in ea quam Papæ in omnes vsurpare volunt potestate, in munerum & sacerdotiorum moderatione propositum Papis fuisse, errores potiùs & abusus qui admittuntur stabilire, quàm emendare quidquam in iis & immutare, quemadmodum Christiani oēs optabant & sperabant. Abusus verò multosq̄ magnosq̄ esse nemo non videt. Auaritia, simonia, sordidissimę sacerdotiorum nundinationes, in muneribus designandis administrandisq̄ confusiones, tota veterum Canonum uersio luce clariora sunt, & in oculos omnium incurrunt. hę sunt corruptiones, ob quas multis iam sæculis pii viri gemuerunt, & rerum morumq̄ in Ecclesiastico statu reformationem mirum quantum experiuerunt. Nulla longo tempore comitia in hoc regno gesta sunt, in quibus prouinciarum libelli huius-

modi querelis, itemq; supplicib. ad Reges nostros postulationibus referti non fuerint: vt appositis & salutaribus remediis Ecclesiæ saluti subuenirent, si Papæ rem tantâ negligeret, & rationi minimè cederet. Spes aut erat id in Concilio Tridentino factum iri. at contra indagata tantum sunt viæ, quibus malû illud inueteratû retineretur, & ad posteritatè etiâ ppagaretur.

In Concilii clausula manifestius etiam pate- *Nullitas*
factum fuit, qua id apud nos auctoritate vale- *Conciliis*
re deberet. Nam quamuis scientibus omnibus *Trid. in*
decreta in sessionum sine, Tridenti non prius *conclusio-*
legerentur, quàm facta & reformata Romæ *ne.*

fuisse: hæc tamen Concilii conclusio fuit, omnia quæ Tridenti constituta & promulgata fuissent, arbitrio & voluntati Papæ submitti, tam diuq; rata firmatq; mansura, quâdiu ita ipsi placeret. Id verò erat Papæ, si Concilio illi præfuisse, Spiritum sanctû submittere. deniq; Papæ id largiri, quod antea Concilia illi denegarent, quodq; Gallia nostra in controuersiam semper ac disputationem vocauit, nêpe Papas dignitate & auctoritate Conciliis superiores esse. Hæc satis multæ grauesq; sunt ad Conciliû istud tum infirmandum, tum de aliorû sanctorum & legitimorû numero delendû rationes. Illic multa singularia admissa sunt, de quib. & hi & illi queruntur: sed præcipuè cõtra Regum nostrorum nomen & auctoritatem, & in magnam Gallicanæ libertatis fraudem ac detrimentum. Reges nostri sua illic sedendi prærogatiua priuati sunt, eaq; in Regem Hispanum trãslata de industria fuit, vt supra omnes esseretur, eiq; arthabo qdam & via daretur, ad sperandâ in tota ditone Christiana Monarchiâ,

Qua contra Regum Gallia nomen, Gallia eorumque libertatem in Concilio Trid. admissa, sicut.

ibidem

ibidem quoque decretum fuit, quibusnam modis plus potestatis in hoc regno Papis daretur, quam concessum unquam fuisset. Quæ quidem omnia satis aperiebant Dei spiritum illi Concilio minimè præesse, ut primis quondam Conciliis præfuit, sed priuatos affectus, studia, ambitionem: quæ omnia legitimo Concilio contraria sunt.

Vt ut se res habeat, nullum ferè est in Christianis gentibus regnum, nulla Respubl. quæ non existimet, se iustissimam illius reiiciendi causam habere: neque ex iis solùm quæ à Papa defecerunt, sed aliis etiam. Per multi longè, prospicientes quid inde euenturum esset, statim ab initio illi intercesserunt, ac nullum planè esse, palàm professi sunt, alii idem postea fecerunt. Sed nostri in primis Reges, eorum consilium, suprèmaque Curia in eo tantas absurditates totque indignitates ac fraudes huic regno illatas inuenerunt, ut illud promulgari nunquam passi sint, quantumuis Papæ & Ecclesiastici rem vrserint ac flagitarint, ea etiam comminati quæ hodie videmus. Quæ cum ita sint, nihil causæ iam existit quamobrem eiusmodi Concilio standum ita sit, ut aliis sub Principum auctoritate cõuocandis Conciliis ad pacem huic regno conciliandam via præcludatur.

An post Concilium Tridentinum nullum amplius conuocari debeat. Quamquam autem Tridentinum istud Concilium tale omnino esset, ut probadum & admittendum videretur: non inde sequitur nullum amplius post illud habendum esse, si Christianæ Ecclesiæ trãquillitas id requirat. Quum medicina nullo fructu adhibita fuerit, sequitur nè nullam illi aliam à medico adiiciendam esse?

esse? quod vnum Concilium efficere non potuerit, de aliis sperandum est effici posse. si ad veteris Ecclesiæ exempla veniendum est, constat certè maioribus nostris nec absurdum nec superuacaneum visum fuisse, vt plura eadem de re Concilia conuocarentur. Contra enim Arrianos, contra Donatistas, contra Pelagianos, quoties iterandum Concilium fuit, vt iis qui in errore versabantur, omnis conquerèdi & pertinaciùs in hæresi sua manendi occasio præcideretur? Viginti quinque ab hinc annis & eò ampliùs Concilium Tridentinum peractum & conclusum fuit: si ab eo tempore duotriue Concilia habita fuissent, quod in superioribus deliberatum decretumq; fuerat, factum fuisset. si concedatur Concilia conuenientissima esse Ecclesiæ morbis remedia: quæ tandem ratione ea ampliùs non habebuntur? Martianus quidem Imperator, ne quæstiones antè disputatæ & solutæ in controuersiam denudò reuocarètur, sapientissimè constituit. sed de iis dictum id volebat, quæ ex Dei verbo & in pio legitimoq; cui contradici sine manifesta malitia & impudentia non posset, hominũ conuentu explicatæ & definitæ fuissent, vt ne disputationes & controuersię infinitæ & immortales essent: quales illæ forèt de Trinitate, de Mediatoris persona, quæ toties iam agitatæ & penitus excussę fuerunt. Si aut tempore alie nascantur, aut Ecclesię tranquillitas alia ratione retineri nõ possit, nisi res in disquisitionem de integro veniant, vt magis magisq; enodentur, atque illustrentur: quid incommodi sequitur, cùm idem semper sit Iudex, sacra scriptura, ex cuius auctoritate controuersia diri-

ma-

matur? Quot sunt autem malè instituta Concilia à sequentibus aliis correctà, rebus accuratius & attentius exquisitis ac tractatis, quę antea aut præcipiti festinatione, aut ignorantia, aut malis artibus, iniquisq; cõsiliis malè decretę fuissent? Quę igitur sit de Tridentino Concilio obiectio, nulla verà firmatq; ratione nititur, qua tum Regis, tum Principum, & aliorum qui pacem exoptant, clarissimorum virorum studium consiliūq; impediri aut possit, aut debeat.

Papa Concilium detrectate, Regem conuocare illud pro suo iure posse.

CAPVT XXI.

Permulti Papam non concessurum Concilium, sed impediturū potiùs existimant. Si id faciet, id abs re faciet. Miserum huius regni, quod reliquarum Christianarum nationū robor & adminiculum fuit, statum videt: nec ignorare potest harum miseriarū aut causam aut saltem pretextum apud hostes, qui tantas in hoc regno turbas excitant, ex religionis cõtrouersis nasci, nec vllum aliud existere vquam remedium, quàm vt pars vtraq; in amicum & placidum congressum colloquiumq; veniat. idem Papa satis nouit quot misellę animę de salute sua anxio & sollicito animo sint. Quodd si Concilio moram impedimentumq; afferet, ne illam opinionem nimium inueteratam, qua & malè esse in hoc regnum animatus putatur, & parum æquo animo laturus, si tumultus bellaq; ciuilia sedarentur, ob clandestina quę cum hostibus habet consilia, valde cõfirma-

firmabit: & religionis etiam reformatæ hominum, qui illum nihil minùs quàm Dei gloriam Ecclesiæq; concordiam, & salutem curare passim dicunt, querelas in dies corroborabit.

Verumenimvero si Papà Concilium impedire velit, non propterea Regem & eos qui illi sunt à cōsiliis habere illud nec debere nec posse putandum est, cùm totius regni emolumentū, Dei gloria, subditorumq; salus id requirant. Nulli dubium aut incognitum est, quæ sit Regum potestas & quod officium, quum de religione agitur: quid Deus ipsis præcipiat, & quid pii Principes in Ecclesia sub Lege, ac deinde in Ecclesia Christiana præstiterint. Illi longè falluntur, qui putant, Regibus & gladium & auctoritatem in hunc tantum usum datam esse, ut res humanas curent & tractent. est aliud præterea quo magis tangi afficq; debent, nempe Dei dignitas & laus, Ecclesiæq; salus. Fateor equidem Euangelii prædicandi munus atq; disciplinam, qua hominum mentes & conscientia regantur, aliis commissam esse. distincta est hæc procuratio, quam Reges tenere & usurpare non debent, ut in Ozia Regis Iudaici factò exemplum habent. sed eorum est videre & curare, ut Dei Euangelium annuntietur: ut ii, qui animas regendas habent, suo munere fungantur, ut quæ accidunt corruptiones corrigantur, ut Deus ab omnibus colatur, ut Ecclesia quiete & tranquillitate fruatur. ad hoc verò suam omnem auctoritatem cōferre debent. Quàm in re Principis dominatio laudabilis videretur, si sua quisque pacatè possideret: malè autem cum cōscientiis ageretur?

*Principib.
cur gladi-
us datur.*

2. Chro. 26.

si suum cuique etiam infimo tribueretur: Deus
 verò ius suum cultumq; sibi debitum in eorū
 regnis & imperiis non haberet. si fures & ho-
 micidæ coercerentur: illi autem, qui & animis
 falsa sua doctrina exitio sunt, & Ecclesiam dis-
 cidiis corrumpunt ac perturbāt, impuniti atq;
 inulti relinquerentur? D. Paulus ait, Deum tū
 Reges tum magistratus constituisse, & nobis
 pro iis orandum esse, vt vitam quietam & trá-
 quillam cum omni pietate & honestate dega-
 mus. Pietas cum honestate, vocationis in qua
 Deus eos constituit, finis est. hoc inquam eorū
 munus & auctoritatis est efficere, vt pietati
 vbiq; sit locus. In hoc autem pietas cernitur,
 vt subditorum omnium animi probè institui-
 antur & regantur: atque obedientia & cultus,
 vt Deus requirit & præscribit, illi præstetur.
 Qua verò in re Dei serui essent, vt eos D. Pau-
 lus vocat, si subditorum suorum paci & otio-
 in iis quæ ad hanc duntaxat vitam necessaria
 sunt, consulere: quæ autem ad Deum & ad
 eius Ecclesiam pertinent, ea negligere? Legis
 diuinæ in omnibus suis partibus custodes sunt
 & conseruatores. ea autem duabus tabulis cō-
 prehensa est: quarum ea, quæ ad Dei honorem
 cultumq; spectat, dignitate & ordine prima
 est, vt Principum officia in ea potissimum, &
 in primis eluceant, quò Deus rectè honoretur
 & colatur. Atque ob id maximè Dauidis, Io-
 saphati, Ezechie & Iosie studium ac diligenti-
 am laudamus, prædicamusq; eorum regna fu-
 isse ob id beatissima, quòd pii illi Principes ni-
 hil prius & antiquius haberent, quàm id olola-
 trias & corruptiones sua auctoritate expurga-
 re, religionemq; firmè constituere. *Contra*
alios

1. Tim. 2.

*Pietas cul-
 tusque di-
 uinus su-
 prema lex
 esto.*

Rom. 13.

*Principes
 cur Deser-
 ut dicant-
 turo*

alios vituperamus, qui sua negligentia & incuria perueri pessumq; ire omnia sinerent. Probi Principes nihil maiori curæ commendationiq; habent quàm Dei honoré, atq; agnoscunt se à Deo euectos & in regno etiam collocatos hoc potissimùm nomine fuisse, vt ipsi vicissim, si ita loqui fas est, eum ornent, gloria afficiant, eiusq; regnum pro virili parte euehant: sibi etiam tam multos esse subiectos, vt eorum salutem curent ac præstent.

Si autem Ecclesiæ Dei conseruatio & religionis veræ constitutio ad Principes attinet, ad eos etiam qua ratione vtrumq; præstari possit, attinet. Quum tempora per hominum inertiam, aut quorundam malitiam vitia & morbos in Ecclesiam inuexerint: hoc vnum & præsens remedium est adhibere eam normam & regulam, quam Deus in sacra scriptura nobis præscripsit, per eamq; omnia quæ opus erunt, dirigere, corrigere, sanare, & in pristinum statum restituere. ideoq; eos qui Ecclesiam gerunt & administrant, conuocandos curare, exhortariq; & sollicitare, vt ad eam rem se totos conferant: ac, si quæ sunt contentiones, & discidia, ne longius ea serpere patiantur. Ecclesiæ, Deiq; cultus custodia & conseruatio ad Principes minimè pertineret, nisi hæ rationes & remedia ad eos quoque pertinerent. Possè autem hoc pro suo iure & auctoritate facere, est pro suo quoque iure & auctoritate Concilium cogere. Quid verò præclarior, augustius, & honorificentius Principis amplitudini, & ei, in qua Deus eum constituit, vocationi conuenientius, quàm eum in sancto illo cœtu interesse, non vt pro animi libidi-

*Principū
in Ecclesia
prouidentia
dominus
oposcitur.*

*Quam sit
ex officio
Principis
et Concilio
presideat.*

bidine de fide & Dei cultu constituat, sed Bibliis, id est, Prophetarum & Apostolorum scriptis sumtis, ac in mediū propositis, illis omnibus, qui adsunt, præcipiat, vt ea in controuersis omnibus disceptandis & definiendis, Iudicis loco habeantur, primusque iis se submittat, & quæ illic hac ratione decernentur, iis fingillatim obtemperaturum se profiteatur? Deinde partem vtramque ad pacem & concordiam, ad veteres inimicitias & contentiones deponendas, ad iniurias voluntaria obliuione conterendas, sibiq; mutuo condonandas exhortetur? Sophismata inanesq; altercationes impediatur, & si qui sint quietis Ecclesiæ turbatores, contentiosique clamatores, eos refrenet & coerceat, faciatq; vt sua omnibus libertas seruetur? Denique illic intersit non tam sedendi loco & dignitate primus, quam pietatis, reuerentiæ, summique & pii erga Dei honorem Ecclesiæq; salutem exemplo primus? vt historiarum monumenta produnt viam illā Principis Christiani imaginem in Constantino Magno extitisse, quo tempore Concilium Nicanum habebatur. Ecquis verò plus auctoritatis ad cogendos, regendos, & ad felicem exitum adducendos hos cœtus habebit, quam Princeps? Illud igitur Principum muneris proprium est.

Quòd si pluribus hac de re agendum est, ad exempla veniamus, videamusq; annon id semper iuris & auctoritatis Regū Principumq; fuerit Concilium conuocare. Tempus fuit, quū Ecclesia nec Principes, nec Magistratus fideles habebat: tunc verò Concilia ex eorum auctoritate congregari non poterant, sed Episcoporum & Pastorum consilio & diligentia vnā cū
Eccle-

Ecclesiarum consensu. at quandiu fideles pi-
 que Principes fuerunt, id semper ex eorum au-
 thoritate gestum est. Ezechias, & Iosias re-
 gnum adepti maximas in Ecclesia corruptio-
 nes cum offendissent, sui esse officii putarunt,
 is remedii aliquid adferre. Nulla ad eam rem
 commodior via visa est, quam celeberrimorum
 sacerdotum, Levitarum, & aliorum ex reliquo
 populo piorum virorum conuentum agere. acti-
 cere sunt illi conuentus, vno piorum illorum
 Regum, nec vllorum aliorum imperio & au-
 thoritate. Ex quo autem Christiana Ecclesia
 Principes Christianos habuit, ita etiam factum
 fuit. Nicentini, Constantinopolitanum, Ephe-
 sinum, & Chalcedonense Concilia, omnium
 que vnquam fuerunt celeberrima, Constans-
 tini, vtriusque Theodosii & Martiani Impera-
 torum edictis promulgatis habitata sunt, prout
 Ecclesie & Imperii utilitas postulare videba-
 tur. Illinc vero manifestum toti posteritati ex-
 emplum edebatur, quod sit Principum officium,
 que item potestas: id quod etiam postea
 obseruatum fuit, quoad Papae dominari, &
 Principum auctoritatem vsurpare coepissent.
 Et quem admodum Imperatores in Imperio il-
 lud ita imperabant, sic postea boni Principes, qui
 regna ex Imperii Romani ruina a Deo constituta
 gubernabant, idem in sua quisque ditione facti-
 tarunt. Pretermitto ea que in Hispania & aliis
 in locis celebrata sunt. In Gallia Clodoueus v-
 nus Aurelię congregauit, Cheribertus alterum Tu-
 ronibus: Childebertus vnus Aurelię, aliud etiam
 Lutetia: Carolus Magnus diuersis in locis sex
 aut septem, & postea illius successores alia. con-
 ciliarum Conciliorum historie & acta etiam nunquam extant.

Concilia
 Ezechias,
 & Iosias
 temporibus
 acta.
 2. Chr. 29.
 4. Reg. 23.

Concilia
 sub Imp.
 Christianis
 habitata

Concilia
 sub Gallis
 Regibus
 acta

In illis verò omnibus de supradictorum Regum, quorum nomine coacta fuerant, mandatis & imperiis sermo tantum est: multaq; illic in bonorum illorum Principum, qui tantam Ecclesie curam suscepissent, laudem dicuntur, quæ cæteris ad officium suum & exemplo & admonitioni esse possint. De Papæ autem Romani auctoritate & de vlla ab eo impetrata venia, nulla omnino mentio fit. qui historias eorum temporum viderunt, hoc facile concedent. Postea verò Principes negligentiores multò & segniores ad hoc munus fuerunt: tuncq; Papæ illorū auctoritatem occuparunt: primū quidem Principibus nec intercedentibus nec prohibentibus: deinde verò, quum solidam eius possessionem consequuti sunt, quæsitā & confictā alia causa. Nihilò tamen minùs singulis ætatibus permultorum adhuc Regum exempla extant, qui hoc illorum esse munus agnouerunt: interdum etiam eo vsque progressi, vt ad Paparum arrogantiam refrenandam, vniuersum regni Clerum contra eos congregarent. Philippus Pulcher Concilium Lutetiæ habuit, cui & ipse præfuit, idq; contra Bonifacium VIII. Carolus VI. alterum contra Benedictum XIII. habuit, in quo statutum fuit ne aurum argentumq; Romam ampliùs è regno transferrentur. Ludouicus XII. aduersus Iulii II. furores aliud Turonibus coegit. Illic decretum fuit, si Papæ eò temeritatis venirent, vt in Gallia Reges excommunicationes suas iacerent, nullo eas loco numeroq; fore: Gallique Reges posse ac debere sua iura cõtra quoslibet, & Papas ad eò ipsos defendere. Hæc autem exempla omnia non solum eò referuntur, vt

*Concilii
cogendi potestates
quæ do à Papis
vsurpata.*

Qua Concilia aduersus Papas à Gallia Regibus habita.

vt doceant quid Reges præstare possint, sed etiam vt eos admoneant, id eorum pietatis & muneris à Deo demandati esse, Concilia prout & res & tempora ferent cogere, quorū beneficio auctoritateq; tum Deus colatur, tum vera religio ad populorum quos suæ fidei concreditos & commissos habent, vtilitatem & salutem conseruetur: nec Papas Papparumq; minas & conatus, si ei rei obstare vellent pertimescendos. Quare cum Rex eò vsque progredietur, vt contra Papæ etiam ipsius voluntatem rebus præsentibus prouidere velit, nihil præter officium facturus videbitur. Atque hoc ipsum est, quod Regis consilium Comitiss Aureliæ sub Caroli IX. regni initiū conuocatis ad huiusce regni emolumentum necessarium esse iudicauit. Verum Deus nobis meritissimè iratus suaprius iudicia exequi volebat. itaque id boni impeditum interuersumq; fuit, & alteram belliciam huic contrariam sequuti sumus, vnde postea miserrima nostri fundi calamitas, extremaque nostrum omnium perniciēs consequuta est. Nunc verò tempus est vt in rectam viã redeamus, & salutare illud, quo boni Principes vsi sunt, consilium sequamur, atque pacem, conscientiarum tranquillitatem & Dei gloriam longè pluri quàm hostium, qui iis obstare niterentur, obmurmurationes ac minas facientes: cum pia Regis & Principum de Concilio habendo sententia ac proposito nostra vota dextrasq; piè & fortiter coniungamus.

*Conclusio.
Possè Regem etiam
rennente
Papa Concilium con-
gere.*

Non esse metuendum, ne non Rex Concilium legitime habendum curet.

CAPVT XXII.

QUUM de Concilio agitur, vt de eo bene sperari possit, illud esse legitimum oportet, nam quum alia fuerunt, euentus inde non felix & optatus, sed Ecclesiæ perniciosus consequutus est. nobis autem sperandum Regem in eam rem daturum operam, vt sanctum illud & legitimum habeatur. Concilia verò aliquando illegitima Ecclesiæ quæ perniciosa fuerunt, quòd confirmandi potius erroris & mendacii, quàm veritatis indagandæ & illustrandæ gratiâ illuc veniretur: quòd præiudicia prauitq; affectus eò adferrentur, non simplex animorum submissio: quòd pars altera summam potestatem haberet, altera repudiaretur, indignèq; tractaretur: quòd libido quorundam & auctoritas locum iudicis illic obtinerent, non scripturæ sacræ: quòd Dei nomen ab iis non inuocaretur hoc animo, vt Deo obedire, & eius vocem ac præcepta ex sacra scriptura intelligere, eisquæ omnino obtemperare se velle profiterentur. Eiusmodi conuentus Conciliorum quidem nomen præ se gerunt, sed re vera hypocritarum, Dei irrisorum, eius verbi aduersariorum, atque eorum, qui & alios seducunt, & ipsi seducti sunt hominum conuentus fuere. Cuiusmodi fuerunt sacerdotum, Scribarum, & Pharisaorum, Christi, Apostolorumquæ temporibus conuenticulas Arrianorum præterea, & aliorum eius notæ hominum Concilia, de quibus nihil sani sanè etiq; sperari potest. At multa hodie sunt, quæ nobis certâ adferre spem debent, Concilium, quod

quod Rex nobis promittit, longè aliud fore.

Rex quidem catholicam Romanam religionem non profitetur: sed illius Religionis hominibus non satis magna iustaque occasio est metuendi, ne Rex Concilium legitimè non conuocet. Nihil profectò dici potest, Regem quidquam fecisse hactenus, siue ante, siue post regni huiusce adeptionem, vnde in suspicionem aliquã venire possimus, hanc illius mentem consiliumq; esse, vt velit conscientis suæ summa auctoritate imperare, & quempiã ad suam religionè colendã pro maioris imperii iurè adigere. Si antea id fecisset, vt alii Principes non absre fecisse existimantur, putari fortasse nec iniuria posset, Conciliũ eo nomine conuocatum iri, vt quicquid ipsi libitum fuerit, absq; accuratori Dei ex sacra scriptura voluntatis disquisitione constituatur ac sanciat. Verũm nihil aliud in Rege cernitur quàm summus acerbissimusq; dolor, quòd Ecclesię status ita sit perturbatus: quòd conscientię in tanta dubitatione ancipitiq; sententia fluctuent: quòd vis & arma quę nos ad faciendũ credendumq; quilibet cogant, pro institutione & præceptis inferantur. Cũ Deus igitur hunc tantũ dolorẽ, & confusionũ, quę in mundo sunt, cõmiserationem Regis animo indiderit, sperandum est iis illi inesse. quod nõ ita foret, si violentiã aut alia via, quã liberis sententiis & aliis legitimi Concilii rationibus rem tentare ac perficere vellet.

Ille ipse pollicetur sese illi submissurum, & institutionem, in qua formetur, accepturum. Ea autem submissio hanc vim habet, vt declaret, se nolle quidquam in eo decidi

*Quantope-
re R-x his
Ecclesia
urbis sac-
cursum est
piulo*

*Quam cu-
pidè se Con-
cilio subo-
mittat.*

di & statui ad suum arbitrium, ad eumq; modum, quo Princeps in aliis rebus de legibus & constitutionibus humanis decerneret. Illud sanè profiteri est, Deum illic per sancta Prophetarum & Apostolorum scripta in folio collocatum iri, omnia ex suo verbo præscripturum: Regem quoque ipsum vnà cum reliquo populo inde eius voluntatem percepturum, vt illi & obediat, & suum diadema, suum sceptrum totamq; suam potentiam submittat. Adhæc pacis in religione constitutionem, rectumq; in Ecclesiæ statu ordinem ex hominum auctoritate minimè stabilitū iri: sed quo prorsus modo ex sacra scriptura stabiendum esse constabit. Quis submissionem maiore, & partium ambarum voluntati ac desiderio ad omnem metum adimendum optabiliorem & accommodatiorem requireret? Si Rex esset religionis Romanæ, tantumdem religionis reformatæ hominibus metuendum esset: sed qualiscunq; tandem Deo ita volente nobis contigit, id saltem laudandum, quòd & institui, & Dei voluntati assentiri velit. Hæc verò submitisio nonne tantumdem valet, ac si se medium declararet, ad nullam aliam quàm ad Dei partem se inclinaturus, quemadmodum probatum fuerit? Non est certè alter Nabuchodonozor, qui summo iure eam quam erexerat statuam coli iubeat: non est ille Antiochus, qui vnã suam religionem imperet, aliis interdicit: non est alter Constantius, qui in religione idem secum non sentientes persequatur: aut quispiam deniq; alius, qui hoc axioma pro ipsa ratione breuiter & absolutè statuatur populo suo eandem secum religionem colendam esse.

nihil

nihil omnino eiusmodi in Rege nostro com-
pertum fuit. Ille est ex toto suo populo pri-
mus, qui quæ Concilio ex Dei verbo placue-
rint, ea se auditurum, iis etiam se submissurum
profiteatur.

Hæc autem submissio ab eo Principe pro-
ficiscitur, vt nemo dubitare possit, quin ea ve-
ra ac sincera & è recta conscientia manasse vi-
deatur. Huc enim vsque sese Principem vera-
cem, fide integrâ, sine vlla simulatione semper
præstitit. Si alius fuisset, penes illum iamdu-
dum erat è tot laboribus & periculis quæ ante
xx. annos adiit, sese eximere, vt iam diximus.
sed ea tanta tamq; singularis integritas sepius
hic repetenda est. Sua illi duntaxat Religio
dissimulanda: vnâ illi simulatione tantummo-
do vtendum erat. At bellorum tam diuturno-
rum molestias, labores, & pericula subire, per-
petiq; maluit, quàm veritatè ementiri & con-
trâ quàm sentiret, temporis causâ fingere &
facere. Hoc satis magnum argumentum est ad
credendum Regem nec Dei timoris expertem,
nec mendacem esse. Quum igitur vltro polli-
cetur ac recipit se Concilium legitimè conuo-
caturum, siq; se submissurum testificatur: nul-
lo modo dubitemus, quin verè & seriò loqua-
tur, quin ipse vnâ cum populo suo piis institu-
tionibus erudiri, salutisq; viam omnibus co-
gnosci cupiat. Quòd si hæc tam sincera volun-
tas in illius animo bene penitus infixâ est: hinc
nobis pro certo habendum est, omnes illum
indagaturum ac persequuturum vias & ratio-
nes, quibus efficiatur vt Concilium sanctum
& legitimum sit. Expeteretne Concilium cum
tot tantisq; se illi submittendi, & suis omnibus

*Regis ad-
mirandæ
integritas
& constan-
tia.*

*De Regis
fide mini-
me dubi-
tandum.*

subditis ea quæ ad salutem conferant, eius beneficio discendi testificationibus, vt Cōcilium nobis polliceretur aliud, quàm aut fuerint futura sint ea omnia, quibus Spiritus S. ad Ecclesiæ salutem præest?

*Concilium
Et legitimum sit,
quid requiratur.*

Rex eam hodie religionem colit, qua devinctus & adstrictus est ad rectum legitimumque Concilium habendum. Nam & illi & alij Religionis reformatę homines Papparum Concilia reiiciunt, & ea contrà proponunt, quibus probatur ea legitima nō esse: quemadmodum suprà in Concilij Tridētini quæstione dictum iam fuit, verorum Conciliorum formam opponunt, quam ex rectorum sacrorumq; Conciliorum, quæ olim celebrata sunt, & quæ in dubium nullo modo reuocantur, exemplis, à se fide summa collectam fuisse ostendunt. Res tota huc credit, vt æqua omnibus libertas seruetur: vt ij qui actioni illi moderandæ ac regendę præerunt, sint integritatis spectatę exploratęque viri, qui que non dubijs argumentis sua in Dei gloriam populi que salutem studia summa esse & sincera comprobarint: vt sophismata & contentiosę argumentationes, simul & ea omnia, quę sola hominum, quicumque illi tandem sint, auctoritate nituntur, illinc excludantur Vt solum Dei verbum Prophetarum & Apostolorum scriptis comprehensum, argumentorum, quæ illic agitabuntur sit fundamentum & regula, solusq; iudex: vt in locis obscuris lumen & solutio ex aliorum locorum collatione in iisdem scripturis quæratur: Vt sancti Patres eò quidem admittantur, sed vt homines, & eo loco ac numero quo esse ipsi in Ecclesia voluerunt, & quo alios Patres

Patres antecessores suos ab Apostolorum tempo-
ribus, habuerunt, quemadmodum in ipsorum
scriptis summo consensu extat: nimirum ut au-
diantur & credatur, quatenus cum Prophetarum
& Apostolorum doctrina consentire reperien-
tur. Denique ut veritate ex sacris scripturis per-
specta & cognita omnes consuetudines, senten-
tiarum, & quęcumque illi opponi possent, omnia eua-
nescant, quo eam unam sequamur, illique uni ceda-
mus. Sic igitur Religionis reformatarum homi-
nes de recta Concilii forma ex sanctorum Con-
ciliorum veterum exemplis loquuntur: profiteres
aliis omnibus cautionibus, quę ad omnem me-
tum & suspensionem tollendam proponuntur, se
submituros: sed ea lege & conditione, ut in Con-
ciliis tota auctoritas penes unum Christum sum-
mum Ecclesie doctorem remaneat: semperque
constet eum ventum fuisse ad illius tantummodo,
non autem ad externorum vocem audiendam,
Quum autem Religiosi contra illegitimas Con-
ciliorum Pontificiorum actiones ita contem-
dunt, voluntque ut vetus conventuum Ecclesie
generalium aut Conciliorum in Israelitico populo
primum, deinde in Christiana Ecclesia coacto-
rum forma accuratissime observetur: illud ve-
ro est legem sibi ipsis prescribere: ita ut ex ea sen-
tentia Rex quoties Concilium congregandum
curabit, illud omnibus legitimis viis ac ratio-
nibus congregare teneatur.

*Conciliū
auctoritatem
penes unū
Christum
esse debet.*

*Regis de habendis Comitibus promissum: &
quod dominus sit populi officium, ut quod Rex de Con-
cilio & Comitibus promittit, assequamur.*

CAPVT XXIII.

PRæterquam quod Rex Concilio se submit-
surum

*Trium Or-
dinū con-
uentus, re-
gni Gallia
columen
& salus.*

furum pollicetur, est promissum aliud quo etiam se obstrinxit, nempe de Comitibus edicendis & conuocandis: quod magnum populo suo solatium gaudiumque allaturum est, spemque maximam cum illius regno prosperè feliciterque actum iri. Trium ordinum in hoc regno conuentus, regni huius fuit contra offensiones, & casus qui quotidie accidunt, & grauissimas aliquando ruinas firmissimis validissimisque Monarchiis important, vnica salus: fuit efficacissima tollendi confusiones & iis prouidendi, atque singula regni membra (seruato cuiusque ordine & gradu) in summa consensione & concordia retinendi ratio: certissima etiam & proxima populi amorem Regi conciliandi, eius dominationem libentius subeundi & tyrannidem impediendi via. Si quosdam alios, qui aliter senserint ac fecerint, Reges habuimus: (sic enim illorum consiliarij aliquando censuerunt, summam penes cos solos non fore potestatem, si Comitibus conuocarent) id quidem consilium nihil nisi summam perniciem tum ipsis tum eorum subditis attulit. Neque enim populus æquo animo fert celebrem hanc, & ab omni hominum memoria uisitam communicationem sibi denegari. Ex hac autem offensione nascitur odium in Principem, & ex hoc odio simultas, quæ tandem in grauissimas calamitates euadit. Obedientia autem voluntaria est, & ingenua: amor itidem in Principem tum maximè cernitur, quum & in populi sui conspectum venire gaudet, & illius querimonias libenter audit: quum familiariter cum illo agit, ut pater cum liberis, & salutaribus illius consiliis admoneri, prudentior-

tiorq; fieri cupit: atq; omnibus argumētis con-
 firmat hunc esse sibi in tota sua regni admini-
 stratione scopum propositū, vt subditorū com-
 modis ac tranquillitati maximè seruiat & con-
 sulat. Rex autem eo animo & consilio regni
 gubernacula suscepit, addito etiam de conuo-
 candis Comitibus promisso. Hinc nempe popu-
 lum suum statim à regni sui initio admonitum
 vult, cupere se vt hæc columna, qua regnum
 aduersus tot sæculorū hostiumq; iniurias cor-
 roboratum firmissimè substitit, cum pietate,
 quæ altera est columna (cuius etiam rationem
 diligentissimè se habiturum per legitimum
 Concilium pollicetur) coniuncta permaneat.
 Summo quoq; desiderio se teneri & in subdi-
 torum suorū conspectū venire, & eos comple-
 cti, & cum iis consultare, quibus rationibus o-
 mnia in meliorem statum restitui possint. Illud
 verò non est tyranni instar cum summo iure &
 effrenata animi libidine regnum velle capeffe-
 re: sed specimen & arrhabo quidam mitissimæ
 futuræ dominationis, qua sit cum maximo o-
 mnium gaudio solatioq; vsurus. Regem autem
 id omnino promississe, necnon & Principibus,
 & regis coronæ Consiliariis atq; ministris,
 & per eos vniuerso populo, sincero planè stu-
 dio animoq; non ficto se obstrinxisse, quod an-
 tea de ipsis in promissis præstandis fide & in-
 tegrâ conscientia iam dictum est, nobis omni-
 no persuadere debet: cum præsertim populi
 quos ipsi Deus subiecit, illius dominationem
 cum alibi, tum maximè in Comitibus legitimè
 habendis (vt ex eorum sententia & decretis re-
 gni totius negotia administraret) per huma-
 nam lenissimamq; experti semper fuerint.

Comi-

*Comitia
quàm sint
necessaria*

Comitia verò hodie pernecessaria esse, & magis quidem quàm antea vnquam, nemo est qui nesciat. Ante tumultus hosce postremos rerù perturbationes & confusiones tantæ vbi que locorum erant: bellaq; totiam mutationes fecerant, vt nulla alia ratione, quàm libero & generali cõuentu iis prouideri posset. Et nostri quidè Reges id dudum cõgitabât, sed fieri minime potuit. Nũc verò ea quæ acciderũt, vniuersas huius regni partes eò miseræ redegerũt, vt dicere merito possimus actum de nobis esse, nisi salutari hoc remedio vtamur. Quisq; putat iustam conquerendi occasionẽ se habere, atq; optandi ne rerù gubernatio sit talis in posterũ, qualis antea fuerit. Vno omnium ore postulatur, vt iustitia rectiùs administretur: vt in iis, quæ nobis sustinenda sunt, oneribus plus moderationis adhibeatur: vt priuilegia & prerogatiuæ diligentius seruètur, immèritas summum coerceatur, & ad modũ quendam reuocetur: vt deniq; vnusquisq; in locum suum restituitur. Hæc sunt, quæ in Comitiiis agitari debent. nec sperandum nobis est regnum hoc in antiquum splendorem & dignitatem restitutum vnquam iri, nisi illius membra ita distracta in vnum corpus congregentur, & in mutuum conspectum colloquiumq; veniant, vt communi consensu summæ omnium trãquilitati studeatur & consulatur. Hæc autem concordia nulla conuenientiori ratione aut conciliari aut confirmari potest, quàm comitiis. Illud vnum vinculum est, quo iterum cõiungit, & in pristinum maiorum nostrorum statum restitui possimus.

Vnus autè quisq; vtrò fatetur illud quidem
vnum

vnum remedium esse, sed cogitandum quomodo, uti eo possimus. Huc usque postulata sunt *Comitia* Comitia. Reges ea concesserunt. Verum *quomodo* Ble- *videndum* fis iam bis habita non modò non quidquam profuerunt, sed has factiones & discidia auxerunt, intenderunt, exacerbarunt, rationesque nostras magis quàm antea unquam affixerunt. Non quòd Comitia non sint salutare huius regni morbis remedium: sed illorum eadem planè ratio est, atque medicinæ, quum ægroti ad eam accipiendam comparati non sunt, nisi tantisper conquiescant, & omnem intemperantiam fugiant. Quum postrema Comitia conuocata sunt, factionibus disuncti eramus, atque animis similitate, acerbitate, diffidentia, odio perturbatis omnem nostrum conatum in mutuam perniciem parabamus. Comitia verò quum nos his prauis humoribus refertos offenderent, eorum naturam induerunt, factumque est, ut ea ad confirmandas nostras factiones & perniciosas quorundam spes promouendas adhiberemus. Itaque quod pro remedio erat, dolorem auxit, atque acerrimorum & acerbissimorum, in quibus hodie versamur, tormentorum & cruciatuum causa fuit. Rex debebat esse tanquam punctum in circuli medio ad quò ductæ undecunque lineæ concurrunt & iunguntur. ad eum eius subditi ex omnibus prouinciis accedere, sequè aggregare debebant, & pro eo quo Princeps ex Dei mandato colendus est amore & obseruantia, debebant eum ipsum, velut firmissimum còcordiæ vinculum habere, qualè se pater erga liberos præstat, tum demum Còcilia nobis salutaria fuissent. At còtrà nobis

nobis indignè turpiterq; ab infestis illius hostibus imponi passi sumus, & sinistras omnes opiniones, quas de Rege nostro, illiusq; Principibus inferere animis nostris voluerunt, libenter excepimus: venimusq; ad Comititia, nõ Regem ex animo visuri, nosq; simul vniuersos in ipsius sinum & complexum cū summo honore ac reuerentia coniecturi, vt sanctam nobis omnibus concordiam conciliaret: sed animis omni acerbitate exulceratis, factaq; conspiratione illic constituendi, quibus modis de eius potestate exire possemus, Comitiorum igitur exitus, hominibus ita malè affectis, nihil fuit aliud nisi bellum, cædes, breuiter misera isthæc defectio & animorum distractio, quæ hodie cernitur, quæq; nobis proculdubio exitium afferet, nisi Deus nostri misereatur.

Rursum igitur nobis hoc remedio vtendum est, si ad sanitatem vnquam redire optamus: nam nullum aliud accommodatius extat. Sed quoniam experientiâ didicimus quid & illius effectum impedierit, & eum in grauiores miseras conuerterit has pestes fugiamus, vt certissimum ac præsentissimum nostrum omnium exitium, si nobis diutiùs infideant. Deus Regem piè ad officium vsque quaque colendum voluntatis plenum nobis præbuit: hæc illi Comitiorum conuocandorum mentem & consilium dedit. Caueamus ne stet per nos, quominus id fiat. Istas similtates & inimicitias miseras faciamus: pacem verò & concordiam expetamus: in Regis, communis omnium nostrum parentis, quæ Deus nobis tribuit, sinum confugiamus: nostra illi pectora & querelas aperiamus. Tum demum ille conuentus Deo dante

dāte prosperè cedet, & quod nostri semper maiores inde consequuti sunt, sanitatis in omnibus huiusce corporis partibus restitutionem, nouum contra omnes casus vigorem ac robur, felicem denique horum omnium, quibus miserè diuexamur, malorum exitum consequemur. Quies & cessatio ab armis nobis per necessaria est, si boni aliquid adipisci velimus tum ex Comitibus, per quæ hoc regnum in antiquam suam amplitudinem & felicitatem restitatur: tum ex Concilio, quo tot tantisque contentionibus finem faciamus, atque Ecclesiam in pristino statu ad Dei gloriam & ad nostram omnium salutem florere videamus.

Questionis, quæ de Regis consecratione mouetur, solutio.

CAPVT XXIV.

Existit adhuc vna hæc, quam nonnulli de Regis inauguratione mouent, dubitatio, dum cogitatione sibi ipsis fingunt Regem, cum religionis Romanæ non sit, Remis minimè consecratum iri: indeque illum Regem esse non posse concludunt. Hæc autem dubitatio hinc proficiscitur, quod causa quæ Regem faciat, eique dominandi ius conferat, earum etiam ceremoniarum, quæ in consecrandis & coronandis Regibus adhibetur, natura vel ignoretur, vel non satis constitueretur. magnū. n. inter hæc discrimen constituedū est. Causæ quæ Monarchas, Imperatores, *Causæ regnandi ius* Reges, Duces aut alios huius conditionis viros *constituen* cum imperio efficiunt, eisque titulum & ius summo *tes.* cum iure imperandi in Monarchia aliqua tribuunt, aut hæ sunt pro variis Imperii constitutionibus: aut in paternam hereditatem, quæ filio patris morte,

S cedit,

cedit, ius successionis: aut eorum, quorum minus est eligere aut designare, per suffragia electio: aut alia, qualis est ea quam in hoc regno habemus, lex Regia. quisquis hæc habet, ius & regnandi habet: nec ullæ aliæ eius iuris causæ efficientes extant. Sed quemadmodum in alijs non tanti momenti rebus si possessio cuiuspiam adiudicetur, erunt aliquando pro locorum varietate ritus quidam, ex quibus consistit illius hanc esse possessionem, nihilquæ omnino iuris alijs in eam esse: de gubernandi & imperandi, quod ad Principem aliquem attinet, iure in ditione aliqua idem omnino statutum videtur. Nam ut vniuersus populus, quis sit ille Princeps cui summa obedientia præstari debeat, certior fiat: certi quidam à maioribus constituti ritus intercedunt: quales sunt solennes promulgationes & proclamationes, per quas Princeps quoque non solum de iure quod habeat, sed etiam quomodo uti eo debeat, commoneatur. Hi verò ritus in celebrando varijs & multiplicibus admodum seu forma seu tempore fuerunt. Tempus quidem, uti commodum & opportunum videtur, modo citius modo serius obseruatur: forma autem, hæc erit. Principes illi diadema sceptroque donabuntur, gladio accingentur, paludamento, aliisque eiusmodi ornamento vestientur. Prisci illi Galli in Merouingiorum stirpe non magnas certe adhibebant carum inias: sed eum, qui in regni possessionem venerat, in scutum, neglecto omni alio ritu, sublatum per media castra gestabant, & faustis acclamationibus prosequabantur. Illud certe in hoc regni inaugurationis ritu præcipuum est, velut in nostra Gallia, ut Principes, & alij regni

*Consecra-
tionis ritus
multos
alices.*

Proc.

Proceres ac populus fidem & obsequium Regi quem à Deo cōsequuti sunt vouentes, iure quē iurando adhibito se præstituros pollicentes illic assistant: Rex autem vicissim, quæ suæ sint partes intelligat, consuetoque sacramento confirmet optimū se Principem in regnando gesturum, & regnum cum omni pietate ac iustitia conseruaturum. Christiani præterea cærimonias quasdam addiderunt, quibus aut Regem aut Imperatorem precatione solenni Deo commendent, & in hac dignitate quodammodo consecrent. Omnes autem hi ritus & cærimonix, vt dixi, imperij ius nec efficiunt, nec conferunt, sed accessiones sunt, & vt ita dicam, decentiæ ac ritus, quibus illæ palam Rex declaretur, & magis ac magis confirmetur.

Eiusmodi autem accessiones & cærimonias *Rituum* non esse in iure constituendo necessarias, vn- *observatio*
de imperandi potestas Principi detur, & popu- *non necess*
lus ad obsequium illi præstandū teneatur, faci- *sarsa.*
lè doceri potest. hinc enim hæc tanta rituum & cærimoniarum varietas profecta fuit. In rebus quidem necessariis leges manent, quales sunt quas vulgò *Fundamentales* appellamus: in aliis verò rebus, mutationes liberę sunt. quo modo maiores nostri existimarunt Regem in scutum sublatū gestare, ritum esse, quem liberrimè, & citra vllum Monarchiæ detrimentū omittere, in eiusq; locū alios quospiam substituere possent. Causa etiā hæc est, cur minimè necessariū visum sit statim iis vti, quum quis Regis morte regnādi ius nactus fuerit: sed opportunitates & occasionēs expectatę sunt, vt in aliis rebus non necessariis & in medio positis fieri vulgò solet.

Regibus tamen regnare interim licebat, atq; in toto suo regno tum pacis tum belli tempore summam auctoritatem potestatemq; habere, ac perinde sese omnino in regni administratione gerere, vt si cærimoniis solitis inaugurati fuissent, Huius rei confirmandæ exempla tum in Germanorum imperio, tum in aliis etiam regnis & imperiis extat. Possunt enim quedam aut morborum aut peregrinationum necessariorum, aut bellorum, aut alia eiusmodi impedimenta accidere, per quæ ritibus illis vacare nõ liceat. In Gallia quidem tempus nunquam vtrò cõstitutũ proscriptumq; fuit, sed vtrunque tulit occasio. Quidam aliquando diu regnasse legitur, qui magnam regni sui partem traduxerat prius, quàm consecratus esset, vt Carolus VII. Henricus III. non ita pridem, cùm adhuc in Polonia esset, ius regni adeptus est, & à suo in Galliam reditu temporis aliquod præteritum est, antequam eiusmodi cærimonia fierent: Regis tamen munere fungebatur, de pace & bello constituens.

*Remenses
cærimonia*

Ex his de Regum consecrationibus & cærimoniis, quæ Remis fiunt, iudicium ferre debemus. Qui eam rem necessariam & de iuris Regum vi ac natura esse putaret, vehementer erraret, ob hanc quam mox adferam rationem.

S. Ampulla.

Primùm quod de sacra Ampulla ad Diuum Remigium, qua Clodoueam primum Christianum Regem cõsecraret, cœlitus missa dicitur, magnam dubitationem habet. Præceptum in tota sacra scriptura de habendo conseruandoque oleo, quo Reges vngantur, nullum plane extat. In veteri quidem Testamento legitur Reges quosdam vnctos fuisse, vt & Prophetas summi

summi quoque sacerdotes vncti erant. Sed tempora distinguenda sunt. Vnctio eiusmodi ex veteribus Legis cærimoniis fuit, vt typus esset vnctionis spiritualis Iesu Christi, qui verus Deus vnctus est vt noster fuis summus Rex, summus noster Propheta, summus noster Sacerdos. Verùm postquam harum cærimoniarum veritas in Christo patefacta & impleta fuit, omnes hæ cærimoniæ antiquatæ sunt. Et quidem certum est, quum Deus Ecclesiæ suæ Christianos Imperatores pro sua bonitate imperitari cœpit, tunc floruisse Doctores, pietate & doctrina insignes, quorum prudentia fidelique consilio in rebus gerendis vterentur. non constat tamen primis illis sæculis vllum eorum fuisse qui vel Imperatores vel Reges oleo vngendos esse censuerit, Regum qui subleget fuerunt exemplo & more. Factum autem id fuisse reuelatione quadam extraordinaria non facile assentientur, qui sciunt Euangelij luce, & Christi, per quem Deus suam nobis voluntatem omnino aperuit, patefactione visiones omnes reuelationesque extraordinarias desuisse: valdeque periculosum fore, si, quodcunque in medium proferetur, sub reuelationis nomine admitteretur, nisi quid aliud maius ad id confirmandum afferretur. Vtcunq; seres habeat, Dei reuelatio nominari haberiq; id non potest, quod Euangelij veritati ac simplicitati repugnabit.

Chronica Fræciæ hoc quidem commemo- *Franci Ge-*
 rant: sed qui in historiarum cognitione versati *terres illi-*
 sunt, agnoscunt veteres Francos illiteratos ho- *terati.*
 mines non magnopere laborasse de scribendis
 his quæ apud se gererentur, ita vt de rerum toto

Merouingiorum tempore gestarum historia nihil admodum veri habeamus, præter ea quæ ex Chronicis externis decerpere potuimus. Vetera autem & externa Chronica de Ampulla illâ ne verbum quidem faciunt. Ceterum de sæculis illis aded lōginquis in quibus nihil ex tempore literis mādabatur, facillè fuit multos rumores pro certa historia & spargere & excipere. Atq; rerum Gallicarum scriptores, qui ea tempora sequeuti sunt, hoc facillimè assentiuntur ac ingenuè prædicant, multa de primis illis annis narrari, quæ fabulæ potius quam veræ historiæ dici debeant. Gregorius Archiepiscopus Turonensis historicorum, qui de iis temporibus aliquid memoriæ prodiderunt, est clarissimus & vetustissimus. ille verò de Clodouei à Paganismo ad Christianismum conuersione, de illius baptismo & inauguratione meminit. locus autem postulabat vt de Ampulla ista aliquid commemoraret, si quæ de ea narrant, vera esse crederet. Neq; enim hoc leue est quod dictitant eam de cælo delapsam fuisse, quum Clodoueus illic baptisandus staret. attamen de ea nullam planè mentionem facit. Quanquã alioqui Gregorius ipse multa alia miracula recitat quæ iis temporibus edita fuisse dicebantur, quæ tamen nec ita grauiâ, nec ita insignia erant: vt historicus Gallicus Haillameus prudenter obseruauit, & lectores ea de re admonuit. Ad hæc si quidquam fuisset de illa sacra Ampulla diuinitus ad inungendos Franciæ Reges missa: Reges qui post Clodoueam fuerunt maximam partem religiosissimi, Deo morem libentissimè gessissent, Remosquæ sacro illo oleo vt vngere-

*H. Ampulla
la nullius
fide dignus
historicus
meminit.*

*Quem pau-
ci ex Regi-
bus Fran-
cia Remis
consecrati.*

ren-

rentur adiissent. At ex toto Clodouei sobole
 ne vnus quidem Remis consecratus fuit: de-
 inde in genere Carolinorum pauci admo-
 dum. nec plures in Capetiorum gente ad Lu-
 douicum iuniorem vsq. Tempore Ludouici
 Crassiano Christi 1028. annis post Clodouei
 consecrationem amplius quingentis, Remen-
 sis Archiepiscopus contendere pertinaciter
 cepit, Regi veniendum Remos esse, vt sua
 iphus manu consecraretur. Rex tamen eò ad-
 duci non potuit: sed Aureliæ inaugurari vo-
 luit. Per idq̄ue tempus fuit quidam Episco-
 pus Carnutensis, nomine Yuo, qui Regis
 Apologiam ea de re conscripsit: docuitq̄ue
 neque vllum Dei præceptum, nec vllam re-
 gni constitutionem, nec vllum etiam exem-
 plum extare, quo Reges obstringerentur Re-
 mos, vt consecrarentur, se conferre. Hac fan-
 nè disputatio nunquam ab Yuone illo contra
 Remensem Archiepiscopum fuisse suscepta,
 si tempore illo, quod dictum postea de sacra
 illa Ampulla fuit, pro fidei articulo habitum
 fuisse. Nam si Archiepiscopus Remensis id
 tanquam rem certam nec vlli disceptationi
 obnoxiam proposuisset, nihil contra dici
 potuisset: cedendum citra controuersiam
 fuisse: Neque Reges aliò iuissent. Nec ve-
 rò satis inter omnes constat Clodoueam Re-
 mis consecratum fuisse. nam xii. iam aut
 xv. annos ante suam ad Christum conuersio-
 nem regnauerat. Qui autem de Regum Gal-
 licorum consecratione Remensi loquuntur,
 tradunt ex prima Regum profapia nullum
 prorsus illic fuisse inauguratum, ne Clo-
 doueo quidem excepto. Haillameus ipse

*Yuonis
 piscopi con-
 tra Remen-
 sem archi-
 episc. dispu-
 tatio.*

quanquam in Clodouei vita opinione tantum vulgari abreptus aliquid de Ampulla illa obiter attingat: postea tamen in Ludouici Crassi historia Regum consecrationes enumerans, vt doceret eos solitos fuisse modò in hac, in illa modò vrbe promiscuè & sine discrimine consecrari, ita loquitur: *Nullum ex prima familia Regem nec vntum nec consecratum fuisse Remis, siue vsquam alibi inuenio.* Hæc sunt illius verba. Haillameus verò pro ea qua est diligentia, nisi re tota diligenter perquisita priùs & inuestigata, non esset ita loquutus. Huius autem de Remensi Clodouei cōsecratione opinionis causa hæc fuisse videtur, quòd Remis à Remigio eius loci Episcopo baptizatus fuerit: fierique potest vt chrisimatis oleo communi constantis, quo tunc in Baptismo utebantur, loco estimatum sit pretiosiori oleo quodam opus esse, quòd Rex esset, nouumque & inauditum esset Reges baptizari: id quod ad ea quæ de sacrailla Ampulla feruntur narranda occasionem postea dederit. Vt sit, nihil ea de re ex historiis comprobari potest. verum, etiam si quæ de ea dicuntur, non ita controuersa essent ac dubia, nihil tamen Reges nominatim astringit vt Remos, ibi consecrandi, solenneque & vsitatum iusiurandum daturi simul & accepturi, proficisci cogantur, nec Dei lex, nec Regni instituta, vt olim Yuo Episcopus affirmatè contendebat. Exempla certè repugnant, vt Haillameus in sua historia docet. Omnes Reges vsque ad iuniorem Ludouicum hanc libertatem retinuerunt, vt in quacunque vrbe libitum esset, quod ipsorum commodo fieret, consecrarentur. Ludo-

Reges consecrari Remis quis præmisit vobis?

Ludouicus iunior omnium primus constituit
 ut id in posterū Remis celebraretur. At huius
 constitutionis fundamentum religio non fuit,
 ut referunt historici, sed vnum Guilielmo san-
 ctæ Sabinæ Cardinali Remensi Archiepiscopo
 gratulandi studiū, cui soror Regina Alisia à Re-
 ge id priuilegium impetrarat. Quare non est
 hæc res tam necessaria, ut concludendum sit,
 eum, qui Remis non sit consecratus, Regem
 non esse.

Quod ad inaugurationis & coronationis
 Regum solennia magis facit, & ob quod potif-
 simū eiusmodi solennia fiunt, hoc præcipuū
 atq; adeo vnicum est, ut Rex suum populum,
 qui illi per delegatos publicos exhibetur, vi-
 deat: populus quoque Regem sibi à Deo da-
 tum spectet, ut sacramenta vtrò citroq; fiant,
 & à Rege præcipuè, qui polliceatur omnes su-
 as opes & vires ad Dei gloriam Ecclesiæq; ca-
 tholicæ propugnationem & conseruationem
 adhibiturum. adduntur adhæc preces quibus
 Rex Deo commendatur, tum acclamationes.
 Rex autem nihil horum omnium, cum pri-
 mū facultas dabitur, repudiabit, & in ipsa
 adeo Remorum vrbe, si quid opus fuerit.
 Quod si quidpiam eorum, quæ religionis no-
 mine in solennibus eiusmodi fiunt, dubium ac
 controuersum est, hoc & ipsum ad Cōcilium,
 quod anteire hæc omnia poterit, referendum
 erit. Atque hæc ad iniectum nonnullis super
 Regis consecratione scrupulum & du-
 bitationem tollendam, satis esse
 meo quidem iudicio
 videntur.

*Inaugura-
 tionis solem-
 nia Regem
 non repue-
 diare.*

Quàm uniuersa Gallia, & speciatim ordinibus singulis utile futurum sit, si Henricus III. Rex fuerit.

CAPVT XXV.

Quanquam ex iis, quæ hæctenus tractauimus, animi omnium ad Regem admittendum, obsequiumq; illi præstandū satis comparati esse debeant: ego tamen præclaras quæ se offerunt optimè sperandi occasiones de publica totius regni, sub eius imperio, prosperitate & felicitate Lectori etiamnum proponere volo: & contrà docere quæ calamitates sequutura sint, si illi repugnare, quietumq; & stabilem illius statum diutiùs impedire pergamus. Nam etiamsi in his coniurationibus dum in mutuam lanienam cæco furore ruimus, videntur nonnulli mentis & rationis planè expertes esse, ac scientes videntesque subuertere omnia, & in medio patriæ suæ incendio ipsi conflagrare velint: pleriq; tamen, vt quidem spero, non sunt ita deplorati ac desperandi, quin Gallicas in meliori rursum statu videre, & has omnes, quibus obruimur, miseras felicissima quiete commutari optent: sitq; eorum animis & oculis ille subiiciatur, qui solus rem tam opportunam illis conciliare possit, quin totum eum pectore sibi dari experant.

*Qualis iam
Gallia statu:
quæne
speret bonus
illis
Princeps
opus sit.*

Regnum eò iam loci redactū est, vt nunc magis quàm antea vnquam optimus illi Princeps sit opus, per quem in antiquū statū restituitur, & certissima ipsius impediatur ruina. flamma intus passim grassatur, hostis verò foris, læticiaq;

speiꝫ plenus, & iam ad eò in Metropoli ipsam
 admittus occasione inhians, qua nos omnes in-
 uadat, & in miserandam seruitutem coniciat.
 Si quid adhuc spei in his angustiis nobis reli-
 quum est, in eo certè est, si Deus peritum pru-
 dentemq; medicum, qui nostra vulnera sana-
 re velit ac possit, strenuissimum liberatorem,
 qui nos in libertatem asserat, qui nos seruili &
 Hispanico iugo à ceruicibus nostris deiecto in
 libertatem vindicet, nobis concedat: nempe
 Regem qui ad iustitiam faciendam regnet, qui
 nobis istarum ruinarum sit instaurator, & ve-
 luti absconsio à vento, atque vt latibulum à
 turbine, quemadmodum de bono Principe
 in imperii alicuius vastitate à Propheta dicitur.
 At verò hic talis est, qualem optare pos-
 simus. Quæ autem faciunt, vt fausta omnia
 eo regnante speremus, hæc sunt, quòd Deus
 ipse nobis eum largitur. non n. is est, qui vl-
 lum iure suo spoliauerit, quem ambitio, aua-
 ritia, aut scelerata alia cupiditas ad regnum
 occupandum impulerit. Illum suæ familiæ
 ius, sua dignitas & prærogatiua, regniq; leges
 ad hoc munus vocant, hoc est Deus, ordinis,
 qui ab omnibus sæculis in hoc regno viget, au-
 ctor. quum ille nobis imperabit, nosq; illi
 parebimus, & nos & ille Dei consilium ac vo-
 cationem sequemur. Hinc autem propitium
 Dei numen eo regnante expectare debemus.
 nam ita gratiam & felicitatè iis qui in viis suis
 ambulant, pollicitus est.

Leges huius regni, quas vocant fundamen-
 tales tam sapienter constitutæ sunt, tam certa
 etiam & salutaria effecta ediderunt, vt per
 eas regnum viribus, dignitate, iustitia, felicif-
 simaq;

*ut conu. in
 Lou. v. 11.*

*Isa. cap. 32.
 Qualis sit
 Rex Hen-
 ricus III.
 & quam
 legitime
 successerit.*

*Rege Hen-
 rico IV. re-
 pudiato,
 quanta
 mala eme-
 runt.*

*in rebus
domini*
 simaꝫ rerum omnium disciplina & modera-
 tione supra omnes, quæ in toto vnquam ter-
 rarum orbe fuerint, monarchias, ornatum au-
 ctumꝫ & cumulatam fuerit: atque in mediis
 quæ quotidie fiunt, mutationibus & conuer-
 sionibus præ cæteris quæ dici possint omnibus
 locis felicissimeꝫ persistit. Externi
 præclarum hunc ordinem semper admirati
 sunt, & populū qui ita gubernaretur, beatum
 iudicarunt. Hæ leges quandiu ea fide & con-
 stantia obseruabuntur, eadem semper ad com-
 munem omnium salutem commoda procul-
 dubio efficiant ac præstabit. At ex aliter ob-
 seruari non possunt, nisi Henricus III. regnā-
 di, quod ex iis habet, ius obtinuerit, in eoꝫ fu-
 erit vno omnium subditorum consensu con-
 stitutus & confirmatus, vt antea probatum
 fuit. Si igitur eum, quem leges nobis nuncu-
 pant, Regem habuerimus, non peregrinum
 quempiam, (quem ea semper tãquam pestem
 refugerunt) sed ex ea gente, cui regni admini-
 strationem iure hæreditario destinarunt: idem
 omnino ex huius regni legibus nos consequu-
 tuos sperare debemus, quod maiores antea
 ex iisdem consequuti fuere, nimirum felici-
 tatem rerum & prosperitatem, atque regni
 contra procellas & tempestates, conseruatio-
 nem.

*Eo recepto
quanta
commoda.*

Maiores nostri, qui has leges initio condi-
 derunt, easꝫ postea tanta religione & cura ob-
 seruarunt, postquam Reges prudentissimos
 fortissimosꝫ habuissent, iudicarunt non pos-
 se melius rationibus suis consuli, quàm si in
 sede regia illorum liberi collocarentur: per-
 suasi, compertumꝫ longa experientia habentes

tes fore, vt virtutes ac fortitudo, quæ in ipsorum patribus atque auis extiterant, eadem in liberis Dei prouidentia & bonitate renascerentur atque elucerent. Quod si hoc perpetuum non esset, & eorum quispiam à patrum ingenio & moribus degeneraret: confidebant alium ordine postea successurum, qui auitam virtutem in lucem reduceret. ideoq; in ea semper religione perstiterunt, vt familiae ad regnandum destinatae ius suum sanctè conseruaretur, nec inde abduci vnquam potuerunt. Quod si vis aliquando legi illi facta est, apparebat tamen aliquatenus legem obseruari, & familiam, quæ antè regnauerat, aliquando retineri: alioqui maiores nostri nūquam id probassent. At Henricus III. ex ea gente est, & quidem natu maximus, vnde in magnā spem adducimur pristinam illam maiorum virtutem in eo extitutam, non sine maximo totius regni commodo: vt iam nec pauca nec obscura eius rei testimonia videre est. Quin hoc etiam veluti faustum omen existit, quod familia Borbonia, quæ hodie in regni possessionem vocatur, originem ducit ex Rege, non ignauia aut iniquo dominatu insigni, sed ex illo Rege Ludouico, qui ob pietatē & sanctitatem summam inter cæteros in Diuorum est numerum relatus. quod spem nobis non mediocrem adfert fore, vt noster Henricus Deo dante anti- quam illam Diui Ludouici religionem & sanctimoniam excitet: itemq; legitima omni ratione procuret atque efficiat, vt Ecclesia ab omnibus hæresibus & discidiis liberetur, conscientię hominum quiete fruatur, Deiq; honos & cultus sanctè constituatur.

Quòd

subditis ea quæ ad salutem conferant, eius beneficio discendi testificationibus, vt Cōcilium nobis polliceretur aliud, quàm aut fuerint aut futura sint ea omnia, quibus Spiritus S. ad Ecclesiæ salutem præest?

*Concilium
Et legitimum sit,
quid requiratur.*

Rex eam hodie religionem colit, qua devinctus & adstrictus est ad rectum legitimum- que Concilium habendum. Nam & illi & alij Religionis reformatæ homines Papatum Concilia reiiciunt, & ea contrà proponunt, quibus probatur ea legitima nō esse: quemadmodum supra in Concilij Tridētini quæstione dictum iam fuit, verorum Conciliorum formam opponunt, quam ex rectorum sacrorumq; Conciliorum, quæ olim celebrata sunt, & quæ in dubium nullo modo reuocantur, exemplis, & se fidē summa collectam fuisse ostendunt. Res tota huc credit, vt æqua omnibus libertas seruetur: vt ij qui actioni illi moderandæ ac regendæ præerunt, sint integritatis spectatæ exploratæque viri, qui que non dubiis argumentis sua in Dei gloriam populi que salutem studia summa esse & sincera comprobarint: vt sophismata & contentiosæ argumentationes, simul & ea omnia, quæ sola hominum, quicunque illi tandem sint, auctoritate nituntur, illinc excludantur Vt solum Dei verbum Prophetarum & Apostolorum scriptis comprehensum, argumentorum, quæ illic agitabuntur sit fundamentum & regula, solusq; iudex: vt in locis obscuris lumen & solutio ex aliorum locorum collatione in iisdem scripturis quæratur: Vt sancti Patres eō quidem admittantur, sed vt homines, & eo loco ac numero quo esse ipsi in Ecclesia voluerunt, & quo alios Patres

Patres antecessores suos ab Apostolorū tempo-
ribus, habuerunt, quemadmodum in ipsorum
scriptis summo consensu extat: nimirū vt au-
diantur & credātur, quatenus cum Propheta-
rum & Apostolorū doctrina cōsentire reperien-
tur. Deniq; vt veritate ex sacris scripturis per-
specta & cognita omnes cōsuetudines, senten-
tiæ, & quęcunq; illi opponi possent, omnia eua-
nescat, quo eam vnā sequamur, illiq; vni ceda-
mus. Sic igitur Religionis reformatæ homi-
nes de recta Concilij forma ex sanctorū Con-
ciliarū veterū exemplis loquuntur: profitētes
aliis omnib. cautionibus, quæ ad omnem me-
tum & suspiciōē tollendam proponentur, se
submissuros: sed ea lege & cōditione, vt in Con-
ciliis tota auctoritas penes vnū Christum sum-
mum Ecclesiæ doctorem remaneat: semperq; *Conciliū
auctoritas
penes vnū
Christum
esse debet.*
constet eō ventū fuisse ad illius tantummodō,
nō autem ad externorum vocem audiendam.
Quum autem Religiosi cōtra illegitimas Con-
ciliarum Pontificiorum actiones ita contē-
dunt, voluntq; vt vetus conuentuum Ecclesiæ
generalium aut Conciliarū in Israelitico populo
primū, deinde in Christiana Ecclesia coacto-
rum forma accuratissimē obseruetur: illud ve-
rō est legē sibi ipsis præscribere: ita vt ex ea sen-
tentia Rex quoties Concilium congregādum
curabit, illud omnibus legitimis viis ac ratio-
nibus congregare teneatur.

*Regis de habendis Comitibus promissum: &
quod nā sit populi officium, vt quod Rex de Con-
cilio & Comitibus promittit, assequamur.*

CAPVT XXIII.

PRæterquam quōd Rex Cōcilio se submis-
surum

Res bellica.

In rebus verò bellicis vix vllæ nominari artes partesq; possunt in Imperatore summo necessariæ, quæ in illo non animaduertantur. Magnas habet vires corporis, vigiliis & laboribus bellicis assuefactus est, vt nullus ex toto exercitu alius magis esse videatur: sapientia & strenua administratione rerum ne præstantissimū quidem imperatoribus cedit, acerrima ingeniæ & solertia valet, longa rerum experientia etiam à puero ad res gerendas edoctus est, ita fortis est, animo præsentis atque intrepido, vt nullum occurrat præclarū facinus ad quod suscipiendum nō sit paratissimus, & omnium etiam primus. Si quid verò in eo reprehendendum videtur: hoc maximè omnium iudicio est, quòd in subeundis laboribus & periculis non magis sibi parcat quàm quispiam gregarius ex suo exercitu miles.

Felicitas.

De illius felicitate, fatendum certè est nullum alium præter hūc Principem extitisse, qui negotiis vel pluribus vel diuturniorib. districtus vnquam fuerit, quiq; maioribus difficultatibus, ac minoribus (saltè humanis) opibus & viribus ea cūm sustinuerit, tum feliciter cōfecerit. Sepissimè gladiis rem cominus cum hoste gessit, & cum sua semper laude maxima: etiam si hostibus vbiq; esset tum numero, tum opportunitatibus inferior: Deo apertè ostendente se illi adesse, eiusq; consilia & conatus ad optatum exitum perducere. Pugna ad Courtrasiū felicissimè commissa, illius prudentiæ & fortitudinis specimen erit. vt & nuper difficultates, felixq; earum exitus in infesto illo impetu, quem hostes totis suis viribus adhibitis

Courtrasiense prælium.

Dieppensis tumultus.

in Regem Dieppæ circumuentum, & copiis suis

fuis destitutum fecerunt. Illius hoc est axioma bellicum (vt plurimi ex eius ore id exceperunt) cum pro iusta causa propugnet, deique Dei uocatione minimè dubitet: nihil se veritutum hostem, licet ab ingenti exercitu firmissimum & paratissimum aggredi. Vt paucis dicam illius etiam aduersarii quantumuis infesti eum esse imperatorem longè præstantissimum ingenue fatebuntur.

Nec paucioribus ad pacis tempora virtutibus instructus est. Nam vt in bello est hostibus formidolosus & horribilis: sic in pace & otio nihil est eo mitius & mansuetius, nihil aditu, consuetudine & vsu facilius. Viros probos amat & colit. vbicumque autem auctoritate ualuit, studiosissimè hoc & diligentissimè curauit, vt iustitia seruaretur. nemo aut de vi cuiquam ab eo illata, aut de alienorum bonorum, quæ in se transferret, raptu iure quidem queri & exposulare potest. Quod autem magno est ad noscendam illius humanitatem & facilitatem argumento, perspicitur etiam in eo hæc virtus, quanquam Principi graue admodum & difficile sit acceptas iniurias penitus obliuisci, hunc tamen offensas libenter remittere, sequè iis, à quibus offensus fuit, valde placabilem & exorabilem præbere. ad misericordiam est procliuus. Comitria autè ideo tantopere expetit, quòd maximè omnium tãtam uitæ perturbationem & confusionem, quæ vbiq; cernitur, ad emendationem conuenientiamq; reductã, iustitiam verò optimè constitutam videre cupiat.

Præterea hinc sperandū est, eum optimum Principem & erga pauperes afflictosq; humanum benignumq; fore, quòd Deus eum mul-

*Virtutes
tempore pa-
cis.*

*Humani-
tas.*

tis necessitatibus, laboribus, & ærumnis hucusque exercuerit. Euenit autem plerumque ut Principes non ignari malorum, miseris disceant succurrere: præcipue quum ingenium est per se iam ad id propensum, quale est in hoc nostro Principe.

Sobrietas.

Nec vlla metuendi, ne populum nimis actionibus vexet, causa est. Nam paucis contentus esse assuevit, voluptatibus & sumptibus autelicis non fuit innutritus; atque experientia satis superque nouit, in qua Princeps, qui populum immodicis oneribus premit, pericula incurrat. Non est ingenio nimis ad rem attentus: ab omni auaritia est abhorrens. grauissima que gesserit negotia eum longe aliud docuerunt.

Liberalitas.

Liberalitas & obsequiorum sibi præstitorum remuneratio in eo minimè desiderantur. Si tanta nunc non vitur, quanta quidem veller, eius rei causa est status, in quo nunc versatur, maxima que sustinet negotia & onera, tum modicæ omnino, aut infra modum potest, quas habet, facultates. Quo tamen iudicio valet, delectum diligenter habebit eorum qui aliquid laude dignum gesserint. & quia ingenio est perliberali & candido, eorum non recordari non poterit. Nunc vero si non omnia ex animi sententia faciat, excusandus certe est: ut nec accusandus videtur, si minus familiaris & liber ad eum accessus pateat, quam antea. negotiorum naturam mutauit: sed hostium quotidianæ infidiae & conspirationes eum monent, ut aduentibus paulò difficiliorem se præbeat.

*In Nobilitate
vixit sine
gulari stultitiam.*

Si tot tantæque virtutes eum amabilem optabilemque reddunt, & totietiam regno perutilem ac necessariū: nullus est regni ordo, nulla pars vel minima, que non sibi ab eo bona maxima polliceri & exspectare debeat, & Nobilitas in-

primis. Huius n. Regis Nobilitas non est extranea quædam Nobilitas: priscorum est Francorum Nobilitas, ex qua nobiles Franci oriundi sunt: sola lex Regia auctoritatem & prerogatiuam in reliquos dedit. Cùm Rex igitur tã propinquam cum Nobilitate Francica necessitudinem & cognationem habeat: non potest non eam agnoscere, amare, complecti. Adhęc nobilitas arma tractare gaudet: Rex autem de armis toto pectore cogitat. Cùm ergo sit tanta apud eos animorum, studiorum & voluntatum consensio: minimè dubitandum est, quin amoris, honoris, obseruantięq; mutux summa quoque sit futura conspiratio, & Rex quiduis facturus sit, vt illis gratificetur. Huc accedit, quod Nobilitas præcipuum semper fuerit Regum adminiculũ, & columen: quæ causa etiã fuit, vt prudentes & cordati Reges nobiliũ vicissim præfidiũ decusq; se præstiterint, comiter vnumquemq; appellarint, atq; ad opes honorisq; prouexerint. Hic verò remuneratione beneuolentię & officiorũ Nobilitatem suam iustius sibi prosequendã agnoscet. Nam interim dum pleręq; regni vrbes perniciosis regni hostiũ artibus insaniunt, Nobilitas (paucis quos extranei vana spe delusos, & irretitos tenent, exceptis) ad demortuum Regem venit, & ad hunc postea, vtrumque Regem aduersus tantam defectionem tutatura. Præclara autẽ hæc officia Principi generoso, ac perliberali, qualis hic est, mutux posthac amicitix causa erunt.

Plebs quando videt eum tot virtutibus ornatum esse, persuasissimum habere debet, eo se bono Principe vsurã. Vrbes quidẽ grauissimè peccarunt, quod hostiũ coniuratorũ (quibus hoc vnũ propositum est, ex publicę rei pernicie

*In lapsos & rebelles cle-
mentia.*

priuatam rem constituere) partibus tam pertinaciter adhaeserint. Sed Regi hoc exploratissimum est in iis esse non paucos, qui animū verē Gallicum retineant, vnamq; opportunitatem expectent, vt factiosorum (à quibus tum ipsi imprudenter oppressi, tum & portē hostibus, quibus seruirent, patefactē & traditē sunt) iugum à ceruicibus excutiant. Illi verò si constanter velint à superbo tyrannorum dominatu, vt Regi suo se vtrò subiiciant, sese vindicare: certò confidant se eorum omnium, de quibus dixi, præclararum virtutū fructum effectumq; percepturos, & optata quiete sub eius imperio diutissimè felicissimèq; fruituros. Si alii ab officii religione declinantes, cum hostibus scelerata & perfida societate se coniunxerunt: in eos verò spectata illius humanitas ac naturæ placabilitas, atque clementia maximè extabunt: dummodo ab his nefariis consiliis maturè & seriò discedant, & ad fidem obsequiumq; illi debitum redeant.

In Ecclesiasticos paternos affectus.

Ecclesiastici dominationem illius reformidant, sed frustra: quanquam si ingenio esset ad vindictam comparato, iustissimam in eos animaduertendi occasionem habeat, cum præcipui huiusce aduersus demortuum Regem, & hunc etiam ipsum coniurationis auctores & fautores fuerint. sed satis multis magnisq; argumentis ostendit velle se in tanta, quam bellare. Multis in locis, in quibus illi omnium primi à Rege defecerant, quum Rex ibi dominari cœpit, plebs suæ in sequendis illorū consiliis temeritatis poenas luit: illi verò in regniæ fidei præsidium recipiuntur, & ab omni iniuria detrimen-

trimentoq; seruantur. Deum colit, Ecclesiæq; ministeriū: hæc vna est ex præcipuis illius virtutibus, nec minima. Quū videbit Ecclesiasticos veros esse Ecclesiæ Pastores & Ministros, illi pro certo habeant se apud eum eo loco ac numero fore, quo apud vllum vnquam Principem fuerint. tantummodò quod sui est muneris præstare conentur. Concilium quidem haberi, & Ecclesiæ Christianæ negotia rationesque in optimum statū restitutas videre mirum in modū expetit, sed eāne iusta est Ecclesiasticis eius constitutionem vel metuendi vel impediendi occasio? quæ Principem expetunt? Principemne qui suscipere omnia ferri sinat? At contrā, rectum & sincerum illorū erga Deum eiusq; Ecclesiam studium, in Principe, qui ad præclaras & optimas res omnes ita sit natus, expetendo elucere potissimū debet: & eo maximè Principe, qui regnum hoc animo & consilio non capessit, vt omnia pro animi libidine faciat, regnoq; & Ecclesiæ summo iure imperet: sed à natura & institutione ita comparato, vt consilium capere, & bene monentes audire: vt doceri, & vias tum à Deo prescriptas, tum ab optimis Principibus tritas sequi velit, ad populi sibi à Deo commissi vtilitatem ac salutem procurandam. Quid amplius aut maius de eo requiras? Annon ob hoc præcipuè Constantini Magni, Theodosiorum & Martiani memoria hodie in Ecclesia magis celebratur, quā aliarum omnium rerum, quæ in eorum imperio euenerint?

Ut rem totā paucis complectar: Princeps est talis profectò, qualè à Deo expetere possimus, & regno vniuerso & singulis regni partib. necessaria

*Fama vel
apud re-
motissimas
nationes
decantata.*

necessarium. Hoc præterea est consequutus, ut tot virtutes præclaræq; facinora nec non tantâ diuturna in tot laboribus quos à XXV. annis pertulit, patientia & constantia omnium literis & sermonibus celebrata, eum toti penè orbi clarissimum & nobilissimum reddiderint, maximiq; Principis famam illi existimationemq; comparârint, qui in longinquis & longissimè à nobis disitis regionibus peregrinantur, hoc ita referunt. Vnde fit ut ab omnibus ametur, honoretur, metuatur. quod quidem in Principe ad sui Imperii confirmationem non leue esse momentum videtur. Quod si de fœderatis populis agendum est, vicinos omnes in societatem adiunctos habet, præter eos qui hostes huius regni infestissimi sunt, & qui hæc intestina bella, per quæ nos funditus perdant & sibi mancipent, machinati sunt.

*Cum Sicilia
nis populis
societas.*

*Virtutum
in eodem
maturitas.*

His virtutibus ad sapienter feliciterque regnandum necessariis hoc accedit, quod ex illo à primis annis insitæ, & longo habitu usuque confirmatae sint. Vix quidem sunt non pauci Principes in imperii sui principio multa de sua in patriam voluntate studioque polliceri. sed inanis ea erat species & mera simulatio: nam cum primùm sua illis constituta esset auctoritas, mutari quoque videbantur. Idem de hoc metui non potest. Non à paucis tantùm mensibus cum summo Imperio est, populosque gubernandos habet. constat quomodo in eo se munere gesserit, & quantum opere subditis, quos suæ fidei commissos habebat, beata optabilisque illius dominatio fuerit. Quum igitur Deus cum nobis

bis Regem hodie largitur, eundem iam probatum pridem spectatumque largitur: nec est vilo modo timendum, ut virtutes ita confirmatae, & ita penitus insitae, tamque longo tempore, & in tantis rerum difficultatibus auferre, magisque ac magis corroboratae, mutari vnquam possint.

Quumque super hac re hostes quoscunque *Quia in Reo* haber appellabuntur, ut declarent, an quid- *ge repre-* quam sit quod obicere illi possint: non pote- *hendero* runt profecto aliter de eo verba facere, nisi im- *hostes non* pudenter mentiri velint. Illum quidem *possunt, et si* haereticum esse aiunt: sed docuimus meras es- *id maxi-* se hostium calumnias, quibus vllam haberi fi- *me contem-* dem non est æquum. Hoc igitur crimine diluto, illius iam nobis vitia nominent: aliquod tyrannidis signum proferant, quod in eo vnquam extiterit: vllas ignaui pusillique animi notas: aliquid denique, quod spei, quam de iusta & moderata illius futura potestate habemus, vel tantillum aduersetur.

Quicquid illius aduersarii haecenus potuerunt, quo populus illius imperium respueret, *Bella quã-* bella sunt quae in hoc regno fecit, & calamitates, quae inde consequute sunt: hinc probare *topere Rex* volentes eum esse improbum & crudelem, nec *auerfatur* publici boni amantem. Sed iis iam pro Rege & suis abunde responsum fuit. Bellorum caussa (ut eas Deus tandem omnibus patefecit) imposita Regi iustissimae sui propugnationis necessitas, tam vehemens frequensque pacis efflagitatio, de patriae miseriis & ruina quotidiane querelae & admonitiones, pax denique latis quibuslibet, etiam iniquissimis conditionibus, accepta: haec inquam, omnia Regem ab hac calumnia facile liberabunt.

De crudelitate verò vel minima accusari verò non potest, quo etiam tempore maximæ illi occasiones ad eam rem atq; facultates datæ fuerunt. Quodnam quæso infensi & vindictæ cupidissimi signum dedit, quum viâ ad pœnas ab iis, à quibus tam indignis modis habitus fuerat, repetendas ex hac defectione patefactâ, primus tamen omnium acceptarum iniuriarum memoriam obliuione perpetua deleturum se vltro promisit, atq; præsentem illis ipsis opem laturus, in primam etiam aciem prodire, & manu cum hoste configere visus est? Ne putent igitur aduersarii præteritorum bellorum memoriam Regi verti probro & dedecori posse. Inter præclarissima honoris & laudis monumenta, quæ in hoc Principe agnosceret ac prædicabit posteritas, hæc maximè existunt, quod à pueritia ipsa de hostium huius regni consiliis & spe prudenter iudicauit: id quod plerique, & quidem sapientissimi viri, (quibus animorum aciem splendor falsæ religionis obiectus præstinerat) perspicere ac ne suspicari quidem poterant: quod nefarias istas extraneorum de regno occupando nobisque sibi mancipandis cogitationes animaduertens, sui esse muneris & officii duxit, publicæ dignitatis & salutis gratiâ, virtutis maiorû suorum exemplo tam perniciosus hostium consiliis armatum occurrere: cum alii contra blanda illorum oratione delusi omnes suas illis facultates & copias suppeditarent, quibus suam ipsorum totiusq; regni pernicië & exitium accelerarent: quod bonam fidelissimorum Regis subditorum partem sub religionis nomine cædi & occisioni destinatam videns (vnde regni vires hoc

pactio

Sagacissimum Regis in prævidenda ingenium.

pacto debilitarentur, & reliqui postea faciliùs
 domarentur) noluit quanquam maximis sibi
 propositis periculis eos à se desertos hostium
 libidini exponi: sed tot ærumnosorum inno-
 cētium misericordia commotus, sese hostibus
 fortissimè obiecit, vt eorum immanitatem
 & violentiam impediret: quòd huic virtuti,
 huic in patriam suam pietati, his humanita-
 tis & miserationis officiis, omnes quæ di-
 ci, fingi etiam possunt, obiectæ simul diffi-
 cultates, illius animum labefactare nunquam
 potuerint: nec ipsius ætas, nec suorum de-
 trimenta & imbecillæ vires, nec piorum
 stragis terrores, nec hostium, qui ad nutum ar-
 bitriumq; suum, & Regem totum, & totas Re-
 gis opes & copias possidebant, potentia, nec
 laborum & molestiarum bellicarum à xxv. an-
 nis perpeffarum diuturnitas, nec vrbiùm obfi-
 diones, nec præliorum discrimina, nec deniq;
 rerum omnium incōmoditates & inopia. Iam
 veteres historiæ legantur, ex quibus maximæ
 & clarissimæ prisorum Principum virtutes
 recenseantur. vbinam admirabiliora & infi-
 gniora virtutum, iustitiæ, prudentiæ, constan-
 tiæ & fortitudinis, magnitudinis animi & pa-
 tientiæ exempla extabunt, quàm quæ per tot
 annos in hoc Principe nostro extiterunt? Ho-
 stes ergo nihil Regi præter bella antea cta ex-
 probrare poterunt. At in hoc maiori laude or-
 nandus est, quòd nulla alia illi obiici possint,
 nisi ea, quæ sint ipsum longè admirabi-
 liorem & commendabiliorem
 toti posteritati red-
 ditura.

Quanta calamitates vniuersæ Gallie impendeant, si populus quominus Rex constitutur, obstinatius impedire pergat.

CAPVT XXVI.

Tottantæq; in hoc Principe cõiunctæ virtutes, totq; ac tantæ etiam eum deposcendi & expetendi occasiones satis nos commovent, quàm grauius peccaturi simus, si ea quæ Deus nobis per ipsius dominationem offert, bona respuamus. Verùm ne fortè miseriam, & calamitates, quæ inde consequutur sunt, non satis attenta cogitatione præcipiantur, earum hîc formam quãdam & speciem subiicere conabor, prout quidem eas futuras animo & cogitatione præcipio, ipse quæ mecum totus hinc quotidie cohorreo. quanquam tamen quæ infinita sunt, nec cogitatione fingi, nec verbis exprimi satis vnquam possint. Primum ac præcipuum, & quod fenestram ad omnia calamitatum genera aperiet, periculum hoc certè est, quod cum Deus regno nostro Regem offerat ex iis legibus & rationibus quas ipse maioribus nostris præscripsit, & per tam multas seculorum ætates prospero successu fuit prosequutus: non possumus illius constitutioni nos opponere, quin Dei quoq; ipsius cõsilio & ordinationi nos opponamus: vnde nihil aliud expectare possumus nisi infelicitatè maximam, qui Deum ista contumacia infensum infestumq; nobis reddiderimus, aliterq; gubernari velimus, quàm ille hoc regnum tandiu gubernari & conseruari voluerit. *Non te spreuerunt,* (dicebat Samuelli

Mala reie-
to Rege
Henrico
III. Gallia
impendens
ita.

Ita & ma-
ludicio
Dei.

1. Sam. 5.

mueli Deus) *sed me spreuerūt, ne regnem super eos.*
 quibus verbis significatur vt illud pro certo
 habeamus Deum super nos regnare, quum &
 Magistratum quem nobis largitur, & gubernationis,
 quam nobis instituit & præscripsit, formam seruamus.
 At si id repudiemus, Deus nos maiestatis non hominum tantum sed suæ etiam læsæ
 reos nos arguet, perinde ac si aggredemur Deum ipsum
 de sede sua deturbare, & ne super nos regnet impedire. Sic D. Paulus
 Epistola ad Romanos ait, non esse potestatem nisi à Deo,
 & quæ sunt potestates, à Deo esse ordinatas. itaq; eos qui illis resistunt, sibi ipsis
 condemnationem ablaturus. Rex autem ius habet ex legibus,
 nec quisquam contra proferre quicquam potest, quo illud infirmet. Ea est igitur potestas quam Deus nobis constituit.
 Quod cum ita sit, en Dei sententia certissima & irreuocabilis,
 si illi resistamus, nos condemnationem nobis ipsis arcessituros. In legis præceptis
 quod de parentibus dictum est, ad honorem etiam & obedientiam,
 quæ Principibus nobis à Deo debetur, pertinet. Deus autem decreto suo palam edito,
 eos, qui in parentes suos, eademque ratione in Principes paternam
 subditorum suorum curam gerentes contumaces erunt execrabiles
 sanxit. Ac profectò historiarum innumeras grauesque calamitates
 commemorant, in quas priuatim per multi, & generatim vniuersi
 populi, cum spreuerunt & repudiarunt Principes suos, miserime
 inciderunt. Vnumquodque imperium bene quidem institutum
 suas habet leges, quibus constituitur & regitur. Hæ leges illi sunt
 tanquam fundamentum, quibus innitatur & stet.

Fundamē- salium re- gni legum, ac perinde totius res gni euer- sio. Ille verò si subuertantur, perinde hoc est, ac si domus fundamenta subuerterentur. subuerfis autem fundamentis, ædificij ruina necessariò sequitur. idem de Imperiorum labe & ruina sentiendum. Ceterùm hæc monarchia suas proprias & quasi fundamentales leges habet, quarū prima & præcipua in statuendo & designando versatur, cuiusnam sit summum Imperium. Hæc verò lex in Henrico IV. violari nõ potest, quin præcipuum Regni fundamentum diruatur: ideoquæ regno certissima ruina impendat.

Regia Lex cur à Fran- ces cõdit. Maiores nostri & Regia lege huius Regni fundamentum iacientes, ea quæ longè prospiciebant, sciẽbantquæ mutationum & subuersionum aliis Monarchiis causam fuisse, malanempe & electionum, interregnorumquæ incommoda, & omnem externorum ad huius regni administrationem aditum vitare voluerunt. Hanc igitur ob rem condita lex fuit, vt masculus natus generisq; proximus superioris Regis morte in Regni possessionem continuò veniret. quanquam & illud constat hanc fuisse maiorum nostrorum mentem, vt Reges hereditatem regni adepti, agnoscerent se illud populi voluntate & consensu adeptos esse, quòd se eò magis ad optimè regnandum obstrictos esse existimarent, iuris regnandi à suis subditis accepti memores. id Reges agnouerunt, & suis aliquando liberis præceperunt, vt idem quoque agnoscerent. quæ causã etiam fuit, vt ritu solemniori confirmationes Regum fierent. sed maiores nostri arbitrabantur ius populi satis conseruatum iri, cùm Rex non alia ratione regnum consequeretur, quàm illius legis beneficio

ficio, quæ lata & probata omnium regni ordi-
 num consensu fuisset. Electiones & suffra-
 giorum ferendorum ius non ita diu in Mo-
 narchia vsurpantur, quin ad ambitiones, cor-
 ruptelas, ad factiones & malas artes, quibus a-
 lii alios se loco & ordine deturbent, & ad om-
 nia mala, quæ ambitio, ardensquæ regnandi
 libido secum trahunt, via statim aperiatur. Ex
 ipsæ electiones bellis intestinis & imperiorum
 pernicie concludi sæpissime solent, quum aut
 suffragia in æquas partes diuidentur, aut popu-
 li studia cum obstinatione quadam sententiæ
 cōtraria erunt: aut deniq; potentiores ab im-
 perio repellere se grauius ferent. Horum in-
 commodorum exempla in Monarchiis vi-
 dentur, quæ hodie adhuc ex electione pen-
 dent, vt in Polonia quæ abhinc septem aut o-
 cto annis tumultibus & bellis agitari non de-
 fuit, atque aded in Papatu: vbi tamen æquitas &
 moderatio maior elucere deberet. Ad hæc ele-
 ctiones statim à defuncti morte perfici non
 possunt. namque & ad populum congregan-
 dum, & ad colligenda suffragia, & ad alios ri-
 tus solennes celebrandos multo est tempore
 opus. tunc verò interregna grauissimis casibus
 obnoxia sunt. Maiores igitur nostri singulari
 sanè prudentia viri hæc pericula, lege de pro-
 ximi successione lata cauere voluerunt. Atque
 vna eademq; opera dominationis externorum
 qui in electionibus ambitione vti, & corrupte-
 lis aut vi ad imperium contendere potuissent
 metu sese liberarunt. eiusmodi autem domi-
 nationem in hoc regno magis, quàm exitialis-
 simam quamlibet pestem, nostri semper refor-
 midarunt. Ea enim quoque causa fuit, cur
 scemi-

*Electiones
 quot malis
 inuehant.*

Femina foemina à regni successione excluderentur:
cur à suc- quoniam, si dominandi potestas ad eas rediis-
cessionem re- set, peregrinū genus ad imperium per matri-
monia exclu- monium introducere potuissent. Tota hæc
dantur. maiorum nostrorum prudentia, eaque diui-
 na potiùs, quàm humana, tam longa sæculo-
 rum serie ad regni vtilitatem salutemquæ re-
 tenta, prorsus negligetur, si nefarium illud,
 quod nobis de reiiciendo Rege datur, consi-
 lium admittamus. Coniurati enim legem in
 contentionem adducere conantur, vt muta-
 tio tandem introducatur & ad grauissima, quæ
 patres nostris tantopere timuerunt, pericula
 via paretur.

Regia legis Quòd si hæc coniuratio vt cœpit ita & desi-
subuersio- nat: manabit ad posteros facti huius exemplū,
nem quid quo extranei in hanc sese Monarchiam infi-
consequu- nuare poterunt, mutationes in ea machina-
turum sit. turi. Idem populus Regem suum pertæsus ob-
 prauas quas de illo ex aliorum sermonibus o-
 piniones imbiberit, eum expellere atque adeò
 trucidare audebit, vt iam accidit. Rege mor-
 tuo seditiosus populus regni in quemcunque
 volet transferendi libertatem sibi potestatem-
 quæ esse arbitrabitur. atque ita fiet vt, qui arti-
 bus consiliisque suis populi auram captare &
 pessimos quosque viribus instruere poterunt,
 illi ipsi dominationem consequuturi sint. Ex
 his popularibus confusionibus certa est ad ty-
 rannidem via. Hoc autem, quod iam videtur,
 exemplo fenestra ad hos omnes casus patefa-
 cta erit.

Quæritur Ex tali Capitis monarchiæ mutatione ni-
quid expec- hil profectò aliud expectari potest, quam alia-
rum respo- rum illius omnium partium conuersio & mu-
 tatio

tatio. Principes coniurationis in sacro suo Lu-^{narchia}
 teriæ conuocato Consilio, simplici & impe-^{mutatione}
 ritæ rerum plebeculæ verba dant, quum ^{emanent.}
 Rege aperto Marte exturbato suis scriptis
 promulgant hac se mente esse, vt monar-
 chiam conseruent, non autem eam in de-
 mocratias disperiant, aut aliquam aliam in
 ea mutationem faciant. Id fieri non potest.
 Si democratia non constituentur: at tam in-
 solentis nefariæ quæ secessionis exitus aut v-
 nius tandem (vel multorum potius) tyran-
 niserit, aut horrenda quædam alia mutatio,
 quæ nobis omnibus exitium adferet. vbi-
 cunque enim certus ordo in rebus compo-
 sitis videtur, cuius vi ex consistunt: non po-
 test fieri in vna parte mutatio, quin reliquæ la-
 befactentur, paulatimq; ruinam minitâtes dis-
 soluantur & concidant. Non aliter quàm in o-
 pificis opere fieri solet, cuius excellentia ex o-
 mnium partium harmonia, coniunctione &
 ordine dependet: aut veluti in corpore huma-
 no, si in partibus vitalibus mutatio est, nihil in-
 de sequi potest quàm subita in aliis omnibus
 mutatio, & corporis ad eò totius dissolutio atq;
 interitus. Imperia & Respublicæ hac compo-
 sitione constant, & hâc ob causam nominantur
 corpus: vt hoc quoq; sciamus, mutationes quæ
 corpori interitum adferunt, & symptomata in
 præcipuis partibus, imperiis etiam ipsis perni-
 ciam inferre. Caput monarchiæ est Rex. si ordo
 illic maneat, in aliis monarchiæ partibus offen-
 siones minùs metuendæ erûnt. at si ordinis totius
 compositi mutatio in capite fiat: reliquæ et-
 iam corporis partes mutabuntur. atque ita,
 nisi Deum aliqua nostri misericordia teneat,

extrema totius dissolutio breui consequatur
necesse est.

*Rege non
recepto
quãta in-
restinorũ
bellorum
faces exar
sura fini.*

Regem regnandi iure quod à Deo est ade-
ptus spoliare velle, ad intestinum bellum su-
scipiendum eundem cogere est. Quòd si prima
congressione cum iis, qui tantas turbas in hoc
regno concitarunt, debellatum non fuerit:
iniuria hæc atrocior est, quàm vteos vnquam
quietos sinat: indequẽ statuendum, perpe-
tuum bellum fore. Nec valebit quidquam ea
spes quam nobis proponunt de magnis con-
iurationis viribus & copiis, quibus bella hæc
breui confici possint. Satis iam experientia
comprobatum est, Regem non esse eiusmodi
qui facile proffigari prosterniquẽ possit, quan-
quam coniurati vires suas omnes, easquẽ du-
plo maiores haberent. Experti sunt illum eo
animo esse, qui hostibus suis nunquam cedit:
non est neq; puer, neq; iners (vt alij multi fue-
runt) qui loco suo facilẽ deturbari possit. Gra-
uissima belli onera xxv. circiter annos susti-
nuit aduersus vniuersas regni copias, & cum
tantis equidem necessitatibus, vt vix annum
consistere posse videretur. Nunquam tamen
defatigatus fuit: tantamquẽ diuini numinis o-
pem sensit, vt non modò vniuersis hostium vi-
ribus & conatibus non debilitatus, sed contrã
auctus altiusquẽ euectus fuerit. Nunc verò &
ius & opes vnã cum rerum gerendarum expe-
riencia ampliores illi quàm antea factæ sunt.
maximam regni partem ditioni imperioq; suo
propemodum subiecit, fœdera cum vicinis
populis facta magna sunt, vt res ipsa satis con-
firmat. Quanquam illius hostes non possent
tam citò pessundari, non est quoque verisimile
illum

Nota.

illum omnino vinci posse. Regnum potius totum externis foederatis suis replebit, quam patiatur vnquam suum sibi ius eripi. Ille vero, quum è viuis excesserit, alios tum sui iuris, tum suarum facultatum successores habebit, qui hanc causam tutabuntur. Quid autem & nobis & liberis nostris fiet, qui tantum nostra contumacia incedium excitauerimus, quod vix fortasse, ac ne vix quidem vnquam restinctum visuri sumus?

Satis iam superque qualia sint bella ciuilia *Ciuiliū bellorum* experti sumus. Vt ab iis deterreamur, non est quod in memoriam nobis reuocentur Græcorum & Romanorum ruinae ac miseriae, *quanta calamitates* in quas ciuilibus dissensionibus inciderunt, nos ipsi ab extrema ruina non longè absumus. Si postremum hoc bellum post hanc defectio- nem vnus anni spatio & nos & nostra ferè omnia magis exhaustit, quam omnia Anglorum & Burgundiorum per tot ætates bella: si videmus patriam ciuium in tot conflictibus sanguine iam redundantem, vrbes nostras captas & receptas, horrendas & immanissimas quæ in iis editæ sunt direptiones ac strages, & ex iis aliquot in cinerem redactas, agriculturam derelictam, pagorum vastitatem, collectas à quinque mensibus fruges iam consumptas, maximam populi parte omni victu miserè destituta: quod tandem loci redacta Gallia erit, si tot tantisque ærumnis annum adhuc vnum afflictemur? Quis est, dum animaduertit vicinos iam fortunis omnibus euersos, validissimas quasque vrbes expugnatas, nouas quotidie molitiones, atrociniis exposita omnia, hostem sibi semper imminentem: quis, inquam, est, dum

hæc omnia videt, qui ad extremum mensent saluum se & incolumem futurum sperare possit? Hispanus, Germanus, Anglus, Scotus, Italus, Belga, nationes omnes ad hanc nauim, quam olim ad eò reformidarunt, dissoluendam, comminuendamq; concurrunt, & nostris onusti spoliis ad suos remeant. Quamquam autè hæc vnà cum anno ipso desinerent, quid anno exacto reliquum erit, postquã tam violèta calamitas peruaserit vastaritq; omnia? Ne speremus regnum hoc firmiter potentiusve futurum, quàm fuerunt olim clarissimæ illæ & potentissimæ monarchiæ. Ex morbis nostris vnicus eas totas euertere potuit. Et quid nobis futurum est, qui tam multis cùm grauissimis tum intestinis malis laboramus?

*Bellorum
civilium
exitus quæ
futurus.*

Hic autem tot miseriarum & vastitatum exitus erit. Nos scilicet omnibus & viris & viribus, opibusq; planè destituti tãdem in extraneorum seruitutem redigemur, nam eorum, qui nos in hæc funesta bella coniecerunt, hic scopus est & spes. Illi quidem religionem Catholicam in ore habèt, bonum publicum proferunt, prolixè & speciosè admodum nobis de sua nos tam multis & grauibus, quibus premimur, oneribus leuandi voluntate promittunt. At hoc minimè spectât, si vllò modo in nos bene animati essent, quando vident in quàm misero vitæ rerumq; omnium statu verseremur, de pace toto pectore cogitarent, per quam ab his malis liberaremur. Non sunt etiam ea mente, vt Cardinalem Borbonium Regem nobis constituât, & regnandi potestas in Principum nostrorum familia hæreditario iure maneat, quemadmodũ dicitur, Caroli quidem decimi nomen

nomen nō vsurpant tantum, sed etiā personāt,
& in vulgi aures infundunt, vel potiùs intonāt.
At nihil magis metuūt quàm Borboniam gen-
tem in throno regio collocatam videre, cū
ad illius perniciem & exitium tum ipsi tum il-
lorum patres suas omnes cogitationes, confi-
lia, & conatus conuerterint. Notum omnibus
est quid Lotharingia gens obtendat, sibiq; arro-
get. Guisladæ tan dē se aperuerunt, & suarū co-
gitationū scopum patefecerūt. Hispanus item
non dissimulat quantopere huic regno inhiet,
& totius Europæ Rex Catholicus dici velit. Iam
Lotharingus aliquot in Campaniæ finibus vr-
bes occupauit, aliasq; nouis artibus quotidie
sibi adiungere conatur. Hispanus in vrbibus
sinitimis pedē ponere vult: immo arma sua Lu-
retia iā posuit. Sabaudus Salustiorum Marchio
natum iā tenet, atq; Lugdunatū, Prouinciam,
& Delphinatū quacunq; ratione potest, tentat.
in medio autē regno Dux Mayennensis summā
rerum administratiōē captat. huic tantæ, quæ
proponitur, summi imperij spei & expectatio-
ni præstolatur: ad idq; sibi confirmandum suas
omnes cogitationes & vires cōfert. suam quis-
que rem agit, & particulam aliquam ad se trās-
ferre atq; vsurpare cogitat. Nisi Deus nos re-
spiciat, liberatoremq; cœlitus mittat (vt pro
sua benignitate talem in Henrico IV. nobis of-
fert) vitari quidem non potest, quin breui in
extraneorum manus delabamur.

Quod si semel in externorum potesta- *Quid ab*
tem inciderimus, periit profectō nostra li- *extraneor*
bertas, perierunt nostræ leges, regnum et- *rum domi*
iam vniuersum periit. Non est obscurum, *natione ex*
quæ in huiusmodi mutationibus, & in dome- *peitānum.*

Iticæ dominationis ad peregrinos translatione accidere plerunque soleant. Postquam nos in suam ditionem redegerint, tunc verò & nos ipsos pro mancipiis habebunt, & de rebus nostris pro animi libidine constituent. atque vt nouam illam dominationem sibi stabiliant, suas nobis leges obrudent: nostras verò, ne veteris nostræ libertatis memoriam nobis refricent, abrogabunt. publica munera, dignitates, & honores à nobis amplius non gerentur: antiquos subditos suos arcessent, qui cum summa auctoritate & potestate singulis vrbibus præsent: nos verò vilia tantùm mancipia erimus. arma, honestæ exercitationes, immunitates, quæcunque generosorum fortiumq; virorum animos ad excutiendum seruitutis iugum excitare aliquando possunt, nobis auferentur. eorū serui, nobilitate nostra postposita, ad opes & dignitates euehentur: filia nostræ in matrimonium illorum satellitibus collocabuntur. in medio nostri variæ colonix constituentur: Arces vrbibus nostris imminebunt, eaq; infestis & firmissimis ad nos opprimendos præfidiis munientur. pecuniarum exactiones ad nutum arbitriumq; ipsorum acerbissimæ iniquissimæq; fient: neq; interim tum comitia nostra, tum nostri naturales Reges, apud quos de iniuriis queramur, nobis amplius erunt. Si alicui erunt aut opes paulò maiores aut amici: omnis potentiæ & splendoris species suspecta ipsis erit: mox quæ causa aliqua fingetur, qua, quisquis caput extollere, & se non nihil erigere audebit, statim opprimatur. Atque hic est miserimus populi in hostium ditionem potestatemq; redacti status.

Quum

Quum verò calamitosum hoc regnum ita miserè dilacerauerint, ac dispertierint, consors consorti partem suam inuidebit, eamque ad suam adiungere conabitur. hoc enim est eorum, qui aliorum regna iniuste vsurpata partiuntur, ingenium & mos. At nostra Gallia plures dominos ferre non potest, consortis est impatiens, quemadmodum fratrum in Clodouei, itemque Caroli Magni posteritate exemplis constat. Si Regum nostrorum liberi, iique fratres consistere simul non potuerunt, regno inter ipsos in Tetrarchias partito: minimè nobis putandum est alienos, quos ambitio, insanaque regnandi cupiditas eò præter omnem æquitatem inuexerit, posse diu conquiescere. Ita nobis mala multa magnaque certò impendēt: hæc nimirum, quod & nos & liberi nostri perpetuò miseri, potentiorumque præda futuri simus. Gallia verò nostra Theatrum erit in quo tyranni suas agent tragedias, præcipitiq; & inflammato furore in se mutuò bacchabuntur & sæuiant: Deo ita debitas grauesque de illis poenas iusto suo iudicio repetente. Omnia miseris populis à legum suarum propugnatione depulsis, alienaque dominationi mancipatis calamitosa sunt. Legitimi, & à Deo nobis dati Regis imperium repudiauerimus. duo decim statim extranei vtrò se nobis ipsi intrudent atque inserēt, qui nos dilanient ac discerpant, ut sæui quidam Molossi canes prædam. Mitissimam Regis, nostri sanguinis, nobiscum nati & alti administrationem respuerimus. orbis tyranni ad nos spoliandos mox vndique confluent, & nos ad seruitutem miserrimam adigent.

*Qualis sit
Gallia ita
miserè di-
lanata sit
surus sta-
tus.*

*Quantum
detrimen-
ti ex tot mi-
seriis o-
mnium or-
dinum ho-
mines acce-
perunt sint.
Nobilitas,*

Tot miseriis & calamitatibus in regnum totum effusis, fieri nõ poterit quin singulæ illius partes detrimenti multum accipiant, & vnâ cum toto pessum tandem eant. Ipsa iam Nobilitas sentit, quid damni secum bella hæc ciuilia ferant. Prima se periculis obiicit, quotidie se & numero & facultatibus imminui videt: honos & obseruantia, qua populus antea illam prosequi solebat, nulla iam est: licentia, bellorum ciuilium comes, facit vt vilissimi & nequissimi mendici insultare nobilibus atque insidiari audeant, illorum domus, vxores & liberi tuti in agris non sunt. nec aliud ex desperatis rusticis militumquæ licentia expectandum est, quàm futura breui (vt maiorum nostrorum temporibus aliquando in popularibus eiusmodi furoribus, sæuientibus bellis ciuilibus, factum idem fuit) vniuersa omnium conspiratio, qua nobilium tum domos inuadant & occupent, tum coniuges & liberos violent, tum stirpem etiam totam excindere conentur. In Picardia quãta rogo fuit oppidanorũ aduersus Nobilitatem arrogãtia? in quot locis de sequẽdo Heluetiorum consilio, de constituendis democratiis, & se à Nobilitatis dominatu in libertatem vindicando propositum & agitatum fuit? Si extranei in nos dominarentur, vt ad id omni studio & conatu incumbunt, quid deinde Nobilitate Gallica futurum putamus? Iam satis constat quo fuerint in eam animo, & quàm dudum bella in Gallia hoc maximè consilio alantur, vt ea penitus profligetur. Non fugit externos istos Nobilitatem potissimam esse regni partem, quæ & viribus & fidelitate plurimum polleat: &, quæ,
dum

dum incolumis stabit ac vigebit, auitæ virtutis ac fortitudinis vestigia ad regni leges libertatemque propugnandam constantissimè persequutura sit. Si gens peregrina rerum hic potitur, hoc primùm agat ac nitetur, vt ab omni se metu liberet. familiarum splendor, animi magnitudo, maiorum exempla, honos, quo nobilitas, nihil carius & antiquius habet, istos nec conquescere nec respirare vel tantillum sinet. Eiusmodi autem terror tyrannis alieni iuris vsurpatoribus iniectus eisdem & ad crudelitatem, & ad se in summam potestatem quo iure quaq; iniuria afferendum excitabit. Nobilium priuilegia & prærogatiuæ nullæ ampliùs extabunt: arma, præfecturas, & prouinciarum gubernationes, belli munera illis tutò committi posse non putabunt: vsurpatores illi suos populares ad dignitates euehent, vt iis ad se tutandum facilioribus vtantur, denique, cum Regis qui totius est Nobilitatis princeps, mutatione, Nobilitatis quoque mutatio fiet. Harum rerum exempla passim in historiis videre est.

Plebs autem non meliori ab his bellis conditione futura est. ex euentis id satis perspicitur. Rusticus per inopiam & labores fatiscit: oppidani ne portis quidem suis egredi audent: agricultura, negotiatio omnety commercium cessant: ciuium facultates, & res ad victum familiis suppeditandum necessariae, à primis quibusque diripiuntur. violentiæ & concussionibus omnibus impunè licent. si quis huius vim saluus effugit: illius fit præda. Miles vbi primùm iracundia & stomacho exarsert, ardentes faces in proxima tecta iactat.

Intra mœnia tutis tantùm esse licet: sed in illis iam ipsis est hostis, perfidia & proditio: fratres, propinqui, domestici, vicini sibi mutuo diffidunt. Atque hæc tertij ordinis in hisce bellis conditio est. Ecquid autem futurum, si bellum diutius trahatur, sicq; furores, vt necessariò eueniet, amplius accendantur?

*Ecclesiasticus
ficus*

Ecclesiasticus ordo, qui amplos suos proventus illibatos & integros seruare, morumque & doctrine reformationem à se procul repellere conatur, aliã qua nollit iam uã paupertatem & sui contemptum subire animaduertet. In tanta licentia nullus illi honos habebitur: rei necessitas postulabit, vt eorum, quorum opera & fides in rebus bellicis extiterit, remuneratio ex iis ipsis sumatur: & Principes hominibus de se benè meritis munera de illorum sacerdotiis largiantur, cum negotia, quæ ab iis exhibentur, alias opes & remunerandi officij facultatem ipsis omnem ademerint: vt iam id fieri videmus. illorum reditus ex calamitate communi cessabunt, Regis patientia, si pertinacius illi bellum gerere, & plebem ad defectionem concitare pergant, in iustissimam aduersus eos indignationem exardescet. Postquam verò eorum bona belli necessitate aliis aut data aut vendita Regis mandato fuerint, annon metuendum hinc videtur, ne ij qui ea possidebunt, potius quàm iis spolientur, Cleri ipsius perniciem procurent, vt id ipsum alibi factum esse constat? Ex quibus facile conicere est quot quantasque & mutationes & miseras bellum, si diutius fiat, allaturum esse videatur.

Quan-

Quantoperè Hispanorum & Lotharingorum dominatio metuenda sit.

CAPVT XXVII.

EX duobus alterum, vt dixi, eueniat necesse est, vt aut Regem, quem Deus nobis offert, admittamus, aut in extraneorum manus incidamus. Eò loci res venerunt, vt si alterum non fit, alterum vitari non possit. At seruitus eò magis metuenda est, quòd si Deus ita nobis infensus esset (quod pro sua benignitate auertat) vt rem ad eam necessitatem perduceret, nulla fuit vnquam ærumnosissimi populi conditio deterior & acerbior. Hoc manifestò patet, per multos de hoc regno vsurpando inter se contendere, confidentes his nostris discidiis & dissensionibus hanc prædam, quam spe iam deuorarunt, è suis faucibus eripi non posse.

*Quam gra-
uis serui-
tus & à
quibus me-
tuenda.*

Hispanus primas inter eos tenet, prima con- iuratione contra Regem pecuniæ suæ benefi- cio concitata: deinde nouis subinde datis à se consiliis, & materia suppeditata, qua hoc dis- sensionum incendium à se excitatum fouere- tur: persuasus alteram partem vel debilitatam, vel ad extremas rerum angustias redactam, in suum sinum & complexum se recepturam: ea- que ratione viam sibi ad regnum consequen- dum patefactum iri, vt id etiam aliàs sollicita- uerat, & à religionis reformatæ hominibus sperauerat. Alii sunt Guisidæ & Lotharin- gi, qui non tantis quidem opibus & viribus ad rem tantam assequendam instructi: sed hære- ditaria parentum in liberis ambitione (qua nec ipsi vnquam conqueuerunt, nec, vt tan-

Hispanus.

*Guisida
& Lotha-
ringi.*

um statum perturbabit, & incendium vbique locorum excitarit, illudquē toties de integro accenderit, quoties per annos XXX. restitutum fuit. familiam, quæ prima Gallos docuit, arma in Regem suum capere, & gladium in mutuaviscera distringere: quæ sola & fuit & est prouinciarum vexationis, & vastitatis, totquē vrbium excidii causa. quæ semper habuit, & adhuc habet clandestina cum veteribus regni hostibus consilia. Hæc ergo familia, quæ cum primum sedem & domicilium apud nos collocauit, in omnibus Galliarum partibus & fax & gangrana ad eam penitus perdendam semper fuit, dignane videretur & idonea, quæ in Gallia dominaretur, summamque potestatem haberet? Annon Gallia satis hæctenus ab iis passa est? nunquid etiam alia maiora à Deo argumenta expectamus, quibus ostendat, nisi pestem istam è nostris finibus eiiciamus, eam nobis tandem exitii causam fore?

Quod si ad hoc sceptrum tam diu ac tantoperè expetitum peruenirent, ad illud profectò tyrannica vsurpatione, iniquisque & illegitimis artibus, si quæ vnquam fuerunt, peruenirent: cum & populum ad impiam à Rege suo defectionem concitarint, & vim illi facturi, eum in suam vsque regiam sæpe persequuti fuerint, ac postremò illum ipsum sceleratè & perfidè trucidandum curauerint. Deus autem in cælis est iuris Regum propugnator, contumaciæ istius popularis iudex & vindex: qui nec probabit, nec patietur vnquam, vt quis rei suæ quamuis minimæ possessione deiciatur: qui hominis etiam infimi cædem inultam non feret. Quare pro certo illud nobis habendum est, Deum il-

*Deus iuris
Regum pro
pugnator
& vindex.*

lis infensum, Deum illorum ultorem futurum: & ob hoc vnum maximè, quòd religionis & rerum sacrarum nomine ad flagitia consiliaque tam nefaria suscipienda abusi fuerint. Si verò illi ad hoc regnum gubernandum Deo ita sibi infesto accederent, quid inde regno futurum esset? Quàm felix scilicet ea subditis dominatio foret, quæ à coniuratione & Principum legitimorum cæde initium fecisset, & quam Deus ideo execratus ac detestatus fuisset? Quòd si eorum dominatus ob tam multa sinistraque omina quæ impendent, nobis adeò est metuendus, nihil boni profectò, quo ea quadantenus expientur & sarciantur, quo etiam illi expetendi videantur, prorsus extat.

Opes verò & potentiam, quam ad regni defensionem & conseruationem adhibeant, nullam prorsus habent: vt nulla etiam cum *Quàm infirmitatis* Regibus & populis foedera, nisi cum *firma Guelfidarum* iis, qui ipsorum opera & factionibus eidem *opes.* prædæ inhiant, alioqui eorum ipsorum aduersarii futuri. Virtutis bellicæ aut nihil omnino, aut minimum certè adhuc in iis extitit. Superioribus annis Dux Mayennensis copiis regiis & coniurationis totius flore instructus, quid præclarum aut memorabile contra tam parvam hominum manum in Aquitania effecit? quænam ingentis illius exercitus facinora? quæ effecta sub eorum ductu & auspiciis in sua illa Dieppana expeditione fuerunt? quanto dedecore & probro, quoties ad pugnam & manus res venit, pugnandiue facultas ipsis oblata fuit, toties eandem recusarunt? Illi certè ad tantum hoc gestandum diadema idonei non sunt, nobis

pata administrataq; fuissent, vt illa in quã, loca ab incolis & hominũ cultura deserta fuerint. Vix legi sine horrore possunt, quæ ipsorum historici de Hispanorum in illis regionibus libidine, de insanis illorum scortationibus, de illorum latrociniis & immanitatibus prodiderint, recensentes innumeras hominum myriadas, quæ omni cruciatuum & suppliciorum genere excruciatæ breui admodum temporis spatio miserimè perierint. Hæc verò eadem illis populis, quos in suam ditionem redegerint (vt de nobis ipsis idem sperant) expectanda omnino sunt. Non enim fuerunt noui quidam afflatus, aut Barbariæ instinctus ex aggregati regionum illarum solo cœloq; contracti. hoc ab omni hominum memoria ipsis naturæ insitum & perpetua consuetudine confirmatum est. Testes Sicilia & Italia, conatæ toties tyrannicum illorum iugum à se repellere: quæ tamen in eorum dominatu manent, non libera quidem vlla & voluntaria obedientia, sed validissimorum quibus coercentur præsidiorum metu. testes & recenti nostra memoria Lusitani eorum finitimi, quos hostiliter inuaserunt, sibiq; subiecerunt. testes etiam alii populi non vi quidem bellica subacti, sed hæreditario iure sui. Quisnam fuit Belgii status & conditio, ex quo illi effractis priuilegiorum municipalium repagulis amplissima potestate summorum imperio illic dominari cœperunt? Annon hoc trium ordinum à XX. annis propositum & consilium fuit, vt omnia potius belli incommoda & calamitates perferrent, quàm in eorum dominatum reciderent? Quòd si sese erga suos ita gerunt, quid alienis expectandũ, quos in suam ditionem redegerint?

Innata Hispanis in subditos suos ferat
316.

Belgii status ab Hispanis libere factus.

No-

Nobis etiam eò magis metuendum, quòd in iis quæ possident, & de quibus cum iis antea centum annos contendimus, magnas controversias disceptandas habeamus. Nos illis sumus velut cancelli, quibus & ultra Pyrenæos montes concluduntur, & eorum, quo minùs ad Septentrionalem plagam domandam progrediantur, ambitio coercetur: itemq; obex, & vt ita dicam, spina pedi infixæ, quæ eos in vtramque aurem dormire in Italia non patitur. Optimates & Principes viri eorum vicini in Italia & alibi, nobis tanquam scuto & propugnaculo aduersus illorum impetus vtuntur. Ad hæc accedunt postremæ expeditiones, & in Belgium irruptiones. Quæ quidem omnia in eorum animis sunt capitalium in nos odiorum & offensionum, quas prima occasione oblata vlcisci cogitant, semen & fomes. occasionem autem peropportunam habere se putant, quum aditum & viam his nostris dissensionibus tam patentem facilemq; ad nostra occupanda illis aperimus. Quòd si dominationem summam obtinebunt, rerumq; potentur (quod Deus pro sua bonitate auertet) hoc nos opibus & viribus mutilatos ira exarmabunt, vt nihil sit quod à nobis vnquam timeant: dein nobilitatem Gallicam, à qua toties malè multati è nostris finibus exacti sunt, enervare, vrbesq; nostras in seruitutem asserere conabuntur. nostræ verò facultates & coniuges eorum præda erunt, vt & aliis in locis esse solent. Ita enim semper in duobus populis qui de imperio & summa rerum dimicant, factum fuisse constat, quum euenit vt alter alterum vinceret, & victor in victum dominandi potestatem

*Gallicis cur
possimū
ab Hispanis
metuendū.*

restatem obtineret. Sic Lacedæmonii Duce Ly-
sandro victores cum Atheniensibus : sic Ro-
mani cum Carthaginensibus egerunt.

*In Hispanis
nulla reli-
gio.*

*Inquisitio
Hispanica
quid sit.*

minante autem Hispano meliorem tranquil-
lioremque statum fore, quod nonnulli dicti-
tant & putant, nihil sanè causæ est cur spere-
mus. Nam quæ religio in ea natione esse po-
test, quæ ita ambitione furens, ita avaritia ar-
dens alieniquè appetens, ita diritate, & imma-
nitate efferata videatur? Suam illam inquisi-
tionem habent. Verùm quid ea est aliud, quàm
omnis iuris & iudiciorum euersio, & excogi-
tata ad innocentes perdendos, ad eos vlciscen-
dos, ad eorum opes interuertendas & ad se
transferendas ratio? quàm tyrannis ita hor-
ribilis, vt in Hispania etiam ipsa indies time-
atur, ne totæ aliquot provinciæ vno consen-
su concitentur ad tam durum, durumque iugum
à ceruicibus suis repellendum? Eam videlicet
inquisitionem, quã ab annis XXX. suprema curia
interiusque Regis consiliũ (quandocumque in eius
rei sermonem mentionemque incidit) agnouit,
ingenuèque prædicauit, nec cū nostræ nationis
humanitate & clementia, nec cū recta vlla iu-
stitiæ forma, nec cū viis & rationibus ad regen-
das hominum conscientias accommoda-
tas, nec cum Religionis Christianæ tranquillitate
& sanctimonia conuenire villo modo posse.
Nunquid verò putamus illorum Reges ma-
gis quàm nostros Catholicos esse, cū re-
ligionis libertatem pacis consequendæ gra-
tia, Belgii ordinibus toties obtulerint? Quid
questo melius, & ad religionis tutelam pu-
ritatemque opportunius nobis futurum est,
si Hispanos in nostris vrbibus dominantes

habebimus, quum eorum nonnulli Marra-
ni (Iudeorum & Mahumetanorum reliquię)
veteri impiarum istarum religionum fermen-
to imbuti nobiscum versabuntur?

*Protectio
Hispanica
qualis sit.*

Qui nos ipsos produnt & in seruitutem
etiam tradunt, sperare iubent nostram nobis
libertatē, nostras leges, totius regni ordinem
in pristino statu permansurum, nosquē tan-
tū in illorū fide & clientela futuros. Verūm
adeōne vēcordes & cęci sumus, vt tot ex-
perientiis edocti minimē videamur illud cli-
entelę & protectionis nomen nihil esse aliud,
quā merum tyrannidis venenum, sed sua-
uitate conditum, vt facilius aut ciuitas aut
populus aliquis seruitutem induat, & sua o-
mni libertate, ne id quidem sentiens nec opi-
nans, priuetur? An sumus primi, quos gens
Hispana & Austriaca specioso isto & suavi prę-
textu vsa, sibi subiecit? Ne longē abeamus:

Cameracum.

nonne Cameracum ciuitas Imperialis erat &
libera? Prima Hispanorum ad eam adeundi
via & occasio fuit hoc tutelę & protectionis
nomen. sed arx tandem in ea extructa, firmis-
simumquē in ea collocatum pręsidium fuit,
hoc est, iugum miserando illi populo impo-
situm, vt perpetuę seruituti addiceretur. vn-
de factum est, vt prima oblata occasione, cū
tantam barbarorum istorum tyrannidem diu-
tius ferre non posset, totum se nostrę natio-
ni subiecerit. Hispani superiori mense
Decembri aliquot aureorum millia Luteti-
am miserunt. Putamusne nationem illam
quam auaritia ad insulas meridionales, orien-
tales & occidentales cū mille laboribus & peri-
culis peragrandas ac depopulandas compellit,

*Quorsum
ita profu-
se pecunias
mittant.*

pecu-

pecuniam suam ita largiri (cùm præsertim his bellis civilib. tota penè rebus suis exhausta sit) vt temerè & nulla spe fœnoris data eam profundere velit? Hoc à factiosis huius regni hostibus cum Hispanis pactum conuentum est, quo nostram se libertatem emisse confidunt. Qui simul atq; nostras vrbes ingressi fuerint, nõ dubium quin locum ad edificandum arcæ idoneum sibi dari petant, qua aduersus subitas populorum defectiones & seditiones se tueantur. Tales nimirum se erga alios in simili profectionis causa gesserunt, vt eos domarent ac subigerent. Nec melior conditio ab iis expectanda nobis est, erga quos tandiu infestissimos & implacabiles hostes se præbuerunt.

Guifiadarum viros quam metuenda.

Innocentium strages.

Quòd verò ad Guifiadas aliosq; Lotharingos attinet, eorū vires minùs metuendæ sunt, cùm tantundè duntaxat virium habeant, quantum iis damus. dominatio tamen illorū æquæ ac Hispanorum est formidabilis, si eos prauis nostris consiliis dominatum occupare patiamur. De iis non est mihi longior habenda oratio: nam & illi ipsi satis nobis cogniti sunt, & eorum administrationis ratio satis iam dudum perspecta & explorata est. Dispiciamus enim quales antea fuerint, atque adhuc sint in iis locis vbi aliquid potestatis habuerunt, & quid ab iis expectare possimus, quando summum ius & imperium adepti erunt. videamus ex historiaris immanes innocentium strages, quibus inuam ad tot discidia nobis aperuerunt, vt mutuis nos cædibus conficeremus. Quin recentiori memoria Regis copias à Duce Magentensi ad hæredem Caumontii rapiendam, & contra omne ius per vim retinendam adhibitas

as fuisse recordemur. Sacromorii etiam ca- *Sacromo-*
 dem ab eodem factam cogitemus. Si cum in *ritu det.*
 Regis potestate essent, omnem ordinem, leges *De suis.*
 etiam omnes violare ausi sunt: quid futurum
 tandem est, ubi summam omnium metu & legibus
 solutam potestatem erunt consequuti? Ponamus
 nobis ante oculos eorum iam intolerandam
 superbiam: scortationum, quas ubicunque lo-
 corum versantur, admittunt, sordes ac turpi-
 tudinem: tum praedationes, atque immodera-
 tam quam suis militibus largiuntur licentiam,
 ut hoc pacto plures suae coniurationis socios
 & administratos habeant. Expendamus praeter-
 ea quantam pecuniae vim ab anno superiori
 corraferunt. meminimus denique exactio-
 num ab illis & Lutetiae & aliis in quibus aucto-
 ritate valent urbibus factarum violentiam & acer-
 bitatem: annon haec omnia sunt illorum iniusti-
 tiae, intemperantiae, crudelitatis, libidinis & in-
 iuriarum specimen, amplissimumque argumentum,
 quod Deus consulto nostris oculis subiecit,
 ut moneamur & consideremus quam misera
 futura sit nostra conditio, si illorum dominationi
 subditi simus? Annon eadem signa sunt certissi-
 ma, quibus omnis iustitiae esse contemptores,
 honoris, amoris, misericordiaeque prorsus ex-
 pertes: denique homines ad unam tyrannidem
 spectantes & propensos se ipsi arguunt?

Omniem autem istam turpitudinem religionis *Quam pa-*
 quidem nomine velant & tegunt. At quanam *rum reli-*
 potest illorum esse religio, Deique metus in tam *gionis in*
 dissoluta vitiorum omnium licentia? quanam *Quasi ad*
 potest esse in eorum militibus pietas, a quibus *ac Lacha-*
 videas grauioribus iniuriis Ecclesiasticos affi- *ringis in-*
 ci, maiores contumelias & ruinas templis in- *fer.*
 ferri, quam ab aliis unquam illatam fuerint?

Quanam verò fuit ipsorum & patrum religio, qui toties cum Germaniæ Principibus protestantibus egerunt, polliciti se pro virili parte ipsorum religioni in hoc regno locum duros, vt eos ad suã causam adiungerent? Nonne religionis reformatæ hominibus idẽ quoque in multis prouinciis se facturos promiserunt, vt eos ad hæc turbas concitandas, quas tandem Catholicorum Romanorum opera concitarunt, citius ac facilius pellicerent? Nonne Ducis Bullionia cum suæ familiæ aliquo matrimonium ambierunt ea conditione, vt in omnibus illius finibus religionis reformatæ libertas esset? Vitæ illorum turpitudine & licentia, illorum ambitio, tota hæc quam aduersus Principem suum machinati sunt, coniuratio, tot & tantæ, quibus vbique per eos vexamur, miserix, præclari sunt istius in Deum, in Principem, in patriam pietatis fructus & testimonia.

Quot tyrannos Lotharingia domus daturat.

Quòd si eorum vnus tantum ad tyrannidem esset comparatus, qui posset in nos inuadere, non tantus metus futurus esset. At ex ea gente octodecim sunt Duces (eo numero nihil in omnibus suis laudibus, & titulis, quibus fucum nobis faciunt, speciosius & illustrius habent) qui ex æquo omnes tantumdem sibi iuris ad huius regni dominatum usurpandum arrogant: iique maxima ex parte ab omni fortuna derelicti, inopes, famelici. Singulis regia cum summo imperio hæreditas distribuenda. singulis aulae regie sumptus assignandus, & vnde cupiditates sibi diuesque suas expleant, suppeditandum erit. Quis tunc futurus est huius regni status? quæ familiarum, facultatumque nostrarum ab his vorat

voraginibus, quæ ab illorum libidinibus & nequitiiis securitas: etiam si permultorum ambitiosorum viuendi rationi alia de quibus loquuti sumus mala & incommoda minimè committarentur?

Iamdudum multis indiciis & experimentis Deus ostendit gentem Lotharingiam Gallicæ esse pestem, fatalemq; familiam: familiam, quæ ut cresceret, potentiorq; euaderet, per bonorum publicationes Gallicam nobilitatem facultatibus suis exhaustit: quæ Principes nostros de gradu dignitatis pro virili demouit: quæ aliis etiam amplissima quæq; munera eripuit, ut sola Rege potiretur. Cuius auaritia & ambitio tanta iam inde à primo ipsorum in hoc regnum aduentu extirpit, tam contra obscurum in regni vtilitatem studium, ut Rex Franciscus eius nominis primus (ut erat acerriimo iudicio præditus, aut diuino potius afflatu vaticinans) pronunciauerit, & liberos suos & vniuersum populum Gallicum ad incitas, ut dicitur, & ad summas rerum omnium angustias ab illis redactum iri. Qui, pro omnibus egregiis & gloriosis fortitudinis suæ facinoribus, & rebus à se ad huius regni splendorem & amplitudinem præclare gestis, quas proferre possent, nihil nisi de illa parentum suorum in Italiam profectio, & suscepta de regno Neapolitano sibi adsciscendo expeditione commemorare nobis possunt. At quò maximè memorabile & præstantissimum facinus se gessisse putant, nihil aliud re vera fuit, quàm regni dedecus & perniciēs, ob ingentes clades quæ inde consequæ sunt. familiam dico, quæ non conqueuit, donec felicissimum antea omnium Gallie parti

Lotharingiæ gens, Gallia per se.

Franciscus I. de Guisardi auctorem.

Guisarda quid memorabile gesserunt.

um statum perturbabit, & incendium vbique locorum excitarit, illudquē toties de integro accenderit, quoties per annos XXX. restitutum fuit. familiam, quæ prima Gallos docuit, arma in Regem suum capere, & gladium in mutuavisera distringere: quæ sola & fuit & est prouinciarum vexationis, & vastitatis, totquē urbium excidii causa. quæ semper habuit, & adhuc habet clandestina cum veteribus regni hostibus consilia. Hæc ergo familia, quæ cum primum sedem & domicilium apud nos collocauit, in omnibus Galliarum partibus & fax & gangrana ad eam penitus perdendam semper fuit, dignane videretur & idonea, quæ in Gallia dominaretur, summamquæ potestatem haberet? Annon Gallia satis hactenus ab iis passa est? nunquid etiam alia maiora à Deo argumenta expectamus, quibus ostendat, nisi pestem istam è nostris finibus eiiciamus, eam nobis tandem exitii causam fore?

Quod si ad hoc sceptrum tam diu ac tan-
to perè expetitur peruenirent, ad illud profecto tyrannica vsurpatione, iniquisquæ & illegitimis artibus, si quæ vnquam fuerunt, peruenirent: cum & populum ad impiam à Rege suo defectionem concitarint, & vim illi facturi, eum in suam vsque regiam sæpe persecuti fuerint, ac postremò illum ipsum sceleratè & perfidè trucidandum curauerint. Deus autem in cælis est iuris Regum propugnator, contumaciæ istius popularis iudex & vindex: qui nec probabit, nec patietur vnquam, ut quis rei suæ quamuis minimæ possessione deiciatur: qui hominis etiam infimæ eadem inultam non feret. Quare pro certo illud nobis habendum est, Deum il-

*Deus iuris
Regum pro
pugnator
& vindex.*

lis infensum, Deum illorum ultorem futurum: & ob hoc vnum maximè, quòd religionis & rerum sacrarum nomine ad flagitia consiliaque tam nefaria suscipienda abusi fuerint. Si verò illi ad hoc regnum gubernandum Deo ita sibi infesto accederent, quid inde regno futurum esset? Quàm felix scilicet ea subditis dominatio foret, quæ à coniuratione & Principum legitimorum cæde initium fecisset, & quam Deus ideo execratus ac detestatus fuisset? Quòd si eorum dominatus ob tam multa sinistraque omnia quæ impendent, nobis aded est metuendus, nihil boni profectò, quo ea quadantenus expientur & sarciantur, quo etiam illi expetendi videantur, prorsus extat.

Opes verò & potentiam, quam ad regni defensionem & conseruationem adhibeant, nullam prorsus habent: vt nulla etiam cum *Quàm infinitimis Regibus & populis fœdera, nisi cum firma Guisadaram opes.* iis, qui ipsorum opera & factionibus eidem prædæ inhiant, alioqui eorum ipsorum aduersarii futuri. Virtutis bellicæ aut nihil omnino, aut minimum certè adhuc in iis extitit. Superioribus annis Dux Mayennensis copiis regiis & coniurationis totius flore instructus, quid præclarum aut memorabile contra tam paruum hominum manum in Aquitania effecit? quænam ingentis illius exercitus facinora? quæ effecta sub eorum ductu & auspiciis in sua illa Dieppana expeditione fuerunt? quanto dedecore & probro, quoties ad pugnam & manus res venit, pugnandiue facultas ipsis oblata fuit, toties eandem recusarunt? Illi certè ad tantum hoc glificandum diadema idonei non sunt, nobis

verò tam multi tyranni valde multum met-
endi. Alia imperia trans mare in Syria iactant:
si regnandi libido eos ita urit & cruciat, eò con-
tendant, & à tot tantisque, quibus nos hucusque
diuexarunt, laboribus ac miseriis nos aliquan-
do conuiescere & paululum respirare sinant.

*Exhortatio ad eos qui coniuratorum partes huc-
usque tenuerunt, ut se ad bonorum causam ad-
iungant: cogitantes & mala que nobis ab ex-
traneis imminet, & bona que nobis in Hen-
rico IV. à Deo offeruntur et speranda sunt.*

CAPVT XXIIIX.

Equidem spero eos qui que modò à me di-
cta sunt considerabunt, facile iudicatos
quantopere sit Gallie necessarium ad pristinam
concordiam redire, Regique debitam fidem &
obsequium prestare, tum ob certa, que nos inole-
manent, commoda, tum ob maximas, que no-
bis imminet, calamitates, si aliter nos gerer-
mus. Coniuratio, que huius regni hostium con-
filiis & artibus facta est, à seditionis quibusdam in-
cepit, & eorum plerisque in extremam rerum suarum
desperationem, nisi omnia turbarent, ad-
ductis: aut spe partem aliquam ex toto decer-
pendi allectis, si legitimos possessores deturba-
re possent. Alii verò, qui ad coniurationis duc-
ces sese aggregarunt, id fecisse videntur aut re-
ligionis suæ metu & persuasionibus quibusdam
inducti, aut ne de urbibus eiicerentur, & tanquam
hostes à seditionis exagitarentur: aut, quod in
eiusmodi factionibus vsu venire solet, aliorum
exemplo abrepti, incommodis que inde sequi
tura essent non satis attentè consideratis & animè
aduersis, quippe variorum, quos auctores con-
iurationis obtendebant, pretextum specie pre-
senti.

*Quibus re-
bus deco-
pse pleri-
que conse-
ratis adha-
serunt.*

stincti. Nunc verò temporis, quod ab hisce turbis effluxit, interuallū satis multa nobis sub iicit, ex quib. tum eorū, qui nos nostraq; ita per turbarunt, consilia consiliorumq; scopū: tum multas & magnas, quę inde certò nobis impendent (nisi nobis maturè prospiciamus diligenterq; caueamus) calamitates, planè colligere possimus. Calamitates quidē pro temporis breuitate sunt grauissimę, sed ea sunt tantū mutationū confusionumq; horrendarū principia & preludia, quumq; in ea, in quā illi nos perduxerunt sententia cōtumaciū perstiterimus: nos profectò ipsi eius, quę nos cū totius regni mutatione circūueniet & implicabit, ruine administri effecti fuerimus: vt ne id quidē, quod vnū miseris superest, nobis concedatur, ingemiscendi & conquerendi facultas, cū nos ipsi vltro perire ita voluerimus. Nunc igitur quū adhuc remedio est locus per eū quem Deus nobis largitur Regē, qui hoc omnino constituit, nobisq; sua ipsius sponte spondit se vias ac rationes quęcunq; excogitari poterunt, optimas persequiturū, vt satis nobis omnibus faciat, & sancto Concilio liberaq; comitorū conuocatione ordinē pacemq; vbiq; restituat: ne ampliùs contra nos ipsos pertinaciter pugnaciterq; certemus, sed ad nos redeamus, mentem istā mutemus, & de sarcienda felici illa omniū ordinū inter se concordia sedulò serioq; cogitemus.

Qui hisce turbis viā ad rerū mutationē facere voluerunt, religionis velū nostris oculis obicerunt: illud satis sciētes nulla alia re magis nos tangi, nosq; hoc metu affectos, facilius ad eorū arbitriū conformari posse. Verū illa regnādi cupiditas, quā religionis simulatione tā diu texerunt, iā tandē omnib. patefacta est: illi se ipsi tandē aperuerunt. Nemo est tam obtusa ocu-

*Religionis.
Velum à
coniuatis
cur obtenta-
tum.*

lorum acie, qui, dum seruitutis laquei nobis tenduntur, verba nobis data, nosque inani tantum rerum specie ac vanis rerum praetextibus in fraudem maximam impulsos esse non videat ac perspiciat: nemo etiam ita hebes & rudis, qui, dum coniurati regnum dissecant, ut illud extraneis tradant, inductiones & verborum blanditias, quas nostris auribus atque animis ad sensus duntaxat nostros obtundendos instillarunt, (non aliter quam fieri solet in iis quorum membra ferro secanda sunt) adhibitas fuisse non facile intelligat. Lotharingi, Sabaudus, Hispanus, viam patentem habent: nos spoliatiōni expositi, nos nouis dominis destinati sumus. Cū verò Rex necesse habeat omnes suas foederatorumque vicinorum opes ac vires ad retundendos impiorum illorum conatus conferre: hoc quoque necesse est, ut maximis calamitatibus rerumque confusionibus obruti atque oppressi in iserè concidamus.

*Religionis
zelus qua-
lis esse de-
beat.*

Religionis zelus præclara quidem res est, & quæ præ ceteris omnibus studiis penitissimè in animis nostris infixæ esse debet: sed zelus ille cum scientia, hoc est, cum causæ cognitione & certa voluntatis Dei inquisitione coniunctus esse debet: nec decet nos ita vacordes esse & stupidos ut dolis decipi, atque vanis inductionibus & simulationibus auferri nos patiamur, si enim zelus fuerit prudentiè inanis, quo maior erit, eò deteriores ac perniciosiores effectus producet. Religionis zelus Iudæis tot peruersorum consiliorum causa fuit, quæ in extremam tandem, in qua hodie afflicti iacent, ruinam eos coniecit. Ille ipse zelus est, qui effecit ut Euangelii prædicationi se oppo-

Iudæi.

oppo-

opponerent, vt Christum & gentibus traderent, & tanta animi obstinatione cruci suffi-
gendum flagitarent: quib; postea summum in
eorū animis aduersus Christianos odium aluit
& tot ac tantarum persecutionum causa fuit:

D. enim Paulus ita de iis loquitur: *Testor de ipsis Rom. 10.*
eos zelum Dei habere, sed nō ex notitia. Deinde

gentes eodem suæ religionis (quam à multis *Gentes,*

saeculis sibi per manus à maioribus traditam

habebant) zelo ducti bellum cum Christianis

per trecentos annos gesserunt, atq; cum omni

tormentorū & cruciatuum genere illorum

sanguinem immanissimè effuderunt, quem-

admodum etiā Christus in Euangelio id præ-

dixerat his verbis: *Veniet tempus quum quisquis* *Ioan. 16.*

trucidarit vos, putabit se cultum Deo præstare. Quod

si zelus sine notitia, maximorum semper ma-

lorum in religione causa fuit: pessimus etiam

in negotiis publicis consiliarius fuit. Iste zelus

Iudæis olim persuasit ne Nabuchodonozoris

imperio se submitterent, quod esset Paganus

& incircuncisus: quanquam Deus illis per Pro-

phetas suos edixisset hanc suam esse volunta-

tem, vt illi se submitterent. Postea etiam idem

zelus ad bellum aduersus Romanos, quibus

eos Deus subiecerat, gerendum impulit: et si

Christus per quosdam legatos ad se missos eos

docuisset reddendum esse Cæsari, quod esset

Cæsaris: quod consilium ab Apostolis deinde

repetitum apud eos fuerat. Primò autem se-

cundoque zelus ille toti Iudaico statui perni-

ciem & exitium attulit.

Hæc & alia eiusmodi exempla nos satis do-

cent, quum de zelo in Religionem ostenden-

do monemur, prudentiam non mediocrem

requi-

Ioan. 16.

Zelus sine

notitia

quàm bene-

uolens

Peruersus

conuulso

rum zelus.

requiri, ne id nomen nobis imponat. Extranei, ut nos ad arma contra Reges nostros capienda impellerent, distitunt religioni Catholicae interitum imminere. At nostrum tunc erat rei veritatem accuratius exquirere, ac prudenter considerare quam obrem verba hæc ab iis fierent, cum paululum religionis in tota eorum viuendi ratione appareret. videndum erat an Deus præciperet à suo Rege deficere, quæcunque tandem causa obtendi possit. cogitanda etiam incendij, quod in toto regno excitare cogitabant, incommoda detrimentaque maxima. Nihil horum factum fuit, sed arma contra Regem sumpta sunt, ciues statim sese mutuo trucidarunt: istaque defectio, & belli tam crudelis ac nefarij suscipiendi coniuratio, Catholicae Religionis zelus nominari cœpit. Equidem zelum esse fateor: at scientiæ & prudentiæ expertem: quem videlicet sentimus eadem iam effecta gignere, easdem etiam vires habere, quas apud alios habuit: & qui proculdubio eandem in nos ruinam inuehet, quam in eos olim inuexit. Nam quæ ratio, vera sanè, proferri potuit, quam obrem Rex demortuus in ullam de Catholica religione tollenda suspicionem venisse putandus sit? In quam etiam hic ipse, qui iam regnat, quamuis Religionem Romanam non amplectatur, cum doceri verbo diuino postulet, sequæ sancto Concilio cessurum & morem gesturum promittat? Cui tandem minimam religionis causa, conquerendi occasionem dedit? Nunc ergo tam multæ, quas ob zelum istum concitauimus, quasque nos cuncti experimur miseræ, totidem sunt nobis admonitiones propositæ.

proposita, utrem diligentius quam antè ponderemus, & propriis edocti malis prius respiscamus, quam spes omnis respiscendi nobis auferatur. Reperiemusne Dei zelum in vllis maiorem vnquam fuisse, quam in Apostolis & in ipso etiam Christo? Ille verò zelus fecitne ut minimam contumaciæ aduersus Principes quanquam Paganos & infideles speciem aut opinionem præbuerint? Annon contra Christianis verè Religionis amantissimis præceperunt, ut iis parerent? Nunquid in tota veteri Ecclesia, quum Imperatores & eorum consiliarij atque administri omnes in prouinciis infestissimi Christianorum hostes erant, persecutoresque crudelissimi, vllus vsquam extitit, qui religionis ergò quidquam commouerit? Nunquid religio est, incensione vrbes, interneccione ciues, direptionibus agros, vastitate regnum totum euertere & perdere, fratrum aded suorum sanguinem effundere, atque Principes legitimos gradu mouere, ut iis externi substituantur? Nunquid zelus est, perniciem impendentem videre, & in eam se sua ipsius sponte conicere cum manifestæ defectionis pertinacia, potiùs quam pacis vias vel le persequi, per quas quicquid de omnium felicissimi imperij partium, atque aded Catholicæ religionis in pristinum statum restitutione expectari sperarique potest, consequi possimus? Quin potius zeli istius velum, quo nobis simulatores isti oculos obdlexerunt, detrahamus & in causæ cognitionem veniamus: tunc verò facillè perspiciemus, quantum mali sub hoc nomine & prætextu nobis comparetur.

Quum

*Exhorta-
tio ad nobis
les consu-
ratos, &
ad melio-
rem men-
tem re-
deant.*

Quum nobiles, qui ad extraneorum ratio-
nes contra suum & legitimum Regem se ad-
iunxerunt, in ista coniuratione permanebunt
illi profectò honorem sibi à maioribus reli-
ctum, præclaramquæ illam summæ erga suum
Principem fidelitatis, qua apud omnes cele-
brati fuerint, famam amittent: atque ad leges
regni constituendi præcipuas, seu, vt vocamus,
fundamentales, (quas maiores tam sapienter
condiderunt, & conditas tam constanter reti-
nuerunt) euertendas & antiquandas consen-
sum operamquæ suam conferent: iidem gen-
tem peregrinã ad thronum regium, ad quem
patres accedere eam nunquam passi sunt, eue-
hent: ipsi se iis, quos nostri olim sibi subiece-
runt, vtrò subiicient: denique hostibus & re-
gnum & patriam tradent, pro cuius libertate
centies, si potuisset fieri, sanguinem profudif-
sent. Eorum patres, si Princeps quispiam ad-
uersus Regem suum iniusti aliquid moliretur,
ad eum defendendum magna alacritate & fi-
de accurrebant, parati iniurias illi factas armis
prosequi aduersus quemlibet & Papas etiam
ipfos: hi verò cum hostibus etiam faciunt &
stant, vt Regibus suis sceptrum & diadema
suum eripiant, Gratiam & opes quærunt, ac
amplioresne consequuturos se putant ex pere-
grinis istis, quàm ex Principe sui sanguinis, e-
iusdem secum nobilitatis & stirpis Regiæ illo-
rum, qui auos ipsorum sic amarunt, totq; ho-
noribus ac priuilegiis ornarunt & cumularunt.
Non præuident futuram rerum omnium mu-
tationem, quam Principis mutatio adferet.
Num putant se antecessuros illius nationis ho-
mines, cui summam potestatem dare conatur?
Hic igitur & maiorum memoria, & honor
quem

quem tanti semper fecerunt, & libertatis publicæ amor, & fortunæ ac dignitatis priuatæ studium curaq; ad sanius sanctiusq; consilium amplectendum eos inuitant, si modò ij sunt, qui vel sapere vel respiscere aliquando possint. *Ad oppida nos & eos ecclesiasticos eos.* Oppidani Ecclesiasticiq; vniuersi possunt etiam satis prospicere pericula, in quæ se ipsi coniciant. Totum hoc bellum Regi infertur, ac proinde Deo ipsi qui eum ad regnum vocauit. Rex autem ingenio est miti, & à vindicta abhorrenti: vt quicumq; se à coniuratione ad illius causam referent, humanitatem & clementiam ab illo summam sibi verè polliceri possint. Deus tamen gladium illi tradidit, quo supplicium de sceleratis sumat. Qui cum hostibus de eripienda illi corona regia pertinacius conspirabit, cogitet hanc esse omnium grauissimam quæ illi fieri possit iniuriam. nec dubium tamen, quin Deus inuitis etiam & repugnantibus hostibus, eum in regno constituat. Tunc verò annon valde est metuendum, vt tam magnanimus generosusq; Princeps iustissimo dolore accensus iram suam in contumaces illos effundat, eosq; vlciscatur?

Rebus igitur omnibus diligenter consideratis hoc vnum saluberrimum omnium consilium videtur, vt vno omnium ordinum consensu, piatq; conspiratione Regis dominationi subiiciamur, quemadmodum Deus nobis præcipit, regni leges statuunt, maiorum nostrorum fidelitas nobis ad id exemplo est, & calamitates, quæ certò impendent si aliter agamus, nos etiam cogunt. Annon illud prauum hominum consilium ingratusq; animus videtur, quum Deus in eorum miseriis & vexationibus pro sua singulari gratiaq; benignitate, calamitof

*Liberato-
res à Deo
missi, nec
recepti.* mitosi illorum status misericordia commotus
liberatores, ruinarumquæ instauratores ipsis
suscitat: huic piæ Dei voluntati se opponere,
& omnia pro viribus moliri ad eos opprimen-
dos, quorum auctoritate & præsidio si careant,
ab hisce tot tantisque calamitatibus oppriman-
tur & pereant necesse est? Deus Iacobi Patriar-
chæ tẽpore constituerat ingẽtem terræ famem
inferre, per quam Patriarchæ illi, ipsiusquæ fa-
miliæ extrema rerũ ad victum necessariarum
inopia immineret. Verũm Deus, quo est in
suis amore & benevolentia, liberatorem in
Iosephus. famis tempus illis designat, nempe Iosephum,
illudquẽ illi significat per somnia quæ eidem Iosepho
immittit, vt ab eo exposita fuere. Quid
Iacobi filij Iosephi illius fratres faciunt? inue-
terata quadam inuidia ducti Iosephum suum
fratrem necare constituunt: quod erat sua se-
sponte subsidio & salute, quam Deus ipsis pa-
rabat, priuare velle. Atque primum id exem-
plum esto. Deinde populus Israëliticus, cum
ageret in Aegypto, crudelissima seruitute ve-
xatus fuit: ac, nisi Deus præsentem illi opem
tulisset, tantum sanè onus sustinere diutius nõ
potuisset. Deus autem Mosen liberatorem il-
Moses. li excitat, qui ad eum venit, existimans eum
intellecturum velle Deum per manum suam
illi salutem dare, vt D. Stephanus totam hanc
historiam Actorum Apostolicorum libro ex-
Act. 7. ponit. Quid verò populus ille ingratus, & suæ
ipsius salutis hostis agit? Mosen abnegat & pla-
nè recusat: *Quis te, inquit, Principem & Iu-
dicem constituit?* Illum itaque eiicit, cogitquæ
XL. annos exsulare. Illud autem erat pro vi-
rili parte beneficium sibi à Deo oblatum asper-
nari, & suæ ipsius liberationi obstare. Saulis
pri-

primi Israëlitiçi populi Regis tempore maxi-
 ma calamitates extiterunt, regnumque ini-
 qua Saulis ipsius gubernatione valde pertur-
 batum corruptumque fuit. Tandem Saul
 praelio cum Philistæis commisso victus desi-
 deratusque fuit: vnde parùm abfuit quin po-
 pulus in Philistæorum ditionem potestatem-
 que redigeretur. At Deus pro sua bonitate
 tantis ruinis prouiderat suscitato Rege Dau- *David.*
 de, per quem eum à Philistæorum manibus
 vindicare ac liberare, regni morbis mederi,
 cultum suum pio conuenientique ordine sta-
 bilire, imperij fines longè lateque propagare,
 & populum sub eius dominatione omni ex
 parte beatissimum efficere constituerat. Quo-
 modo autem ingratus iste populus se gerit?
 Plerique omnes vna tantùm tribu excepta de
 bello Dauidi inferendo consilium capiunt, &
 totis viribus adhibitis impediendo, ne re-
 gnum illius constitueretur: id quod nihil ali-
 ud erat, quàm in sui ipsorum perniciem
 coniurare, ingrataque felicitatem illam re-
 spuere, quam Deus ipsis parauerat. Antea *Iudic. 6.*
 etiam Iudicum temporibus aliud mali huius-
 sce consilij exemplum insignefuit. Populus
 ille Madianitis miserrimè mancipatus erat.
 Deus verò pro consueta sua benignitate eum *Gedeon.*
 miseratus est ac Gedeonem liberatorem
 ipsis suscitauit, cuius opera res præclaras pla-
 neque admirabilia facinora in populi sui sa-
 lutem edere decreuerat. Quid hic popu-
 lus? In animum suum inducit Gedeonem
 à sua religione alienum esse, & inconfide-
 rato quodam zelo ob nescio quas afflctas
 fractasque statuas permotus Gedeonem si-
 bi tradi postulat, de quo supplicium sumeret.

Si

*Regem à
Deo libera-
torem da-
tum ample
laudamus*

Si verò id factū ita fuisset; verisimile erat eum Madianitarum iugum nunquam excussurum fuisse, cū suam sibi ipsi salutem inuidisset, atque eripuisset. Atque illa erant prava consilia, quæ à Diabolo publicæ salutis hoste populo illi sine dubio dabantur. At idem omnino est de iniquissima ista quam hodie plerique pertinacissimè tenent sententiâ censendum. Regni huiusce status multis modis & iam dudum quidem corruptissimus est ac depravatissimus; atque optimo & sapientissimo aliquo Principe nobis peropus est, qui eum curet, sanet, ac restituat. Illius hostes incendium in eo excitarunt, quod nosq; omnes nostraq; omnia penè conficit & absunit. Extranei de nobis sibi subiiciendis toti cogitant, ita vt regno universo extremum (nisi Deus nostri misereatur, & breui liberatorè ac vindicem nobis imperet) naufragium impendere videatur. Id verò Deus agit quum Regem, qui nostri curam tutamq; suscipiat, præstantissimis animi corporisq; dotibus ac virtutibus à se instructum nobis offert; necnon vnum præ aliis omnibus longè dignissimum esse, qui res nostras labascentes, & penè affictas erigat, regnumq; restituat, in pristinam dignitatem ac felicitatem restituat, multis magnisq; argumentis confirmat & docet. Nonnulli tamè usq; non pauci existunt qui se illi opponant, petantq; ab illo, vt olim à Mose, *Quis te nobis iudicem & Principem præferat?* Hoc vnum eorum consilium est, quale olim quorundam ex populo Israelitico factiolorum fuit, modis & viribus omnibus obstat, ne Dauid sibi dominetur. Dicitant, quod de Gedeone quondam, eum non eandem cum reliquo populo religionem profiteri. *Quid verò*

verò hoc est aliud, nisi illud ipsum (quod olim Israelitici populi fuit) suæ ipsorū saluti quam Deus parat & offert, intercedendi consilium? Sed nos eò cæciores & ingratiore sumus, quòd & Gedeonis, & aliorum vocatio non ita omnibus cognita & explorata erat, vt hodie nobis liquidò constat, & extra omnem controuersiam positum est, hunc à Deo ad regni administrationem vocatum, & Principem nobis præfectum fuisse ex iis legibus, quas ipse in hoc regno constituit. Quemadmodum autem, quantumuis populus ille prauis indutus consiliis conatus sit pro virili, quo minùs sui illi liberatores constituerentur, impedire, Deus tamen eos re vera constituit, & eorum fide atque opera quæcunque destinauerat, effecit: sic nobis quoque sperandum est, eundem quo confidimus Deum, indignitates iniquitatesque nostras sua singulari bonitate vincentem, idem planè de hoc Rege nostro effecturum. Et probi quidem piiq; viri tot miseriis ac periculis defuncti, cum summo gaudio & lætitia id spectabunt: alij verò, qui in nefaria ista coniuratione obstinato animo permanserint, illud quoque ipsum fortasse, sed cum dedecore & probro suo maximo videbunt.

Insurandum coniuratis datum impedire non posse quin ab eo discedatur, vt Regis Imperio pareamus.

CAPVT XXIX.

Permulti eorum qui hætenus à Regis hostibus steterunt, ea quæ diximus satis quidem ipsi vident, & huius temporis calamitates

Y deplò-

deplorant: sed præ iurifurandi, ad quod à con-
iuratis adacti sunt, scrupulo, & factionis Ca-
tholicorum fœderatorum, quibus mutuo pro-
missio deuincti sunt, deserendæ metu, ei adhuc
causæ adhærescunt. Quod cum ita sit, eiuſmo-
di etiam hominibus satisfacere cogor, ante-
quam finem dicendi faciam, vt tota hæc sit sub-
lata controuersia. Suis quidem stare promissis
& fidem datam præstare præclarum & lau-
dabile est. atque omnes vtinam qui de fide fa-
ctiosis data loquuntur, fidem in aliis quoque
rebus omnibus diligentissimè seruent. ve-
rùm sacramenta nec rectè semper fiunt, nec
sunt etiã eiusmodi vt præstari debeant. Quum
Dei metu adhibito ad publicæ rei salutem &
proximorum vtilitatem fiunt, ea verò etiam
cum priuato detrimento coniuncta, seruanda
sunt, vt Psalmographus ait. At si Deo aduer-
santur, si publicæ rei pernicioſa sunt, si cum
bonis moribus & cum caritate pugnant, in
iis certè faciendis grauius peccatum est: sed
grauius multò peccabitur, si ea conseruare &
efficere velimus. Tale fuit illud votum cui se-
se Iephthes obstrinxit: tale illud Herodis iur-
iurandum: talis illorum XL, aduersus D. Pau-
lum captiuum coniuratio: tales & illæ, quas
à seditiosis viris contra Principes legitimos &
imperia iureiurando conflatas fuisse legimus,
conspirationes fuerunt. At Gallica factio talis
omnino est, & magis profectò detestanda,
quàm alia quæcunque antea vnquam facta
fuerit.

*Iuramen-
ta quate-
nus seruan-
da.*

Psal. 15.

*Iudic. 11.
Matth. 14.*

*Factio o-
mnisquæ in
perniciosa.*

Primum omnis factio quocunque tandem
nomine veletur, quæ regnum imperiumve a-
liquod in diuersas partes distrahitur, regni im-
periique illius presentissima est pestis, si in
eo tol-

eo toleretur & alatur. Etenim Respublica, regna, & alia inter homines constituta imperia, sunt plurimarum familiarum simul coniunctarum cœtus, vt sint vna veluti familia, aut vnum corpus iisdem legibus, consilijs, administratione, vitæq; constans. Quandiu autem inuiolatam hanc concordiam seruant, raro admodum detrimentaliquid accipere solent. at quum discidiis locus est, hique ad hanc, illi ad illam causam se adiungunt, regni interitus ac dissipatio mox consequatur necesse est. Vt Christus in Euangelio: *Omne, inquit, regnum discidens aduersus sese, vastatur: & omnis vrbs aut domus discidens aduersus seipsam, nõ stabit.* Id enim perinde se habet, ac si vnius eiusdemque corporis membra aduersus se mutuo conirarent: vt sapiens ille Romanus apud plebem, quæ à reliquis ordinibus ita secesserat, aliquando differuisse dicitur. eodem se modo habet ædificium, quum illius structura & compages malè cohærens hiat, disiungitur, vitiumque facit. eadem est diffensionis in familia inter fratres conflata ratio. Experientia perpetua id aded comprobari videmus, vt ampliori probatione minimè sit opus: certissimum illud est atque exploratissimum imperij axioma: satis hodie experimur, in quem statum delapsi inde simus. In Gallia nostra Ioanne Rege absente, Stephani cuiusdã Marcellum Mercatorũ præfecti cõsilijs & artibus tale quippiam fieri coeptũ est: vnde maxime calamitates cõsequutæ sunt, & quæ sine dubio perniciẽ regno attulissent extremã, si diuturniores aliquanto fuissent. Regis Ludouici XI. tẽpore alterius etiam factionis fundamẽta iacta sunt:

Matth. 12.

Menenius Agrippa.

Factio sub Ioanne Rege.

Altera sub Ludouico XI.

sed Regis illius prudentia oppressa fuit. Quòd si nostri Reges isti coniurationi maturè quoq; prouidissent, nò tantum inde mali accidissent sed tarditatis & negligentia suæ culpam capitibus pœna luerunt. Quanquam igitur in hac quæ hodie furit coniuratione hoc vnum, (cæteris iam non consideratis) malum duntaxat inesset, quòd per eam populo discidiis distracto alter in alterius perniciem impiè crudelissimeq; conspiraret: atque dissensiones ibi concitentur, vbi summa debet esse animorum & voluntatum consensio: id profectò per se flagitiosum ac nefarium est, quippe regno funestum, & publicæ tranquillitati vtilitatiq; exitiosum: ideo quæ continuò derelinquendum & fugiendum, tanquam certissima communitatis & societatis humanæ pestis.

*Factio cur
& quor-
sum à Gus-
suis mota.* Verùm vt huius, quæ iam in Gallia fœuit, factionis incommoda diligentius expendantur, ea à prima sui origine repetenda est, & eius auctores considerandi. Qui primi factionem istam instituerunt, qui eam redintegrarunt, ac postea semper aluerunt & corroborarunt, fuere, vt cuique nostrum compertum est, Guisij: hoc est, ista factio proprium est eorum, qui nos semper turbarunt & vexarunt, opus. Consilium igitur ab extraneis priuata re permotis, & multorum bellorum, maximarumq; calamitatum auctoris profectum, in regnum admitti sine ipsius detrimento maximo non potuit. Scopus autem is fuit, quem tempus postremò nobis patefecit, nimirum vt per ciuium discordiam, ad suas iamdiu conceptas de regno vsurpando spes viam pararent: vt populum contra Regem concitarent: vt ipsi factionis duces eligerentur, atque paulatim, & quasi

quasi gradibus quibusdam ad dominationem eueherentur. Hæc propriè factionis istius origo est: hæc causâ. Nec ea aliter nominari potest, quàm coniuratio, & bellum sub speciosis nominibus Regi regnoq; toti cum indictum, tum illatum.

Huius factionis modus & forma iam ab initio in subsignatis, iure què iurando confirmatis articulis tam horrenda fuit & atrox, ut nulla atrocior coniuratio vnquam visa fuerit, *Factionis modus & forma qualis.*

Primum quidem dicebatur contra Religiosos fieri: sed re ipsa præcipiebatur, ut suum quisque propinquum & vicinum ad ineundam eiusdem consilij societatem sollicitaret: qui verò id detrectarent, omni violentiæ & iniuriæ tum illi ipsi, tum eorum coniuges ac liberi obicerentur citra ullam vel ætatis vel sexus, vel sanguinis & cognationis delectum ac discrimen. Ut primo mandato à factionis principibus dato, arma in quemlibet, nulla omnino illius rei vel personæ ratione habita caperentur. Ut bona eorû, qui eandem causam non susciperent, aut ad necessarios belli sumtus adhiberentur, aut in eorû, qui officia bellica præstitissent, præmiis insumerentur. Ut tota etiam eorum supellex, & alia eius generis omnia prædæ exponerentur. Nulla verò nec legis nec iuris, nec Regis vel mentio fiebat, vel habebatur ratio. nulla item calamitatum & ruinarum, quæ consequuturæ essent, nulla familiarum, urbium, totiusque patriæ vexationis & vastitatis commiseratio erat: cædes, incendia, proscriptiones atque direptiones spectabantur tantùm & sperabantur. Atque impiæ & nefariæ istius coniurationis ordo formaquè hæc fuit, ut adhuc ex his, quæ in singulis prouinciis obsignata

sunt, perspicui potest. Postea verò stilius & oratio mollita quidem nonnihil temperataq; fuit: at consilia & mens, nihil. semper enim eadem res fuit, iidem cōspirationis duces, atq; iidem, qui fuerant initio, fines.

*Quantam
confusionē
innexerit
ista coniu-
ratio.*

Quòd si de consilio aliquo quale sit, iustum- ne & utile, an contrà, ex eius effectis iudicare & statuere oportet: licet omnes totius orbis historix euoluantur, nullum tamen reperietur consilium quod maiorem vnquam licentiam, maiorem legum contemtionem, maiorem vastitatem, direptionem, violentiam & crudelitatem attulerit, quodq; grauiores calamitates & clades impendentes ostenderit, quàm impia hæc & nefaria coniuratio tam breui temporis spatio attulit, vt satis superq; iam dudum experimur. Tandem arma contra Regem ipsum capta sunt, populus in sese mutuo non conspirauit tantum, sed etiam omni reuerentia, legibus, maiorum suorum fidelitate & honore atq; obseruantia solum se putauit, ad bellum Regi suo & libellis famosis, & aperta violentia, & omni contumeliæ genere inferendum: neq; id solum, sed vitam etiam illi ipsi auferendam. Omnia direpta, incensa, trucidata, vastata, peruersa, euersa sunt. Eò denique furoris & insanix ventum est, vt Hispanus à coniuratis ad regnum vocetur, quòd vniuersi in miserrimam seruitutem nos potius induamus, quàm de concordix sub Regis imperio reconciliatione cogitemus. En præclara huius coniurationis effecta. en quòd ab illa re- dacti iam sumus.

*Quam im-
pia & bar-
bara fue-
rit.*

Quocunq; autem modo eam accipiamus & excutiamus, nihil certè in ea nec Dei, nec boni publici, nec caritatis vel tantillum cernitur,

tur, sed contrà manifestissimus Dei & ordinis ab eo constituti contemptus, furor omni rationi & humanitati contrarius, omnia deniq; ad ruinam & interitum spectantia in ea & insunt & extant. Sceleratissimè igitur omnium quæ unquam fuerunt hæc est coniuratio: cuius ideo duces & auctores iustissimas in ordinum ipsorum conspectu penas horrendo sanè modo dare iam ceperunt. Deusq; nõ prius desistet, quàm tantæ impietatis ultionem iusto fuerit iudicio persequutus: cum impia eiusmodi facinora nunquam inulta relinquere soleat. Hæc quidè factio tum sancta nuncupata, tum religionis etiã specie & fuco adumbrata fuit: sed cum hoc factionis nomen malè apud plerosq; audiret, consensionis, aut (vt vulgo) sacræ unionis vocabulum substitutū est. Verùm & prætextus & simulationes omnes tanti nõ sunt, quãti effecta quæ videtur.

Illi ipsi auctores aliis modis turbare provincias conati sunt. In primo illo, quo sui consilij rationem ediderunt libello, de Religione, vt iam alibi à me dictū est, nullum planè verbum iam autem satis videtur, quò eorum consilia spectent. Non nunc primùm, sed antea sæpe coniurationes cõtra Principes & imperia constitatæ, sub hoc zeli, sanctitatis & religionis nomine nefarios tandem horribilesq; exitus habuerunt. Incideram modò in earum conspirationum, quæ quondam in hoc regno initæ sunt, mentionem: at factum id semper fuit sub hoc ipso phratræ, hoc est sacri sodalitiij nomine. Illa Marcelli coniuratio, quæ tot cædes, tot etiam perturbationes & confusiones Lutetiæ peperit, sub Diæ virginis sodalitis specie tum constata, tum ad finem adducta fuit. Tantumquæ abest vt coniuratio hinc

*Sacræ Unio**Decipiunt specie rellig**D. Virginis sodalitas.*

excusationem aliquam habeat, ut hoc maxime illam detestabiliorem faciat, quod Dei nomen in ea intercedat, & ad consilia tam impia perniciosaque tegenda flagitiose adhibeatur.

*Iuramentum
to coniuratio
sistat
minime
standum.* Cùm igitur hæc factio ita se omnino habeat, nullum est tam sanctum iusiurandum, quod nos perpetuis vinculis adstringere illi possit. Nihil enim quidquã nos nec aduersus Deum, nec ad rem quamcunque aliam quã nos læsæ Maiestatis reos efficiat, nec ad ineundam cum improbis & sceleratis viris societatem (per quam consiliorum ab iis susceptorum participes simus) adstringere potest; quanquam per imprudentiam aut alia ratione his promissis nos ipsos irretierimus. Non possumus vnquam recta respicientia ducti satis mature ab eo consilio discedere, ex quo & conscientia & facultates, & vita etiam nostra sic aguntur & periclitantur. Adhæc eorum qui isti factioni nomen dederunt, plerosque id vel metu vel vi coacti admisisse certum est. Promissa autem vi extorta nos minime adstringunt, nulloque iure seruanda sunt. His quoque accesserunt inductiones Episcoporum, monachorum & sacerdotum, qui excommunicatione & sacramentorum vsu illis se interdicturos minati sunt, qui factionem subsignare nollent. Quæ tam multa factum quidem excusare quodammodo poterunt: sed facti, quod Dei maxime Regisque mandatis repugnat, contumaciam nullo modo.

*Catholicos
non deserere
quis
Regi adha-
rescant.* Quod autem Catholicos ut alteri se parti adiungant deserere metuunt, nulla certe metuendi occasio est. Nam coniuratorum causa, proborum Catholicorum causa non est:

est: alioqui tot nobilibus honoratisquē & illustribus viris, qui in Regis obsequio & obedientia permanferunt, maxima iniuria fieret. Qui enim pro sua in Deum pietate, & pro ea quam ex Dei præcepto Regi deberi sciunt fidelitate, qui pro eo, quo ad regni contranefarios extraneorum conatus, conseruationem teneri se sentiunt, officio, & præ summo patrię suę à tot miseris vindicandę ac liberandę studio, Regi firmissimè adherescunt, & ad eius dignitatem ac salutem propugnandam suas ope- pes & vires, suam etiã vitam libentissimè conserunt: illi profectò veri Catholici habendi sunt: non autem impii perfidique proditores, *Veri Cao- tholici qui.* qui extraneis iisdemque capitalibus regni hostibus se dederunt, vt iis sceleratorum suorũ consiliorũ ministros se & adiutores præbeant, patriamque suam impiè prodant: qui Regis demortui sanguinem & vitam toties petierunt, eamque illi tandem detestando parricidio eripuerunt: qui bello eum, quem Deus legesque Regem constituerunt, hucusque vexarunt: qui simplex & rerum imperitum vulgus in errorem inductum in tantas calamitates coniecerunt: qui nullam nec legum, nec maiorum suorum memorię, nec suę dignitatis rationem vnquam habuerunt: qui denique ex turbis & communibus Gallię ruinis sua commoda cõparare, seque ad honores & dignitates euehere studuerunt. Ergo ab eiusmodi hominibus ad alios deficere, illud quidẽ ab impiis Dei & hominum hostibus ad Catholicorum partem verè deficere est.

*Ad Nobilitatem atq; alios, qui Regis caussas
hactenus sequuti sunt, ut in ea cum sum-
ma constantia & fide persistet, Exhortatio.*

CAPVT XXX.

QUæ hactenus à me dicta sunt, non eò tan-
tùm spectant, vt eos, qui vtrum Regi obe-
diant anxii herent, admoneat: & eos, qui nimis
inconsideratè coniuuratorũ partes tutati sunt,
edoceam: sed etiam vt fideles Regis seruos, qui
hucusq; illi aduersus hostes præstò fuerunt &
succurrerunt, confirmè. Non quòd sanè tamq̃
multa tamq̃ præclara eorum officia in dubium
reuocare, & de ipsorum mutatione metuere
velim, sed potius vt eos ampliori laude cele-
brem. Fuit hæc semper Gallicæ Nobilitatis, &
aliorũ huius regni ordinum, supra cæteras o-
mnes nationes præstantia & dignitas, vt suas le-
ges inuiolatè seruaret, nec eas quacuncq; de caus-
sa aut violaret aut negligeret: suos ex ea fami-
lia, cui regnũ à maioribus delatũ fuit, progeni-
tos Reges amaret & tueretur: mutationes, (quæ
aliis imperiis ita perniciosæ fuerunt) vitaret: om-
nem seruitutis speciè cum vitæ etiam pericu-
lo à se repelleret: ideoq; extraneos ab omni cõ-
sequendæ vnquam dominationis spe quàm
longissimè excluderet. Verùm si hæc tantope-
re in maioribus nostris celebrata & commen-
data fuerunt, multò magis in hisce nostris præ-
dicanda & commemoranda sunt: qui cum v-
niuersam ferè omnium vrbiũ defectionem,
plerosq; sceleratis quorundam consiliis de pri-
stina virtute, honore & fide deiectos, hostem
seditiosorum opera in sede & administratione
regia collocatum, Regem verò ab omnibus
ferè

*Nobilita-
tis Gallicæ
præstantia
& digni-
tas.*

ferè desertum viderent : nihilominus tamen
 priscorum Francorum (à quibus oriundi sunt)
 animos sanamq; & integrâ in tam pestifera atq;
 vniuersa rerum hominumq; contagione fide-
 litatem retinentes, ad eum summa animi ala-
 critate accurrerunt. Qui nec insolentem hos-
 tium vsurpatorum arroganciam ac peruica-
 ciam, nec improuisas oppressiones, nec vires &
 copias iam dudum comparatas, nec Hispania
 confœderatorum regni hostium minas vlllo
 modo formidantes, legisq; suę Regisq; sui de-
 fensionē susceperunt. qui & Principis sui amo-
 rem ac obseruantiam: & regni, quod à maiori-
 bus relictum fuit, omnium florentissimi con-
 seruationem: & seruitutis, quæ ceruicibus no-
 stris impendet, metum, quàm vanos religionis
 prætextus, quibus coniurati tenebræ eorum
 animis offundere tentarunt, nec nõ ipsa etiam
 excommunicationum dolosè & contra om-
 nem iuris rationem à Papa vsurpatarum ful-
 mina pluris fecerunt, postquam religionis &
 zeli nominum sanctitatem à perniciosis, qui-
 bus ea velabantur, consiliis prudenter distin-
 xissent, atq; sub hoc simulationis inuolucro &
 quasi velo quodâ, laqueos suis facultatibus, su-
 arum familiarum honori, suæ vitæ ac libertati
 tendi præuidissent. Qui Regis sui cædem sine
 iustissimo dolore & indignatione summa vi-
 dere non potuerunt: hoc etiam animo & con-
 silio instructi, vt bona omnia & vitam ipsam
 adhibitori sint, nec prius conquieturi, quàm
 tam atrocè iniuriam Vnctò illi sibi à Deo da-
 to factam vlti fuerint. qui eadem prudentia, fi-
 de & animo verè Franco Regem à Deo & re-
 gni legibus in locum demortui designatum,
 sibiq;

sibiq; iure esse præfectum agnouerunt, atque posthæbitis omnibus hostium coniuratorum calumniis in illius fide & obsequio perstant, nec vlla licet maxima laborum difficultate & diuturnitate defatigari possunt, quoad patriam suam communem à durissima & acerbissima, quam extranei illi imponere conantur, seruitute liberauerint.

Hæc omnia amoris & obedientiæ in Regem sibi datum officia, hæc in patriam suam pietas, hæc in tam iusta legitimæq; causa animi magnitudo & constantia, hæc deniq; omnis fidelitas obliuione apud Deum non obruetur, qui liberorum erga parentes amorem, metum & obseruantiam, ac proinde fidelissima subditorum in Principes suos officia, eorumq; in seruandis iis, in quibus nati sunt, imperiis, virtutem magnis se in hac etiam præsentisq; vita præmiis affecturum est pollicitus. facinora certe quidem & merita hæc erunt æterna laude dignissima in Gallis, qui veterem illam maiorum suorum fortitudinem & honorem prope sepultum excitabunt, atq; turpis illius existimationis maculas ab externis (qui se immiscuerunt nobis) Gallicæ nationis nomini inultas delebunt. Huius autem virtutis fructus tum iis ipsis, tum eorum posteris amplissimus hic erit, optima pax & certissima, postquã regnum à ruina & interitu, quem hostes illi machinantur, vindicatum erit: Leges item, quibus tantam firmissimo fundamêto innixum steterat ac conseruatæ fuerint: vt hoc pacto pristinum robur ac splendorem recipiat, & finitimis suis omnibus vt olim, sic & nunc atq; in posterum formidandum se præbeat. Rex verò tam egregiis virtutibus decoratus, optimis hædelium

delium suorum subditorum officiis in regno se constitutum videns, mutuis multisq; benevolentiae Principis, & fidelissimorum quae tributa sibi ab iis fuerint, obsequiorum, remunerationis testimoniis, eos amplitudinis felicitatisq; suae participes faciet.

Poterunt quidem adhuc multae superesse difficultates ac molestiae in nobilibus & aliis etiam, quum se multis in locis hostium furore à suis ædibus ac familiis exclusos, suis bonis spoliatos, & ad laborum ærumnarumq; belli diuturnitatem redactos videbunt. At est quod omnes agnoscamus has esse Dei iustas aduersus vniuersum regnum (ob discordias & corruptelas, quae in eo antè visa sunt) animaduersiones. Sed dabit Deus, vt gratia illius ac benignitate fretitam salutare ac necessarias castigationes æqui boniq; vt par est, consulamus, iisque meliores & prudentiores effectus ad eum totos conuertamus. Id verò efficiet, vt ad rectam omnium regni partiũ emendationem nos comparemus: hoc etiã ipsum præstabit, vt pacẽ, cum primũ nobis eam Deus restituerit, tantò cariorem nunc commendatioremq; habeamus, quantò leuius à XXX. annis ad omnium hostium libidinem minimumq; nutum, eam nobis elabi sinebamus. Illud quoq; causa erit, vt nimiam illam potentiam & auctoritatem detestemur, quam extraneis, quos iam dudum intelligebamus bella hæc ciuilia fouere, intestinisq; incediis omnium animos inflammare, in nosmet ipsos nimis facile, ne stultè dicam, dederamus. ad hæc tamẽ nescio quo modo obtorpescebamus, videbaturq; nullum iis remedium adhibiturũ fuisse, nisi nefariorum, quae moliebantur, consiliorum pernicies
ad

ad vniuersos redundasset. Sic nimirum imperiis aliquando salutare periq; necessarium est, vt perturbationes rerum confusionesq; accidant, quibus omnes ad eas sanandas & in meliorem statum reuocandas excitentur.

*Cur fau-
sus horum
bellorum
exitu spe-
randus sit.*

Horum autem licet funestissimorum bellorum exitus Deo dante beatissimi erunt. Dei enim proprium est imperia bene constituta bonasque leges aduersas iniquorum vsurpatorum vim atq; violentiam conseruare. Deus est Regum, quos via rationibusque legitimis ad regni possessionem administrationemque vocat, vindex & propugnator: eorum vero, qui ipsius maiestati resistunt, aduersarius. at diuinæ maiestati si resistere dicuntur, qui potestati ab eo constitutæ resistunt. Rex, quem sequimur, non est regnum adeptus aut vi legibus facta, aut vsurpatione, aut malis artibus. illius vocatio ita certa est, ita legitima, vt si de cælo ipso esset demissus, certior esse non posset. Dei autem vocatio, qua Rex vocatus est, Dei gratiam & operam comitem habet. Hæc vero Dei gratia rerum statum ad optatum finem perducet, hasque confusiones & perturbationes longius diutiusque propagari non finet, cum ordinis & pacis Deus sit. Iam enim videmus, quam prosperè diuina gratia res nostræ procedant. Tempestas paulatim sedatur. exiguo temporis interuallo multæ prouincie in Regis ditionem atque imperium receptæ sunt. Hoc omnium oculis patet Deum Regi nostro & sapientiâ & optima consilia, consiliisque successum dare. Quin ex iis, quæ Diepæ aliisque in locis contigerunt, meritò dixerimus expeditiones bellicas planè admirabiles Deo duce factas fuisse, per quas Regis vocatio-

*Regis Hen-
rici IV. ac
hostium
vires com-
paratio.*

nem

nem illi à se datam testimoniari & obſignare voluerit. Illius hoſtes diſſipantur, iræ diſcordiæque ſunt inter eos : plebis factioſæ animos terror occupauit. Rex contra & ſui omnes tum opibus, tum animis in deſeſis inuictis que indies, magisque ac magis inualeſcunt & corroborantur. A Regis parte ſunt Principes, coronæ Regiæ Conſiliarii & adminiſtri, præcipua & clariſſimæ regni familiæ, cuncta ferè Nobilitas, primarii iudices & magiſtratus, boni piique omnes publicæ vtilitatis, dignitatis, ſalutiſque amantes & ſtudioſi. Bellum autem ab iis omnibus geritur non iniquis conſiliis aut priuato priuatorum hominum incepto & conatu, ſed eius Principis, que Deus in regium culmen euexit, & cui gladium, quo ſuos omnes armet, tradidit, iuſſu & auctoritate.

Contra in hoſtiū cauſſa ne minima quidem Dei vocationis ſpecies ineſt: vna ambitio, rerū nouarum cupiditas, rei ex bellis populique calamitatibus, faciendę ſpes, bona aliena occupandi conſiliū, direptio & latrocinium apud eos præcipua, imò ſola belli gerendi cauſſa ſunt. Ad factioſiſ illius duces, eosque extraneos & infeſtiſſimos regni hoſtes ſeſe aggregarunt. Nonnulli Regi, à quo ſe ſpretos ſuſpicabatur, inſenſi, criminum nefariorum rei, iudiciis conuicti, qui carnificis tortoriſque manus nulla alia ratione effugere poterant, quam iudiciis in tanta rerum confuſione oppreſſis, auctoritate legum armis ſublata, vi & metu coercitis à iure dicendo iudicibus, homines ingenti ere alieno, (quod ſine mutatione & verſura diſſoluere nunquam poſſint) in extremam deſperationem adducti, ſe eleſſerunt, perditiffimi. Quorum ſcelerata & planè impia factio, turpiſſimę & omnium que vnquam fue-

*Ira & Vin-
dicta Dei
hostes ma-
net.*

fuerunt aut futuræ sunt flagitiosissimæ defec-
tionis rea est: eadem publicæ libertatis hostis;
patriæ suæ proditrix, suorum civium sanguine
cruenta atque adeo immanissima & horribili
Regis sui cede infamis. Apud eam igitur ira e-
rit, & illa damnatio, quam D. Paulus iis omni-
bus sine dubio impendere ait, qui potestati à
Deo constitutæ resistunt. At eos omnes qui sub
Regis auctoritate Dei vocationem sequuntur,
Dei gratia & propugnatio certò manet, cuius
beneficio Regis nostri consilia & actio-
nes omnes breui, vt spes est, opta-
tum felicemq; exitum con-
sequuntur.

